



37
19 B
10

FR. THOMÆ MARIÆ CERBONI

ORDINIS PRÆDICATORUM,


SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI,

ET PROFESSORIS IN URBANO COLLEGIO DE PROPAGANDA FIDE


DE JURE, ET LEGUM DISCIPLINA

TOMUS TERTIUS.










ROMÆ MDCCLXXVII.

TYPIS SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

PRÆSIDUM FACULTATE.



SANCTO JOANNI

APOSTOLO, ET EVANGELISTÆ

TRANSFIGURATIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SPECTATORI, ET TESTI BEATISSIMO, SUPRA PECTUS DOMINI OB PRÆCIPUAM DILECTIONEM OLIM IN CŒNA RECUMBENTI, JESU CHRISTI DIVINITATIS EXIMIO PRÆCONI, AC PRINCIPI THEOLOGORUM, MUTUI AMORIS EXEMPLARI PRÆSTANTISSIMO, VIRGINITATIS AMATORI, CUI CHRISTUS IN CRUCE POSITUS SUAM MATREM VIRGINEM COMMISIT.



UO hæc primum tempore *De Jure, & Legum Disciplina* litteris mandare, ac totius Operis fundamenta ponere institui, ejus unum Tibi volumen, SANCTISSIME APOSTOLE, a me vovendum, dicandumque esse decrevi. Id nunc tota animi alacritate præsto, atque reverentia, qua maxima erga Te mea possum, sub Tuo nomine illud emitto. Quod Tibi

 offe-

offero, id non solum præcellenti illa gloria, quam nunc uti Apostolus, Evangelista, Martyr, Doctor, Propheta, atque Virgo præfulges in cœlis, longe inferius, sed etiam pro eo, quod a me Tibi pro Tua singulari gratia rependi deberet, prorsus impar, & novi, & profiteor: verumtamen si aliqua in re exteriori, quæ palam esset, manifestare poteram, quam sublimiter, licet nunquam satis digne, de Tua præcellentissima Sanctitate sentirem, quamque pro insigni beneficentia in me Tua omnino me Tibi devinctum cognoscerem; nullo modo negligendum putavi. Nam si omnibus testatum velle, quam quispiam de altero sententiam, & eam quidem plenam sublimioris existimationis, præconceptam habeat, quæque ab eo beneficia receperit, ipsa per se affectio interior, reverentia, gratique animi officium hominem cogit; cur nunc ego hoc meo munusculo, quum aliud majus non habeam, non publice prodam, Tua præclarissima merita profundiori obsequio mentis, cordisque sinceriori affectione me colere, ac singularem bonitatem, & beneficentiam erga me Tuam prædicare? Nosti Tu sane, quanta ego Tibi debeam: præcellentissimam vero Tuam Sanctitatem ne commemorare quidem pro merito possum. Nam Dei Verbum ante secula & apud Patrem, & Deum esse, non solum cognoscere, atque videre, sed profundiori sublimitate explicare didicisti, atque ita quidem Divinæ in Christo naturæ præcipuus

pro-

promulgator divinitus effectus, tam a Græcis, quam a Latinis non alio sæpe, quam *Theologi* nomine, vocatus fuisti. Theologus sane, verissimeque Theologus, quia quo non Propheta, non Patriarcha, non quilibet alius potuerat (1), Tibi datum fuit, ut pertingeres, & instar aquilæ, quæ suos oculos in lucem hujus solis acutius intendit, Tua acie mentis ipsum Divinum Solem proprius conspiceres. At vero non solum Divinæ Sapientiæ thesauri sublimiores Tibi referati, quam tenerioris charitatis dulciora principia communicata fuerunt. Dum enim ad se mutuo diligendos omnes adhortaris, non tam suavissima monita charitatis tradere videris, quam amantissimi Tui cordis, singularisque benignitatis, atque amoris erga omnes certissima argumenta præseferre. Nam non filios tantum, sed & *Filiolos*, atque *Charissimos*, eos sæpe vocas, quos in Divina charitate suscipis instituendos, & modo patres, modo adolescentes, modo infantes, modo juvenes singulariter dulcissime compellas, cunctosque ad se mutuo diligendos tanta non minus efficacia, quam mansuetudine, suavitate, & quadam profusione amoris adhortaris, ut utrum corde, an lingua loquaris, dubium esse videatur Ejus ergo tum Divinæ cognitionis, tum mirificæ charitatis, quam super Jesu Christi pectus recumbens, uberrime ex eo hausisti, obtine mihi, AMANTISSIME APO-

(1) Vide S. Petrum Damianum serm. 63. De S. Joanne.

APOSTOLE, ut aliqua ratione particeps ſim, atque ita pleniorem cognitionem Dei aſſequutus, vere, & non prout uſque modo mea infirmitate feci, Deum ex toto corde amare, & in Deo alios omnes diligere poſſim. In Tuo patrocinio confido plurimum, meque totum repono; atque interim non minus verbis, quam devotiori obſequio S. Cyrilli Alexandrini (1), qua humiliori veneratione poſſum, ita Te compello: " Salve porro, „ o ter BEATE JOANNES APOSTOLE, ET EVAN- „ GELISTA, virginitatis decus, pudicitiæ magi- „ ſter, diabolicæ fraudis exterminator, templi „ Dianæ everſor, Epheſinæ urbis portus, & pro- „ pugnaculum, pauperum nutritor, afflictorum „ perfugium, eorum, qui vicini ſunt, & qui lon- „ ginqui, refectio. Salve puriſſimum vas, caſti- „ tate plenum. Tibi enim & Dominus noſter „ Jeſus Chriſtus, quum in cruce efferretur, San- „ ctam Dei Genitricem, ſemperque Virginem „ tradidit ".

IN-

(1) Apud Combefiſium tom. 1. *Biblioth. Patrum* in Feſto S. Joannis Apoſtoli.

INDEX CAPITUM.

LIBER XXI.

LIBER XXII.

LIBER XXIII.

IMPRIMATUR,
Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.
F. A. Marcucci Episcopus Montisalti Vicesgerens.

IMPRIMATUR.
Fr. Thomas Augustinus Ricchinius, Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

DE



DE JURE, ET LEGUM DISCIPLINA

LIBER XXI.

DE AUCTORITATE ROMANI PONTIFICIS SUPRA CONCILIA ŒCUMENICA.



UM suprema legislativa poteſtate, quam Summus Pontifex ſuper univerſam Eccleſiam habet, ſimplex, abſolutum, & cujuſvis Ariſtocraticæ contemperationis expers Monarchicum regimen conjungi debere, in ſuperiori libro jam confecimus. Ex hoc autem conſequitur, ut quævis tandem in Eccleſia optimatum ſimul in unum coeuntium congregatio habeatur, in ſuis definitionibus ſubjecta eſſe debeat judicio Romani Pontificis, qui in Eccleſia & Supremam legislativam poteſtatem habet, & Monarchicum regimen tenet. Si de Eccleſiæ Hierarchico ordine loquamur, congregatio optimatum ſimul in unum coeuntium, & quidem præcellentiſſima omnium, quæ dari poſſint, tunc

habetur, quando universæ Ecclesiæ Præsules ad Œcumenicum Concilium celebrandum simul conveniunt. Judicia ergo etiam istorum ut sint Summi Pontificis judicio subjecta, & Suprema illius legislativa potestas, & simplex, atque absolutum Monarchicum regimen, quod super universam Ecclesiam habet, secundum legem connexorum requirit. Nam semel ac potestas legislativa sit Suprema, eo in ordine, in quo ipsa talis est, altera neque superior, neque etiam æqualis dari posse debet: simili ratione regimen, quod absolute, atque simpliciter Monarchicum sit, quale illud est, quod Summus Pontifex super universam Ecclesiam habet, nullam Aristocratiæ contemperationem patitur, quemadmodum jam ostendimus. Quapropter ex Suprema legislativa potestate Romani Pontificis illud consequitur, quod regimen illius simpliciter, & absolute Monarchicum sit; ab utroque autem, hoc est, tum a suprema legislativa potestate, tum a regimine simpliciter, & absolute Monarchico, hoc alterum derivatur, quod nunc explicandum aggredimur, scilicet judicia Patrum in Concilio Œcumenico congregatorum subjecta esse debere judicio Romani Pontificis. Quum vero tota ratio Conciliorum, habito respectu ad Romanum Pontificem, tria complectatur, hoc est, convocationem, præsidentiam, & confirmationem illorum, quæ in eisdem Conciliis decernuntur; ideo ad Summum Pontificem spectare Concilia Œcumenica indicere, præsidere illis, & confirmare, quæ decreta fuerint, in tribus capitibus ostendemus. Hæc enim tria, sicuti a primo principio, proficiscuntur ab illa Suprema legislativa potestate, quam undequaque explicare nobis proposuimus.

CAPUT I.

DE JURE CONVOCANDI ŒCUMENICA CONCILIA, QUOD EST PENES SUMMUM PONTIFICEM.

§. I. Quando agitur de potestate convocandi Œcumenica Concilia, jus a facto distingui debet.

Quan-

Quandoque contingit, ut aliquis non solum faciat, quod sibi proprio jure convenit, sed etiam quod habet, ut faciat, ex permissione alterius, aut ex suæ tantum arbitrio voluntatis. Ex quo consequitur, ut si quispiam ex facto certum judicium de jure ferre semper velit, procul dubio fallatur. Quapropter quando de potestate disputatur, non tam quærendum est, quid factum sit, quam utrum jure factum illud fuerit. Hoc vero est, quod in hac nostra quæstione nunc adverti volumus. Unde, quamvis ab aliis, quam a Romano Pontifice, nonnulla Œcumenica Concilia indicta fuisse legamus, colligi inde non debere contendimus, non esse solius Romani Pontificis Œcumenica Concilia convocare. " Ergo secernenda sunt facta, & jura: (inquit Thomassinus *Dissert.* 3. in *Synodum Nicænam* num. 5.) & ubi sexcenties legis etiam in ipsa Conciliorum fronte, in Patrumque monumentis identidem audis, convocatas ab Imperatore Synodos, hæc facta quidem, sed non statim jura interpretare: aut si jura, non stricta, & primæva, sed indulgentiæ, & œconomiæ plurimæ accomodata ". Hac enim in re, sicut in aliis, in quibus de jure agitur, contingere potuit, immo revera contigit, ut Imperatores non secundum eam potestatem egerint, quæ proprio jure illis conveniebat, sed qua utebantur vel concessione Summi Pontificis, vel ejus œconomica assensione, qualem conditio temporum requirebat. Quando itaque agitur de potestate convocandi Concilia Œcumenica jus a facto distinguatur oportet.

§. II. Non suo jure, sed concessione, seu permissione sibi facta Principes usos fuisse, quando Concilia indixerunt, plura sane ostendunt.

Quemadmodum ergo Thomassinus in citata Dissertatione num. 1. monet, ac simul etiam ostendit, " Non Nicæna tantum, sed & complures alias Synodos a Constantino Imperatore indictas, convocatasque fuisse, eamdemque potestatem a reliquis deinceps Imperatoribus perdiu usurpatam, passim loquuntur Ecclesiastica Patrum, & Conciliorum monumenta ". Verum suo jure id eos non fecisse, multa sane evincunt. Quandoquidem id juris vel in ipsa illorum Politica

potestate continebatur, vel singulariter a Deo receperant: neutrum vero dici potest: non quidem prius. Nam, ut incipiam a tempore Apostolorum, semel orta disputatione, utrum circumcidi, & jugo legis subjici deberent, qui ex gentibus Christi fidem amplexi fuerant, *Actorum* cap. 15. legimus, quod *convenerunt Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*. Hanc vero disciplinæ rationem Ecclesia deinceps sequuta fuit. Montanistas namque, habito conventu Fidelium, qui in Asia erant, ab Ecclesia expulsos fuisse lib. 5. *Ecclesiast. Histor.* Eusebius tradit. Ejusdem lib cap. 23., habita mentione ejus controversiæ, quæ de die celebrationis Paschatis in Asia orta fuerat, affirmat, quod *Synodi ob id, cœtusque Episcoporum convenere* in Palæstina, Romæ, in Ponto, in Galliis, in Osdroenæ provincia, atque Corinthi. Lib. 6. cap. 43. De Novato ejusque hæresi agens, inquit: " Ob quam rem quum Romæ congregata esset Synodus, in qua sexaginta quidem Episcopi, " Presbyteri vero, & Diaconi multo plures convenerunt, " quumque provinciæ Antistites quid agendum esset, seorsim consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est: Novatum, & eos, qui cum ipso sese insolentius " extulerant ...... alienos ab Ecclesia habendos esse ". Cap. 46. citati Libri ab eodem Eusebio traditum accepimus, Dionysium scripsisse ad Cornelium Pontificem se ab Heleno Tarsi Ciliciæ Episcopo, & a ceteris, qui cum illo convenerant, invitatum fuisse, ut ad *Synodum Antiochenam occurreret*; & cap. 27. quod adversus Paulum Samosatenum " Reliqui Ecclesiarum Pastores undique exciti simul omnes Antiochiam " convenerunt, tamquam adversus gregis Domini vastatorem ". Tandem quam multa ab Eliberitano Concilio, quod anno Christi 305. celebratum fuit, quoad Ecclesiasticam disciplinam sancita fuisse legimus? Hæc quidem Concilia dici Œcumenica non possunt; tamen si æquo jure Episcopi unius provinciæ, aut regni ulla sine Principis non modo jussione, sed etiam consensione, aut permissione, ad decernenda quæ ad fidem, aut disciplinam spectant, in unum simul convenire potuerunt, & revera convenere; haud dissimili ratione omnes Epi-

Episcopi Christiani orbis idem præstare potuissent. Modo vero ita. Quæ sunt politici juris, Principibus semper æque conveniunt, sive Christianam Religionem profiteantur, sive non profiteantur: aliunde vero Antistites Ecclesiarum ante Constantinum Ethnicorum Principum jura invasisse, dum ullo sine imperio, concessione, aut permissione eorum Concilia celebrarunt, sine maxima temeritate dici non potest. Illud ergo superest, ut dicamus, etiamsi agatur de Principibus, qui Christianam Religionem profiteantur, jus convocandi Concilia in eorum politica potestate nullo modo contineri.

Sed neque etiam a Deo id juris receperunt. Nam illud quidem ex Dei verbo tum scripto, tum tradito perspectum habemus, obtemperandum esse Principibus, atque solvenda tributa: illos esse Dei ministros in bonum, & vindices in iram ei, qui male egerit (1): ceterum spectare ad Principes regere Ecclesiam Dei, pascere gregem Christi, rectæ fidei, ac Christianorum morum definitiones promere, ritus Ecclesiasticos præscribere, ceteraque omnia constituere, quæ disciplinam respiciunt, nullo sane utriusque Divini verbi testimonio ne levissime quidem, aut omnino apparenter, comprobari potest (2). At vero ideo Concilia convocantur, ut in eis Ecclesiarum regimini prospiciatur, provideaturque gregi Christi, prout conditio temporum requirit, contra fidem, & bonos mores amputentur insurgentes errores, atque constituantur, quæ ad disciplinam pertinent: Concilia itaque indicere nullo modo ad eos spectare potest, qui ab hac tota ratione munerum, cujusmodi sunt Principes, excluduntur. Si enim spectaret; tum eisdem tota ratio ejus principii subesset, a quo pendent regimen Ecclesiarum, cura gregis Christi, condemnatio errorum, qui insurgunt contra fidem, aut bonos mores, atque ordo Ecclesiasticæ disciplinæ. Principes ergo nullum jus habent convocandi Concilia, tam si ad eorum potestatem politicam, quam si ad Divinam institutionem attendamus.

§. III. Si de Conciliis Œcumenicis loquamur, eorum con-

(1) *Roman.* cap. 13. v. 1. & seqq. (2) Lib. 18. toto cap. 3. & 4.

convocandorum poteſtatem penes Principes eſſe non poſſe, ſingularis ratio demonſtrat.

Hujuſmodi ergo poteſtatem penes Principes eſſe non poſſe præter ea, quæ diximus, etiam ex illorum dominii ratione evidenter oſtenditur. S. Leo loquens de duobus Apoſtolis Petro, & Paulo *Sermone* 72. (1) in Natali eorumdem Apoſtolorum cap. 1. " Iſti ſunt, (inquit) qui te ad hanc glo„ riam provexerunt, ut gens ſancta, populus electus, civi„ tas Sacerdotalis, & regia per ſacram B. Petri ſedem caput „ orbis effecta, latius præſideres religione Divina, quam do„ minatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis jus „ imperii tui terra marique protuleris, minus tamen eſt, „ quod tibi bellicus labor ſubdidit, quam quod pax Chriſtiana „ ſubjecit ". Quamvis ergo tempore S. Leonis Imperatores latiſſime dominarentur; tamen Eccleſiæ regimen latius extendebatur, & in ea quoque loca pax Chriſtiana penetraverant, quæ Imperatoribus non ſubjiciebantur. Toto vero ſequenti tempore ad hanc uſque ætatem noſtram non ſolum nullus Chriſtianus Princeps præ Romano Imperio magis extenſam dominationem habuit, ſed cujuslibet dominatio fuit præ illa valde diminuta, ac propterea omnes illas regiones, quæ ſub unico Eccleſiæ regimine ubique terrarum late extenſo continentur, ſub dominio plurimorum Principum Chriſtianorum nunc eſſe, atque fuiſſe conſpicimus.

Omnes quidem Epiſcopi, qui in Eccleſiæ unitate vivunt, quique in Petro, atque in Apoſtolis claves cum poteſtate ligandi, atque ſolvendi a Jeſu Chriſto receperunt, ad Concilia Œcumenica convenire poſſunt, ita ut ab eis nemo illorum æquo jure excludi queat: verum quum fieri non poſſit, ut omnes ad Œcumenica Concilia conveniant, immo nec expediat, ut ſingulæ Eccleſiæ aliquo intervallo temporis ſuo capite hac ratione deſtituantur; ideo ſemper exiſtimatum fuit, ad Concilium Œcumenicum ſufficere, ſi ex pluribus Eccleſiæ provinciis ad illud non pauci conveniant, & ex nonnullis locis remotioribus, atque difficilioribus aliqui ſaltem, prout

(1) Juxta editionem Cacciarii.

prout rei, de qua est agendum, expedire censetur: nec unquam aliquis putavit, illud Concilium pro Œcumenico haberi non posse, cui ex aliquibus etiam valde extensis regionibus nullus Episcopus adfuerit " Non satis est quidem (inquit „ Melchior Canus *De Locis Theologicis* lib. 5. cap. 3.) ad Concilium generale, si evocatio generalis est, quando adeo pauci „ congregantur, ut major, meliorque provinciarum pars re„ licta esse videatur, præsertim si causa legitima sit, cur Epi„ scopi Synodo non affuerint. At si per malitiam hominum„ pessimorum una, & item altera provincia desit, non pro„ pterea Concilii generalis nomen amittitur. Sed ne si per „ negligentiam quidem, aut aliam occasionem quamlibet „ Episcopi aliquot desint, nominis sui jacturam generale „ Concilium faciet, nisi in dubium vertimus, an Concilia „ illa quatuor, Nicænum, Ephesinum, Constantinopolita„ num, Chalcedonense, generalia sint". Quapropter ut ex pluribus Ecclesiæ provinciis non pauci Episcopi simul in unum conveniant, atque etiam aliqui saltem ex remotioribus locis, prout res disquirenda postulaverit, hoc esse dicimus, quod ad Concilium Œcumenicum requiritur. Nicæna autem, & Ephesina Synodus, aliæque etiam illorum priorum temporum, quamvis ex solis fere Orientalibus coaluerint, ut Œcumenicæ habitæ fuere, quia eisdem per suos Legatos præfuit Summus Pontifex, qui unus per se universæ Ecclesiæ personam gerens, quemadmodum S. Augustinus sæpius monet (1), ut caput ejus universam Ecclesiam repræsentat, atque etiam singulari ratione totam Occidentalem Ecclesiam uti Patriarcha Occidentis.

Modo ad rem nostram veniamus: intra confinia Imperii cujusvis Christiani Principis talis numerus Episcoporum non continetur, qui ad Concilium Œcumenicum celebrandum sufficiat: igitur licet Christianis Principibus tribuatur facultas Episcopos in unum convocandi, quæ certe iisdem non convenit, tamen nullum per eos Œcumenicum Concilim cogi potest. Nam unusquisque eorum illos tantum Episcopos ad Concilium evocandi auctoritatem haberet, qui intra sui Impe-

(1) Vide loca ejus lib. 18. cap. 1. §. 5. & seq.

Imperii confinia sedem obtinerent. Neque enim unus Princeps pati posset, aut deberet, ut id auctoritatis supra Episcopos sui regni ab altero Principe exerceretur. Si ergo de Conciliis Œcumenicis loquamur, eorum convocandorum potestatem penes Principes esse non posse, singularis ratio demonstrat. „ Non tam male consuluit Christus Ecclesiæ suæ (ita recte ad „ rem nostram Thomassinus *Dissertatione* 3. in *Synodum Nicænam* num. 4.) ut ejus salutem ad terreni Imperii verticem „ religaverit. Quid enim si nullus aliquando extiterit Imperator? Quid si ab Ecclesia deficiat? quid si in plures scindatur Imperium? quid si Reges undique irruentes Imperium dilanient, & in suo quisque tractu imperitet? Quid „ si qua Imperii portio lacera, non regii, sed sequioris, ac „ decoloris alicujus regiminis sortem experiri malit? Quid si „ hæc omnia? Nam & hæc omnia post Constantinum labentibus seculis contigere in variis Imperii Romani tractibus. „ Ergo si horum quodlibet, si plura, si omnia eveniant, non „ poterit congregari a seculari Principe Œcumenicum Concilium. An igitur Ecclesia interim de summa rerum periclitabitur? Minime vero. Nam ut fides, & disciplina Ecclesiæ ad seculi usque finem perpetuanda ex Christi promissione non dubitatur; ita nec dubitatur ex ejusdem inexpugnabili sponsione, & potestate æternandus in Ecclesia Episcopatus unus, unus in unitatis suæ vertice Petri successore, „ unus in universitate sua. Ita nunquam deerunt, a quibus „ Concilia & convocentur, & frequententur “. Ex his vero omnibus, aliisque, de quibus in §. superiore disputavimus constat, quam ulla sine ratione Febronius *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. 6. §. 2. affirmaverit, quod “ Imperatorum hoc jus (scilicet convocandi Concilia Œcumenica) habet fundamentum „ omnino solidum “.

§. IV. Jus indicendi Œcumenica Concilia est solius Romani Pontificis.

Suprema Præfectura, Suprema legislativa potestas, Suprema, atque absoluta, & cujusvis Aristocraticæ contemperationis Monarchica dominatio, quam Summus Pontifex super

per universam Ecclesiam ex Divina institutione habet, tria sunt, quæ jus indicendi Concilia Œcumenica ad solum Romanum Pontificem spectare posse, evidenter ostendunt. Quoniam vero de illis tribus arbitramur omnino constare ex iis, quæ jam pluribus disseruimus (1); modo prout ad rem nostram pertinet, de eo, quod ex illis consequi volumus. Semel ac ergo de Concilii Œcumenici convocatione agatur, 1. cujusdam certa auctoritate constituatur oportet, utrum, habita ratione multorum, quæ tantum negotium & præcedunt, & comitantur, communi Ecclesiæ bono expediat, ut Concilium Œcumenicum habeatur, vel non habeatur. Neque enim res tanta aut sine certa auctoritate, aut cum illorum consensione tantum peragi potest, qui Ecclesiæ universæ publico bono prospiciendi curam sibi commissam non habent. 2. Œcumenicorum Conciliorum convocatio fit, ut in eis ferantur leges, quibus omnes undique Fideles obstricti esse debent. 3. Universæ Ecclesiæ Præsulibus indicendum est, ut ad determinatum tempus in unum locum conveniant. Profecto decernere, utrum communi Ecclesiæ bono expediat, vel non expediat, cogi Concilium Œcumenicum, si ejus non sit, qui Supremam super universam Ecclesiam Præfecturam habet, estque illius visibile caput, quod Primatu auctoritatis, & jurisdictionis super eam præditum est; non video sane ad quemnam tandem spectare possit: immo vero ad hoc tantum visibile caput spectare posse, ipsa tota ratio illius auctoritatis, atque jurisdictionis, quam ex Divina institutione habet, necessario exigit. Pugnant enim hæc inter se duo, hoc est, omnium partium, quæ unum corpus componunt, esse Supremum caput, cujus virtute, auctoritate, atque potestate saluti totius corporis prospici debeat, & istius Supremi capitis non esse videre, & decernere illud, quod saluti, & incolumitati totius corporis convenit.

Ex eo autem quod Œcumenica Concilia fiant, ut in eis ferantur leges, quibus omnes undique Fideles subjecti esse debent, convocatio illorum ad eum tantum spectare potest, qui

(1) Lib. 18. cap. 1., & 2., lib. 20. cap. 4.

qui Supremam super universam Ecclesiam potestatem legis lativam habet. Nam semel ac ponantur fundamenta alicujus legislationis, quæ universam, qua late patet Ecclesia, complectatur, sine assensione, immo sine decreto illius, qui super universam Ecclesiam Supremam legislativam potestatem habet; hujusmodi legislatio ipsa sui institutione nullius momenti est, quia auctoritati illius adversatur, qui Supremam super universam Ecclesiam legislativam potestatem habet. Nam hæc quum Suprema sit, nulla alia independenter ab ea super universam Ecclesiam dari potest (1). Legislativam autem Supremam potestatem Summus Pontifex super universam Ecclesiam habet (2).

Tandem Ecclesiæ Antistitibus dum indicitur, ut in unum aliquem locum ad determinatum tempus simul conveniant; aliquis profecto jurisdictionis actus super eos exercetur: super omnes autem Ecclesiæ Antistites universe, ac generatim exercere actum jurisdictionis ille solus posse debet, qui simplex, absolutum, & cujusvis Aristocraticæ contemperationis expers regimen in Ecclesia habet: istud vero habet solus Romanus Pontifex (3): constat ergo esse solius Romani Pontificis Œcumenica Concilia indicere, si quæ necessario debet, ratio habeatur tum Supremæ Præfecturæ, tum Supremæ legislativæ potestatis, tum Supremæ Monarchicæ dominationis, quam ille super universam Ecclesiam habet. Hinc Hadrianus II. in epist. ad Basilium Imperatorem, quæ lecta fuit Actione 1. Synodi VIII. Œcumenicæ, loquens de hujus celebratione Concilii: " Volumus ergo (inquit) per vestræ pie-
" tatis industriam illic numerosum celebrari Concilium, cui
" nostri quoque missi præsidentes, & personarum culparum-
" que differentias liquido cognoscentes, juxta quod in man-
" datis acceperunt, singulorum libere discretiones exer-
" ceant " (4). Et Leo X. in V. Lateranensi Concilio sess. 11.
" Quum etiam (inquit) solum Romanum Pontificem pro
" tempore existentem, tamquam auctoritatem super omnia
" Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum,
" trans-

(1) Vide quæ disseruimus lib. 18. cap. 2. (2) Citato loco.
(3) Lib. 20. cap.4. (4) Tom.10. Concil. edit. Venet. colum.490.

„ transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, „ dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, Sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat " (1). Rem vero istam pluribus ostendere deinde prosequitur. Hinc etiam Julius II. sess. 1. ejusdem Concilii ita adversus eos, qui contra potestatem ejus hac in re de convocatione Conciliorum agere moliebantur: „ Revolvant Sanctorum Patrum, & Romanorum vitas Pontificum, & antiquum morem indicendi, & convocandi, „ & celebrandi Concilium: traditiones, & leges super his „ editas a Patribus inspiciant: videbunt hujusmodi Concilia „ a solis Romanis Pontificibus esse indicta, & aliter indicta, „ rata non fuisse " (2). Ex his autem nemo non videt, Febronium *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. 6. *De Conciliis Generalibus* hoc de jure convocandi Concilia Œcumenica, quod Summis Pontificibus convenit, pro suo arbitrio ita pronunciasse: „ Hoc sane non probatur ex duobus Theologiæ principiis, „ quæ sunt *Scriptura*, in qua ea de re nihil; & *Traditio*, quæ „ manifeste repugnat ". Nam cum utroque principio hujusmodi jus necessariam connexionem habet. Illud quidem ipse urget, non haberi in Sacris Litteris, Petrum indixisse Hierosolymitanum Concilium; attamen habetur, Paulum, & Barnabam Hierosolymam ascendisse, in qua una cum aliis Apostolis erat etiam Petrus, ipsumque Petrum primum omnium de re controversa sententiam tulisse.

§. V. Spectare ad Principes convocare Concilia, frustra nonnulli contendunt probare exemplo præsertim Regum Christianissimorum.

Samuel Basnagius in *Annalibus Politico-Ecclesiasticis* ad an. Christi 325. num. 11. Concilium Aurelianense II., & Toletanum III. jussu Regum convocatum fuisse, ex confessione Patrum, qui ad illa convenerunt, constare affirmare, at-

B 2 que

(1) Tom. 19. Concil. edit. Venet. colum. 967. (2) Cit. Tom. colum. 683.

que ex hoc deducit, id juris spectare ad Reges. Petrus autem de Marca *De Concordia Sacerdotii, & Imperii* lib. 6. cap. 18. num. 6. & seq. non solum Aurelianensis Concilii II. mentionem facit, sed & aliorum, quæ jussu Regum in Gallia celebrata fuisse leguntur, indeque infert jus convocandi Concilia convenire Regibus. Illud quidem non dissimulat, hoc Regium jus omnino sublatum alicui videri posse, si ad nonnulla Concilia celebrata in Galliis attendatur: verum id juris ab aliis Conciliis Regibus restitutum fuisse contendit. Unde postquam Patrum asserentium se jussu Principis congregatos repetita testimonia in medium protulit num. 10. ita concludit: " Sufficiunt, opinor, ista, quæ diximus, ut difficili-" bus, & morosis ingeniis persuaderi possit, magnam Regi-" bus auctoritatem competere ad convocanda Concilia ". Id confirmat auctoritate Gregorii Turonensis qui refert, Episcopos, quamvis injuria temporum, & difficultate viarum quam maxime impedirentur, obsistere nequivisse Childeberto Regi indicenti illis, ut ad urbem Virdunensem convenirent. Rursum cap. 19. num. 1. Gregorium Magnum agnovisse auctoritatem Regum Francorum in Conciliis convocandis, inde colligit, quia quum Synodum cogi vellet ad extirpandam pravam quamdam consuetudinem, quæ in regnis Burgundiæ, & Austrasiæ invaluerat, Brunichildem Reginam exoravit, ut jussione Regia Synodum fieri constitueret. Tandem ejusdem libri cap. 20. num. 5. illud urget, Regem Sigebertum in epistola ad Desiderium Episcopum Cadurcensem constituisse, ne Synodale Concilium absque permissione Regis celebraretur. Etiam Natalis ab Alexandro in seculi 13. & 14. Differt. 8. art. 2. §. 3. affirmat pluribus exemplis depromptis ex Conciliis celebratis sub 1. & 2. Dynastia Regum Christianissimorum, confirmari posse ab iisdem Regibus Concilia & convocata, & confirmata fuisse. Quæ de confirmatione habet, nunc omittimus, sequentique capite discutiemus. Duo ergo tantum exempla quoad rem priorem affert: prius ex Concilio Aurelianensi I., alterum ex Concilio Parisiensi V., illo celebrato anno 511., isto anno 614. Patres Aurelianen-

ses,

ses, inquit, in sua Præfatione se a Clodoveo congregatos; atque ab eo sibi proposita capita, de quibus decernerent, hisce verbis affirmant: “ Sacerdotes, quos ad Concilium „ venire jussistis ..... secundum voluntatis vestræ consulta- „ tionem, & titulos, quos dedistis, ea, quæ nobis visum „ est, definitione respondimus “. Parisienses quoque se a Clotario II. congregatos ita testantur: “ Quum in Dei nomi- „ ne secundum priscorum Sanctorum Patrum constitutionem „ in urbe Parisiis ex evocatione gloriosi Principis Domini Clo- „ tarii Regis in Synodali Concilio convenissemus “.

Verum enim vero isti Auctores non solum de his Conciliis, sed etiam de aliis pluribus mentionem facere potuissent, quæ a Regibus indicta fuisse, nemo illis negaverit. Tamen & ipsi quoque negare non possunt, ex Ecclesiastica Historia omnino compertum esse tum Hispaniarum, tum Galliarum Sacros Præsules ad deliberandum de rebus ad Ecclesiam pertinentibus in unum simul sæpe convenisse non Principum auctoritate evocatos, sed eorum, qui secundum Ecclesiasticam institutionem sibi præerant. Illud unum hìc quoad rem istam de Ecclesiis Hispaniarum commemorabimus in XII. Toletano Concilio capitulo 12. ita statutum fuisse: “ Placuit huic ve- „ nerando Concilio, ut juxta priorum Canonum instituta, „ Episcopi singularum provinciarum annis singulis in una- „ quaque provincia Kalendis Novembribus Concilium cele- „ braturi conveniant “ (1). In Regnis autem Hispaniarum plura Concilia provincialia celebrata fuisse absque ulla Regum præcedente convocatione, immo eorum facta convocatione ab iis, qui ceteris Antistitibus juxta Ecclesiasticum ordinem præerant, a nemine dubitari potest (2). De Conciliis autem Galliarum si loquamur, dubitari quoque non potest, multa eorum convocatione Regum habita fuisse, & multa etiam sine ulla hujusmodi convocatione, quemadmodum De

(1) Aguirre tom. 4. Collect. Concil. Hispan. juxta edit. Catalani.
(2) Ex Aguirrio in citata Collectione hac de re constat. Vide inter alia quid de convocatione Toletani Provincialis Concilii an. 1582., & Tarraconensis an. 1591. tom. 6. juxta citatam editionem tradat.

*De Concord.Sacerd.& Imp.*lib.6.cap.6.& seq.etiam Petrus de Marca concedit, atque perspectum quoque est, ut nonnulla tantum commemoremus, ex Aurelianensi III. an.538., & IV. an.541., ac Lugdunensi II. an. 567. (1). Aliunde autem etiam in Galliæ Conciliis constitutum legimus, quo tempore Concilia haberi debeant (2). Ex his autem hanc ratiocinatioem instituo. Non minus convocantibus indicentibusque Regibus, quam ulla sine convocatione eorum, plura Concilia tam in Hispania, quam in Gallia habita fuisse legimus: sicuti ergo ex iis, quæ Reges convocarunt, spectare ad eos convocare Concilia nostri Adversarii inferunt; ita nos eodem jure ex aliis, quæ non a Regibus, sed ab Ecclesiæ Antistitibus, qui secundum Ecclesiasticum ordinem ceteris prærerant, convocata fuisse novimus, inferre possumus, jus convocandorum Conciliorum non spectare ad Reges; sed ad Ecclesiæ Antistites. Ex hoc ergo capite, ex quo Adversarii nostri certo se inferre posse arbitrantur, spectare ad Reges Concilia convocare, res ista nullo modo definiri potest, ac propterea dum in ea non distinguunt, quemadmodum debet (3), jus a facto, id pro certo assumunt, quod omnino dubium est. Illud ergo videatur oportet, cuinam tandem jus convocandorum Conciliorum revera conveniat. Concilia convocantur ad eas ferendas Ecclesiasticas leges, quas pro diversitate temporum Ecclesiæ utilitas exposcit: hanc vero legislativam potestatem a Christo Apostoli receperunt (4), ejusque una cum aliis omnibus, quæ ad regimen Fidelium sibi commissorum requiruntur, Episcopi sunt hæredes (5): si ergo ad Ecclesiæ Antistites spectat singulares ferre leges, quæ ad regimen Fidelium sibi commissorum utiles sint, eorum quoque esse debet Concilia indicere; quum in Conciliis leges hujusmodi ferantur. Deinde Ecclesiæ Antistites publica lege definierunt, quandonam, quibusque anni temporibus Concilia celebrari deberent: si autem non esset penes eos ipsum

(1) Vide Sirmondianam collectionem Conciliorum Galliæ tom. 1.

(2) Vide Concilium Arausicanum I. can. 29., Agathense can. 7., Aurelianense II. can. 2., Aurelianense III. can. 1., Aurelianense IV. can. 37., & alia multa apud Sirmondum. (3) Hujus cap. §. 1.

(4) Lib. 18. cap. 2. §. 6. & seq. (5) Cit. loco.

ipſum jus Concilia convocandi, & non ſine invaſione alieni juris, & prorſus fruſtra tuliſſent hujuſmodi legem. Nam publica lege conſtituiſſent, ut hoc, vel illo tempore Concilia indicerentur, quorum ipſi indicendorum nullam facultatem habuiſſent. Contra vero quamvis Reges Concilia indixiſſe legamus; tamen ut id ſibi juris tribuerint, quod Eccleſiæ Præſidum proprium erat, inde non conſequitur. Nam, vel Patribus conſentientibus, Concilia indixerunt, vel ad ea Regia ſola auctoritate ſemel indicta, Patres, perſpecta Eccleſiæ utilitate, libere convenerunt, atque in eis ſimul uniti ſua poteſtate uſi fuere. Quapropter ex eo jure, quo ex ratione ſui muneris potiebantur, Eccleſiæ Antiſtites uſos fuiſſe dicendum eſt, dum Concilia convocarunt: idem autem dum Reges fecerunt; Sacrorum Antiſtitum tacita, vel expreſſa conſenſio ſemper interceſſit.

Quod autem Epiſcopi ad Synodum a Childeberto vocati neque difficultate viarum, neque injuria temporum deterriti, ſimul in unum convenerint, argumento eſſe debet, eos de Eccleſiaſticis negotiis quam maxime ſollicitos fuiſſe, atque ſumma cum indulgentia Regi obtemperaſſe, non vero eſſe Regis indicere Concilia. Hac enim in re, ſicuti in aliis, jus a facto diſtinguendum eſt.

S. Gregorius Magnus Epiſtol. lib. 9. Indict. 2. epiſt. 109. ad Reginam Brunichildem data, ipſam rogat, ut ad ea mala convellenda, quæ erant in Eccleſia, Synodum fieri conſtituat: “ Synodum (inquit) juſſio veſtra fieri conſtituat “. At vero pro qua tandem Synodo habenda Reginam Brunichildem S. Gregorius rogabat? Pro ea profecto, quam ipſe fieri decreverat: ſuperaddit enim: “ Curam vero, & ſollicitudi-
„ nem ejuſdem Synodi, quam fiendam decrevimus, fratri
„ Coepiſcopoque noſtro Syagrio, quem veſtrum proprium
„ novimus, ſpecialiter delegare curavimus; quem petimus
„ ut & ſupplicanter libenter audire, & ope juvare dignemi-
„ ni: quatenus quod ad mercedem veſtram reſpiciat, remo-
„ to huius mali contagio in cunctis finibus juri veſtro ſubje-
„ ctis, pia, & Deo placita procedat ordinatio Sacerdotum “.

Favor

Favor ergo, ſtudium, atque etiam protectio, illa fuerunt, de quibus S. Gregorius Reginam Brunichildem obſecravit, nullo autem modo in ea agnovit Synodos indicendi poteſtatem. Nam eamdem rogat, ut Synodum illam haberi jubeat, quam antea ipſe conſtituerat, ut haberetur, ejuſque curam Syagrio commiſerat.

Verum quidem eſt, Regem Sigebertum in epiſtola ad Deſiderium Epiſcopum Cadurcenſem præcepiſſe, ut Synodale Concilium abſque permiſſione Regis non celebraretur (1); at propter hoc, quod *teſtatior* fiat *auctoritas Regum in convocandis Conciliis*, Petrus de Marca falſo colligit: " Sic nobis (inquit Sigebertus) cum noſtris proceribus convenit, ut ſine noſtra ſcientia Synodalis Concilius in regno noſtro non agatur, nec ad iſtas Kalendas Septembris nulla conjunctio Sacerdotum ex his, qui ad noſtram ditionem pertinere noſcuntur, non fiatur. Poſtea vero opportuno tempore, ſi nobis antea denuntiatur, utrum pro ſtatu Eccleſiaſtico, an pro regni utilitate, ſive etiam pro qualibet rationabili conditione, conjunctio eſſe decreverit, non abnuimus; ſi tamen, ut diximus, ut in noſtri prius deferatur cognitionem ". De habenda ergo Synodo ſe velle fieri certiorem, hoc vero eſt, quod Sigebertus conſtituit: ceterum ad ſe pertinere Concilia indicere, nullo modo innuit. Sunt autem hæc duo longe inter ſe diverſa, hoc eſt, ſibi vindicare auctoritatem indicendi Concilia, & velle fieri certiorem de iis, dum indicuntur. Immo vero ex eo quod Sigebertus voluerit, ut ſine ſua aſſenſione Concilia non celebrarentur, ipſum pro certo habuiſſe, ſui non eſſe Concilia convocare, evidenter conſequitur. Nam non erat ſane, cur decerneret, ut de Conciliis celebrandis ipſe ab Epiſcopis moneretur, nullumque Concilium, ſe non monito, celebraretur, ſi ad eum convocatio Conciliorum pertinebat. Perſuaſum ergo illi erat, non eſſe ſui juris Concilia convocare.

§. VI. Ex convocatione Concilii Nicæni Œcumenici I. nihil

(1) Tom. 1. *Capitularium* edit. Balužianæ pag. 143.

hil evinci poteſt contra illud jus, quod Summus Pontifex habet Œcumenicorum Conciliorum convocandorum.

Ex convocatione potiſſimum octo primorum Conciliorum Œcumenicorum inter alios duo Baſnagii, hoc eſt, Jacobus, & Samuel contendunt, ſpectare ad Imperatores Concilia Œcumenica convocare. Horum ſententiæ Febronius adſtipulatur *De Statu Eccleſiæ &c.* cap. *6.* *De Conciliis Generalibus* §. 2., in quo hoc ſibi probandum ſtatuit: " Octo priora Con-„ cilia generalia ſola Imperatorum auctoritate convocata fue-„ re". Nihil ergo minus, quam quod iſti una cum aliquibus aliis vellent, ex horum convocatione Conciliorum colligi poſſe, octo diſtinctis paragraphis oſtendendum nos aggredimur. In iſto itaque de Concilii Nicæni Œcumenici I. convocatione videamus.

Launojus Epiſtolarum lib. *6.* epiſt. 1. ad Habertum Mammorium ſolius Conſtantini auctoritate hujus Synodi convocationem peractam fuiſſe inde contendit, quia tam Veteres, quam Recentiores Conſtantino eam plerumque tribuere. Jacobus Baſnagius in *Hiſtoria Eccleſiæ* lib. 10. cap. 2. num. 5. illud urget, nullius teſtimonio nobis perſpectum eſſe, in hujus Synodi convocatione Summum Pontificem aliquam partem habuiſſe, adeoque Imperatori tantum eam tribui oportere. Quæſtionem iſtam de jure convocandi Concilia Œcumenica Samuel Baſnagius verſat in *Annalibus Politico-Eccleſiaſticis* ad an. Chriſti 325. num. 10. & 11. illudque non pertinere ad Romanum Pontificem ex convocatione Nicæni Concilii ſe colligere poſſe putat, quia Conſtantinus ſuo, nullo autem modo Sylveſtri nomine, litteras convocationis ad Epiſcopos miſit; indeque factum dicit, antiquos Scriptores hanc convocationem Conſtantino tantum acceptam referre. Ruffinum affirmantem ex ſententia Sacerdotum Conſtantinum Synodum convocaſſe, ita eſſe intelligendum tradit, ut, hortantibus Sacerdotibus, Conſtantinus id conſilii cœperit, & hoc quidem ſenſu Gelaſium Gyzicenum in *Hiſt. Concilii Nicæni* lib. 2. cap. 12. hanc Synodum fuiſſe *coactam per B. Oſium*, & Epiphanium *Hæreſi 68.* num. 4. *Alexandri Sanctiſſimi Alexandriæ Epi-*

scopi hortatu dixisse, interpretatur. Ad hæc superaddit Basnagius auctoritatem Hieronymi lib. 2. *Contra Ruffinum* cap. 2. ita illum compellantis : " Responde, quæso, Synodus in qua „ urbe fuit? Dic Episcoporum vocabula: doce quis eo anno „ Consul fuerit: qui Imperator jusserit hanc Synodum con„ gregari ". Alia quoque in medium adducit, ut iisdem suadeat Imperatorum esse Concilia Œcumenica indicere: verum ea modo refellenda non sunt a nobis, quoniam ad Concilii Nicæni convocationem non spectant. Sequenti autem paragrapho 9. ostendemus nihil pro se Basnagium concludere posse ex iis, quæ S. Leonem inter atque Theodosium Imperatorem hac de re intercesserunt.

Ut ergo ad rem nostram veniamus, " Aliquanto plus il„ lum (Constantinum) sibi in negotiis Ecclesiasticis vindicas„ se, quam laico Principi conveniret " recte a Valesio in cap. 51. lib. 3. *De Vita Constantini* observatum fuisse dicimus. „ Quod autem Constantino (sicut Thomassinus monet *Dissert.* „ *3. in Synodum Nicænam* num.5.) tanta audenti cederent, an„ nuerentque Episcopi; vel vis illa erat, vel voluntas: si vis; „ ut in multis circa Arium, & Athanasium, nihil inde juris „ ei accrescebat: si voluntas, ut in longe pluribus aliis; nec „ sic quidem jus Imperatorium condebatur, quum ex œco„ nomia tunc necessaria id totum de jure Episcopali remitte„ retur. Conducebat enim vehementer multa condonari „ Imperatori, qui primus omnium Christo nomen dedisset, „ Ecclesiam tot persequutionibus tandiu jactatam liberasset, „ ejus toto orbe propagandæ muniendæque, idolatriæ autem „ extinguendæ, certam spem faceret. Tali Imperatori non „ sua tantum jura, justaque tribuenda erant, sed aliena „ quoque tunc indulgenda. Sed jure suo non exuuntur Epi„ scopi, quum ex necessaria dispensatione aliquam ejus par„ tem remittunt ". Inde vero est, ut illud quidem a pluribus traditum habeamus (1), Constantinum convocasse Nicænum Concilium, suo autem jure id eum fecisse, seu sibi propria potestate in hanc rem usum fuisse, apud neminem legimus.

(1) Id Febronius urget in citato loco.

mus. Unde illud semper argumentum recurrit, quod supra urgebamus: hoc est, non minus certum esse, plura Concilia Œcumenica tam ab Imperatoribus, quam a Romanis Pontificibus convocata fuisse: si ergo ex facto de jure judicium feramus, sicuti Adversarii nostri colligunt ex convocatione facta ab Imperatoribus, istorum esse Concilia Œcumenica convocare: ita etiam nos eadem ratione ex convocatione facta a Romanis Pontificibus inferre possumus, spectare ad eos convocare Œcumenica Concilia. De jure ergo hujus rei videndum superest. Spectare autem illud posse ad solum Romanum Pontificem, est jam ostensum a nobis (1). Romani ergo Pontifices dum Concilia Œcumenica convocarunt, auctoritate sibi propria convocarunt; dum Constantinus Nicænum, nonnulli alii Imperatores quædam alia Concilia convocarunt, id fecerunt, annuentibus, vel consentientibus, aut etiam patientibus Romanis Pontificibus. Factum ergo a jure in hac re, sicut in aliis multis, distinguatur oportet, quod dum Adversarii non servant, jus convocandi Œcumenica Concilia contra logicæ regulas Imperatoribus inde tribuunt, quia ab iisdem Concilia hujusmodi convocata fuisse, a multis traditum habemus. Una autem eademque ratione contigit, ut Imperatores & Concilia Œcumenica convocaverint, & proprio nomine convocaverint. Immo semel ac ab eis Concilia Œcumenica convocata fuisse dicatur, ut ea proprio nomine convocaverint ex se consequitur; alioquin instrumentalis causa tantum convocationis ipsi fuissent, non vero principalis. Unde non est, cur Samuel Basnagius urgeat convocationem Conciliorum factam proprio nomine ab Imperatoribus.

Ruffinus lib. 1. *Hist. Ecclesiast.* cap. 1: in quo de Arianæ hæresis ortu, & condemnatione agit: " Sermo (inquit) usque
" ad aures religiosi Principis, quippe qui omni studio, & dili-
" gentia curaret, quæ nostra sunt, pervenit. Tum ille ex Sacer-
" dotum sententia ab urbem Nicæam Episcopale Concilium
" convocat; ibique Arium trecentis decem & octo Episcopis
" residentibus, adesse jubet, ac de ejus propositionibus, & quæ-

 " stio-

(1) Hujus cap. §. 4.

„ ſtionibus judicari". Ex his autem colligi debere hortatu Sacerdotum Conſtantinum ſtatuiſſe Nicænam Synodum convocare, Samueli Baſnagio non repugnamus. Verum anne inde inferri debet, ſua propria auctoritate in hanc rem Conſtantinum uſum fuiſſe? Anne aliunde perſpectum non habemus, Conſtantinum & Sylveſtrum, non vero Conſtantinum & Sacerdotes ad condemnandos Arii errores Nicænum Synodum convocaſſe? Nam Patres Concilii VI. Œcumenici in *Sermone Acclamatorio* ad Conſtantinum Imperatorem de Synodo Nicæna ita habent (1): " Arius diviſor, atque partitor Tri-
„ nitatis inſurgebat: & continuo Conſtantinus ſemper Augu-
„ ſtus, & Sylveſter laudabilis, magnam, atque inſignem in
„ Nicæa Synodum congregabant: per quam ipſa Trinitas
„ tam fidei ſymbolum dictavit, quamque adverſus Arianam
„ malitiam ſententiam promulgavit".

Neque eſt, cur Launojus reponat: hæc *non a Synodo, ſed in Synodo* dicta ab illo fuiſſe, *qui acclamationem Synodi recitavit*, remque non eſſe, *de qua Synodi Patres ſingillatim pronuntiaverint*, atque *novum, non vetus, quod de Sylveſtro acclamationi adjicitur, quia poſt annos CCCLV. adjicitur*. Antequam enim hujuſmodi Sermo Acclamatorius recitaretur (2), " San-
„ ctum Concilium dixit: Piiſſime, & tranquilliſſime Domine,
„ Sermonem Acclamatorium a Deo amabilem veſtrum poten-
„ tatum juxta morem compoſuimus: & ſi placuerit pietati ve-
„ ſtræ, hunc perlegi jubete. Conſtantinus piiſſimus Impera-
„ tor dixit: Acclamatorius Sermo, qui compoſitus eſt a ſan-
„ cto veſtro Concilio, deferatur, & legatur. Qui delatus eſt,
„ & in his ſermonibus relectus eſt". Unus ergo fuit, qui eumdem ſermonem legit; verumtamen totius Concilii nomine illum legit, atque non ſui tantum, ſed totius Concilii ſententiam in eo expreſſit. Novum autem, non vetus fuiſſe, quod de Sylveſtro acclamationi adjectum fuit, eo tantum ſenſu dici poteſt, ut VI. Œcumenicæ Synodi Patres, magis diſtincte expreſſerint, quam a Majoribus factum fuerat, qua ratio-

(1) Tom. 3. Concil. edit. Harduini colum. 1418., Concil. Conſtant. III. Act. 18. (2) Cit. loco colum. 1415.

ratione Synodus Nicæna convocata fuisset : non vero novum dici poteſt, quod novam ipſi rem confinxerint, atque ſuorum Majorum traditioni contrariam . Qui enim id affirmare auſerit, 174. Epiſcopos, qui ad hoc Concilium acceſſerunt, ſimul in hoc mendacio vel propter improbitatem, vel propter ignorantiam conſenſiſſe ? Quapropter quum Conſtantinus ille fuerit, qui, datis litteris, Epiſcopos ad Concilium vocavit ; mirandum non eſt, ſi hoc Concilium a Conſtantino convocatum fuiſſe, unanimiter traditum habeamus . Id enim ab eo factum recte dicitur, quod ut fieret, litteris ejuſdem conſtitutum fuit . Quamvis ergo ſua conſenſione, aut etiam adhortatione, Sylveſter quoque Nicænam Synodum congregaverit ; tamen pleroſque tradidiſſe memoriæ poſterorum, a Conſtantino Nicænam Synodum convocatam fuiſſe, nulla ipſius Sylveſtri habita mentione, argumento id eſſe nullo modo poteſt, Patres VI. Œcumenicæ Synodi, quod novum, & auctoritati majorum contrarium erat, affirmaſſe, dum in hoc negotio Sylveſtrum Conſtantino conjunxere.

Ruffinum autem calumniantem in quadam Synodo Hilarium excommunicatum fuiſſe, S. Hieronymus eum provocando ad deſignandam Synodum, in qua id peractum fuerat, lib. 2. contra eumdem num. 19. refellit . Quia vero plura Concilia antea indixerant Imperatores ; ideo Hieronymus illud quoque a Ruffino expetiit, ut ſibi Imperatorem indicaret, a quo ea Synodus, quam ipſe jactabat, convocata eſſet . Profecto ſi nos negaremus, aliqua Concilia ab Imperatoribus quandoque indicta fuiſſe;tunc ſane Hieronymi auctoritas æquo jure nobis opponi poſſet: verum hoc non negamus ſi factum attendatur & non jus,neque ullus eorum negat qui Imperatorum proprium non eſſe tuentur, Concilia Œcumenica congregare.

§. VII. Ex Œcumenica II. Synodo, ſeu Conſtantinopolitana I., jus convocandi Concilia Œcumenica proprium non eſſe Romani Pontificis, nullo modo colligi poteſt.

Quamvis ergo Jacobo Baſnagio in *Hiſt. Eccleſiæ* lib. 10. cap. 3. num. 2., & Samueli Baſnagio in *Annalibus Politico-Eccleſiaſticis* ad an. Chriſti 381. num. 3., atque Natali ab

Ale-



Alexandro ſeculo 4. *Diſſert. 36.* art. 1., & Thomaſſino *Diſſert. 6.* in Synodum Œcumenicam II. num. 1. conſentiamus, in hujus Synodi convocatione Damaſum nullam partem habuiſſe; tamen nihil inde ejus auctoritatis deperire contendimus, quam Romano Pontifici convocandi Œcumenica Concilia eſſe omnino tribuendam tuemur. His autem argumentis inducor, ut in hujus Synodi convocatione Damaſi auctoritatem nullo modo interveniſſe putem. Tam a Socrate lib. 5. cap. 8., quam a Sozomeno lib. 7. cap. 7., & Theodorito lib. 5. cap. 7., Theodoſium *ſuæ fidei Epiſcoporum Concilium*, *Epiſcoporum communionis ſuæ Synodum*, *Epiſcopos dumtaxat imperii ſui* convocaſſe accepimus, nullamque omnino partem in hoc negotio Damaſo tributam. Hujus deinde Concilii Patres in epiſt. ad Theodoſium *juxta litteras ejus* (1) Conſtantinopolim ſe conveniſſe teſtantur. Quod ſane cofirmat etiam Auctor anonymus vitæ S. Pauli, cujus excerpta Photius ſuæ Bibliothecæ Codice 257. inſeruit. His accedit, non Damaſum per ſe, aut per ſuos Legatos huic Synodo præfuiſſe, ſed alios, quibus id muneris Damaſus non commiſerat, tradunt Socrates lib. 5. cap. 8., Sozomenus lib. 7. cap. 8., atque ut alios omittam, Photius in libro *De Synodis*, qui ita habet: " Præſides (hoc Concilium) habuit Timotheum, qui
„ Alexandriæ ſedem, & admirabilem virum Meletium, qui
„ ſedem Antiochiæ, & Cyrillum, qui Hieroſolymorum ſe-
„ dem obtinebat. Nectarium præterea, qui nuper ab initia-
„ torum grege ſeparatus, & ablutis Divino lavacro vitæ ſor-
„ dibus, purus jam puriſſimam ſacri principatus dignitatem
„ ex communi Concilii conſenſu, & electorum ſuffragii ſi-
„ mul, & regiæ civitatis Epiſcopus, & Concilii Præſes de-
„ claratus eſt ". Qui etiam, facta mentione Gregorii Theologi, hæc ſuperaddit: " Quibus haud multo poſt & Dama-
„ ſus Epiſcopus Romæ eadem confirmans, atque idem ſen-
„ tiens acceſſit ". Alii ergo præter Damaſum, & non a Damaſo deputati, huic Concilio præfuerunt, Damaſuſque nonniſi aliquo poſt tempore confirmavit, quæ in eo decreta fue-

(1) Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 807.

fuerant. Esse autem hoc Concilium Damasi auctoritate aliquo modo convocatum, & simul ab eo aliquibus commissum non fuisse, ut suo illi nomine præsiderent, aliorum Œcumenicorum Conciliorum institutioni omnino repugnat.

Illud sane reponi non potest, hoc Concilium, Damaso consentiente, a Theodosio ea ratione, qua Nicænum, consentiente Sylvestro, convocatum fuisse. Nam Nicæno Legati Sylvestri præfuerunt, uti sequenti capite ostendemus, Legatorumque sententiam Patres sequuti fuere. Deinde Sylvestri consensum in Concilium Nicænum perspectum habemus (1): de Damasi autem consensu in Synodum hanc Constantinopolitanam nihil ex antiquitate novimus.

Baronius ad annum Christi 381. num. 19. hoc de Concilio convocando Damasum egisse apud Theodosium, illiusque propterea sententia hujusmodi convocationem factam fuisse, ex Sermone Acclamatorio Synodi VI. se colligere posse putat: hæc enim in eo Patres habuerunt (2): " Macedonius " spiritus negabat Deitatem, & Dominum, eumque conser- " vum prædicabat: sed maximus Theodosius Imperator, & " Damasus fidei adamas obstiterunt ". In pervetusto quoque Codice Bibliothecæ Vaticanæ, nec non in altero S. Mariæ Majoris, hæc scripta legi idem Eminentissimus testatur: " Sententiam de damnatione Macedonii, & Eunomii Dama- " sus confirmari præcepit etiam in sancta secunda Synodo, " quæ præcepto, & auctoritate ejus apud Constantinopolim " celebrata est ". Illud postremo affert a Nilo Metropolita Rhodiorum in Synoptica enarratione Conciliorum Generalium traditum esse, Damasum una cum aliis huic Synodo præfuisse, & ex Lucentio Vicario Apostolicæ Sedis in Chalcedonensi Concilio Act. 1. haberi: " Sine auctoritate Apostolicæ Sedis " Synodum nunquam factam esse, aut rite fieri non posse ".

Verum enim vero facile explicatur, quod a Patribus VI. Œcumenicæ Synodus in Sermone Acclamatorio traditum accepimus. Nam ex eo quod Damasus *haud multo post*, sicuti Pho-

(1) Præced. 6. (2) Tom. 3. Concil. edit. Harduini colum. 1418. Concil. Constantinop. III. Act. 18.

Photius affirmat, quæ contra Macedonium antea in Constantinopolitana Synodo decreta fuerant, confirmaverit, eum obstitisse Macedonio VI. Synodi Patres dicere recte potuerunt, etiamsi Damasus ad convocationem Synodi Constantinopolitanæ nullo modo concurrerit. Codices Mss., quos Baronius profert, quemadmodum Pagius animadvertit, " Ante octavum Ecclesiæ seculum exarati esse non videntur, & non potest esse suspecta, & dubia Codicum, licet pervetustorum fides, quibus Veterum omnium historicorum, & ipsius epistolæ Synodicæ a Patribus Constantinopolitanis ad Theodosium Imperatorem datæ refragatur fides ". Ut autem cum eodem Pagio prosequar, " Regulæ quidem Ecclesiasticæ Synodos facere, & decreta in Ecclesiis sancire absque Romani Pontificis auctoritate vetant; sed non prohibent absque ejus auctoritate Nationales Synodos, vel totius etiam Orientis Concilia convocari, quæ Œcumenica quidem non erunt vi convocationis ab Imperatoribus, Patriarchis, vel Metropolitis factæ; eorum tamen auctoritatem consequentur, si Romani Pontificis, & totius Occidentalis Ecclesiæ assensus accesserit ". Nilus autem hac quoque in re, sicut in aliis multis, hallucinatus fuit.

Ut ergo ad propositum nostrum nunc veniamus, quamvis ad convocationem hujus II. Œcumenicæ Synodi Damasus nullo modo concurrerit, nihil tamen inde ea de potestate detrahitur, quam Summus Pontifex in convocatione Œcumenicorum Conciliorum sibi propriam habet. Sui enim initio hæc Synodus Œcumenica non fuit. Ea namque jussu, & litteris Theodosii Imperatoris ex solis Episcopis Orientis convocata fuit, uti ex testimonio Socratis, Sozomeni, & Theodoriti loco supra citato novimus: & si quis Orientalium ad illam accessit (sunt enim qui de uno, aut altero id contendunt) tamquam gerens vices totius Ecclesiæ Occidentalis non accessit. Œcumenica ergo hæc Synodus tunc evasit, quando hanc illi dignitatem auctoritatemque Damasus, & tota Ecclesia Occidentalis sua assensione tribuit. Quapropter non est, cur quispiam sicuti Febronius facit *De Statu Ecclesiæ*

cap. 6.

cap. 6. *De Conciliis Generalibus* §. 2. num. 1. ex convocatione hujus Synodi, utpote quæ a Damaso facta nullo modo fuerit, esse sibi inferendum censeat, non spectare ad Romanum Pontificem Concilia Œcumenica convocare. Nihil ergo obstare, quin absque auctoritate Romani Pontificis ab Imperatoribus per indulgentiam, quæ erga illos habeatur a Patriarchis, & Metropolitanis, Synodus Nationales convocentur, quæ tamen Œcumenicæ evadent, si iisdem Romani Pontificis Occidentalisque Ecclesiæ consensus accesserit, hoc sane est, quod ex convocatione Concilii Constantinopolitani I. inferri potest. Non est ergo, cur uterque Basnagius hanc nobis Concilii convocationem opponant, ut evincant, non esse Romani Pontificis Concilia Œcumenica convocare. Et sane nullo modo assequi possum, qua ratione Samuel Basnagius, qui concedit, immo & tuetur, hanc Synodum Œcumenicam non fuisse, ex ejus convocatione inferendum a se esse duxerit, jus convocandi Œcumenica Concilia non esse Romani Pontificis.

§. VIII. Ex Synodo Ephesina, Œcumenica III. jus convocandi Œcumenica Concilia proprium non esse Romani Pontificis, nullo modo inferri potest.

Hoc sane est, quod inferunt tum Jacobus Basnagius in *Historia Ecclesiæ* lib. 10. cap. 4. num. 7., tum Samuel Basnagius in *Annalibus Politico-Ecclesiasticis* ad an. Christi 431. num. 8. Nos ergo hanc Synodum a Theodosio convocatam fuisse eis damus; verum id præstitisse Theodosium, Cœlestino non consentiente, atque annuente, immo etiam id poscente, nullo modo concedere possumus. Id autem antequam evincamus, hic iterum monemus, facti, & juris rationem distingui oportere, & quod jure quidem fit, sed tamen propter indulgentiam aliorum, confundendum cum eo non esse, quod fit jure proprio. Satis hac de re supra disseruimus. Est etiam advertendum, quemadmodum *De Conciliis*, *& Ecclesia* lib. 1. cap. 12, Bellarminus monuit, cum ea potestate, quam Summus Pontifex convocandi Œcumenica Concilia habet, stare posse, ut vel ipso consentiente, Concilium ab aliis indicatur, vel ab aliis semel indictum ipse ratum

habeat. De Cœlestini nunc mente inquiramus. Cœlestinum ergo in votis habuisse, ut Nestorius in cœtu Episcoporum damnaretur, si intra decem dies, quemadmodum a se illi præscriptum fuerat, suum errorem non abjiceret, ex ea epistola compertum est, quam idem Cœlestinus scripsit ad Joannem Episcopum Antiochenum (1). Quum vero in epistola ad Synodum Ephesinam a se data Patres gravissime moneat, ut simul congregati annuntient, quæ ab Apostolis *intemerata permanserunt*, atque *Catholicam fidem*; *& Ecclesiarum quietem* defendant, eaque de causa se ad illos dirigere dicat Arcadium, & Projectum Episcopos, & Philippum Presbyterum, *qui iis*, *quæ aguntur*, *intersint*, *& quæ antea ..... statuta sunt*, *exsequantur* (2), inde nemo non videt, Cœlestinum hujus Concilii convocationem omnino comprobasse. De eadem quoque re ex ea epistola constat, quam Cœlestinus ad Theodosium dedit (3). In ea enim laudat sollicitudinem Theodosii in defensione Catholicæ fidei, quia hanc Synodum Ephesinam convocaverat. Tandem in epistola ad Cyrillum (4): „ Indifficulter est (inquit) Ecclesiarum, & Catholicæ fidei „ speranda tranquillitas, quando pro hac laborare Christianissimos Principes videmus". Quid? Nonne Basilius Diaconus, & Archimandrita, ac reliqui Monachi, qui pro defensione Catholici dogmatis adversus Nestorium cum Cœlestino, & Cyrillo pugnabant, in suis ad Theodosium litteris eumdem rogarunt, ut Œcumenicam Synodum cogi curaret (5)? " Vestra proinde Majestas (inquiebant) efficiet, „ ut Sacra, & Œcumenica Synodus primo quoque tempore „ huc coeat; quo, hac præsente, Christus sanctissimam „ hanc Ecclesiam, uniat, populumque in unum reducat, „ ac Sacerdotes sinceræ fidei prædicatores, priusquam impia „ illa doctrina latius serpat, loco suo restituat". Nonne Sanctum quoque Cyrillum rogasse Theodosium, ut Synodus Ephesi

(1) Tomo 1. Concil. edit. Harduini colum. 1326. Par. 1. Concil. Ephes. cap. 14. (2) Cit. loco colum. 1471. (3) Cit. loco colum. 1473 (4) Cit. loco colum. 1474. (5) Tomo 3. Concil. edit. Venet. Par. 1. Concil. Ephes. cap. 30. num. 4.

Ephesi cogeretur, Evagrius in sua Historia lib. 1. cap. 3. tradit? Nimis ergo manifestum est, tam Cœlestinum, quam eos omnes, qui Cœlestino adhærebant, de ea re quam maxime sollicitos fuisse, ut Œcumenica Synodus haberetur, ac propterea Cœlestino non solum consentiente, sed etiam plaudente, Synodum Ephesinam, Œcumenicam III., a Theodosio convocatam fuisse. Quia vero, uti supra dicebamus, factum a jure distinguendum est, & quod fit jure propter indulgentiam aliorum confundi cum eo non debet, quod proprio jure peragitur; propterea nihil deperit de eo jure, quod Summus Pontifex convocandi Concilia Œcumenica habet, dum consentit, ut alius ea convocet, iisdemque semel convocatis vel per se, vel per alios præsidet; ideo quum hæc habeamus in Ephesina Synodo, de qua nunc agimus, dicendum est ex convocatione ejus colligi non posse, jus convocandi Concilia Œcumenica proprium non esse Romani Pontificis. Quod ergo nullo modo debet ex convocatione Synodi Ephesinæ, Œcumenicæ III., uterque Basnagius infert, quia jus a facto non distinguunt, sicuti etiam Febronius facit (1).

§. IX. Etiam ex convocatione Synodi Chalcedonensis, Œcumenicæ IV., nihil æquo jure colligi potest contra auctoritatem Œcumenicorum Conciliorum convocandorum, quæ est propria Romani Pontificis.

Illud nunc primo loco est refellendum a nobis, quod Samuel Basnagius in *Annalibus Critico-Ecclesiasticis* ad an. Christi 325. num. 11. ex Leone opponit; hoc est, Leonem rogasse Theodosium, ut Synodus in Italia haberetur, certe non rogaturus, sicuti ipse Basnagius inquit, si penes se Œcumenicorum Conciliorum convocandorum auctoritatem esse putasset.

Verum non hac de causa, sed alia sane, Leo a Theodosio petiit, ut Concilium in Italia fieret. Summus Pontifex intellexerat, Theodosium fraude aliquorum alienatum a veritate fuisse, atque circumventum suggestionibus improborum favere iis, quæ in Ephesina Synodo gesta fuerant: illud

 quo-

(1) *De Statu Ecclesiæ* cap. 6. *De Conciliis Generalibus* §. 2. num. 2.

quoque noverat, hac in Synodo omnia fine ordine, immo cum vi peracta fuiffe. Ut ergo qua faciliori, atque etiam leniori ratione fieri poterat, & Impetatorem Theodofium a pravis fuggeftionibus aliquorum extricatum ad rei veritatem cognofcendam adduceret, iifque fimul malis occurreret, quæ non fine violentia illata in Ephefina Synodo contigerant, ut Concilium in Italia haberetur S.Leo Imperatorem Theodofium rogandum putavit, quod ficuti ipfe inquiebat in epiftola ad eumdem Theodofium (1) omnes offenfiones " Aut repellat, aut mitiget, ne ultra aliquid fit vel in fide dubium, vel in charitate
" divifum; convenientibus utique Orientalium provinciarum Epifcopis, quorum fi qui fuperati minis, atque injuriis a veritatis tramite deviarunt, falutaribus remediis in integrum revocentur: ipfique, quorum eft caufa durior,
" fic confiliis melioribus acquiefcant, ut ab Ecclefiæ unitate
" non excidant..... Favete Catholicis veftro more, parentumque veftrorum, date fidei defendendæ libertatem ".
Et in epiftola ad Pulcheriam Auguftam: (2) " Quia (inquit)
" diffenfionis fcandalum non abftuliffet, fed auxiffet Ephefina Synodus; habendo intra Italiam Concilio, & locus
" conftitueretur, & tempus, omnibus querelis, & præjudiciis partis utriufque fufpenfis, quo diligentius univerfa,
" quæ offenfionem generaverant, retractentur; & abfque
" vulnere fidei, abfque religionis injuria in pacem Chrifti
" redeant, qui per impotentiam fubfcribere coacti funt Sacerdotes, & foli auferantur errores ". Suo quidem jure utens in Italia Concilium Œcumenicum S. Leo cogere poterat, quemadmodum ipfe neceffarium effe ducebat, ut fuus hoc in Concilio foret libertati locus: at facile inde valde timendum erat, ne Theodofius, qui impii Diofcori, & aliorum deceptione circumventus jam firmaverat, quæ per vim, atque fumma cum impietate decreta fuerant in II. Ephefina Synodo, eaque propterea *latrocinium Ephefinum* vocari confuevit, timendum, inquam, erat, ne Theodofius Orientales impediret, ut ad hanc Synodum in Italia celebrandam accede-

(1) Juxta editio: Cacciarii 40. (2) Juxta eamdem edit. 42.

derent, atque ita multi eorum, qui propter vim in errorem consenserant, salutaribus remediis in integrum non revocarentur. Ut ergo Sanctissimus Pontifex id mali impediret, atque non minus Theodosio prospiceret, quam aliis, qui in Ephesina Synodo deflexerant a tramite veritatis, & in Flaviani Sanctissimi Viri condemnationem consenserant, prout poterat, summo jure agere non voluit, sed Theodosium a se monendum putavit, ne Synodum in Italia convocari moleste ferret. His, quæ Chalcedonense Concilium præcesserunt, semel expositis, nunc de illius convocatione agamus.

Marcianus quidem fuit, qui IV. Synodum Œcumenicam Nicææ primo, deinde vero Chalcedone suis litteris congregavit (1); verum hoc, non solum annuente, & consentiente, sed etiam suadente S. Leone, fecit. Et re quidem vera Marcianum hanc Synodum convocasse ea *Sacra* dubitare non sinit, quam idem Marcianus dedit ad omnes Episcopos, ut ad Synodum convenirent: (2) " Quia igitur (in ea inquit) dubitationes quædam circa orthodoxam fidem motæ sunt, sicut indicant Sanctissimi Archiepiscopi Romæ Leonis, placuit nobis proprie sanctum Concilium fieri in Nicæa Bythiniæ civitate . . . . . Unde tua Sanctitas cum quantis approbaverit Reverendissimis Episcopis sub Sacerdotio constitutis Sanctarum Ecclesiarum expertas habentibus Divinas Scripturas, & in scientia, & in doctrina orthodoxæ fidei præ cunctis eminentibus ad memoratam Nicænam civitatem proximis Kalendis Septembris advenire festinet ". Idem constat ex epistola, quam Valentinianus, & Marcianus ad Anatolium Præsulem Constantinopolitanum dederunt (3). Quum vero inter hæc perturbari Illyricum ob metum imminentium barbarorum a Præfectis provinciarum Marcianus accepisset, Concilium esse Chalcedonem transferendum duxit, litterisque datis ad Patres Nicææ convocatos, eos monuit, ut Chalcedonem

(1) Id Febronius urget *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. *6. De Conciliis Generalibus* §. 2. num. *9*. (2) Tom. 4. Concil. edit. Venet. colum. 838. par. 1. Concil. Chalced. (3) Citato loco colum. 839.

nem sese conferrent (1). Unde suo, & Valentiniani nomine scribens, ita ad illos " Si placet pietati vestræ, ad Chal„ cedonensem civitatem transire dignemini. Illic enim ex„ curremus, licet hìc nos publicæ causæ retineant". Verum non est, cur rem istam pluribus suadeamus, quum Patres in singulis pene Actionibus Concilii Chalcedonensis dicant: *Ex decreto piissimorum, & fidelissimorum Imperatorum Valentiniani, & Marciani: secundum sacram præceptionem: secundum sacram sanctionem: secundum constitutum piissimorum, & Deo amantissimorum Principum* se in unum simul convenisse, & Marcianus Chalcedone congregatos ita alloquutus fuerit (2): „ Qua de re sanctam Synodum hoc videlicet proposito fieri „ studuimus, & vobis laborem indixisse videmur, quatenus „ omni errore, atque caligine detersa, prout se Divinitas „ hominibus manifestare voluit, & doctrina Patrum ostendit, „ Religio nostra, quæ pura, atque sancta est, universorum „ mentibus insinuata, suæ virtutis luce fulgeat".

Non est tamen minus perspicuum, annuente, & consentiente, immo & suadente S. Leone, hanc Synodum a Marciano convocatam fuisse. Inquit enim S.Leo in epistola ad Marcianum: (3) " Poposceram a gloriosissima Clementia ve„ stra, ut Synodum, quam ad reparandam Orientalis Eccle„ siæ pacem etiam a nobis petitam necessariam judicatis, ali„ quantisper differri ad tempus opportunius juberetis, ut li„ berioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Epi„ scopi, quos hostilitatis metus detinet, convenirent. Sed „ quia pro studio humanis negotiis Divina præponitis, & „ rationabiliter, ac religiose regni vestri viribus creditis „ profuturum, si nulla sit in Sacerdotum sensibus dissonan„ tia, nulla sit in Evangelii prædicatione discordia, ego „ etiam vestris dispositionibus non renitor; optans ut in „ omnium cordibus Catholica fides, quæ non potest nisi una „ esse, firmetur". Et in altera ad Marcianum: (4) " Sana„ tum

(1) Citato loco colum. 846. (2) Citato tom. colum. 1472. par. 2. Concil. Chalced. Act. 6. (3) Secundum edit. Cacciarii 74. (4) Secundum eamdem edit. 75.

„ tum (inquit) Clementiæ vestræ studium, quo ad reparationem pacis Ecclesiasticæ Synodum haberi voluistis, adeo libenter accepi, ut quamvis eam fieri intra Italiam poposcissem, & aptius expectari tempus optassem, quo scilicet plurimi possent Episcopi etiam de longinquioribus provinciis evocari; mox tamen ut mihi Pietatis vestræ scripta sunt tradita, & Bonifacium de compresbyteris meis ab urbe direxerim, & de Episcopis fratrem meum Paschasinum de Sicilia fecerim navigare, qui vicem meam sufficienter implerent". Tandem in epistola ad Patres in Synodo Chalcedonensi congregatos (1) affirmat, quod "Generale Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, & ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari". Quin ergo S. Leo in hujus Synodi convocationem consenserit, nullo modo dubitari potest, atque etiam illius suasorem fuisse, æque certum est. Nam S. Leo ad prospiciendum iis malis, quæ in Ephesino latrocinio commissa fuerant, ut Synodum in Italia haberi pateretur, Theodosium iterum iterumque rogavit (2). Ut ergo satisfaceret petitioni ejus Marcianus Synodum Nicææ congregari jussit, quemadmodum Liberatus in *Breviario* cap. 13. his verbis tradidit: "Sed eo „ defuncto, (Theodosio) quum Marcianus imperii culmen fuisset adeptus, pro illa Papæ, & Principum Romanorum petitione universale Concilium in Nicæa celebrari jussit: ubi occurrentibus sexcentis triginta Episcopis, & eis sedentibus, Legati Papæ Leonis Marcianum petierunt, ut suam præsentiam præstaret Concilio: alioquin, ipso absente, ad Concilium non occurrerent: & ita jussit Imperator Synodum transferri Chalcedonem, ut de proximo ad Concilium veniens, eorum impleret petitionem". Quod ergo Marcianus in hujus Concilii convocatione gessit, annuente, atque etiam suadente Sancto Leone, gessit, ac propterea Marcianus hanc Synodum æquo quidem jure convocavit, non tamen sibi proprio, sed aliunde ei aliena

con-

(1) Juxta eamdem edit. 89. (2) Vide epist. ejus 40. 41. & 53. juxta eamdem edit.

concessione, atque consensione, hoc est, Sedis Apostolicæ, tributo. Hinc S. Leo in epistola ad Marcianum: (1) " Unde „ piissime sollicitudini vestræ, (inquiebat) quam de indi- „ cenda Synodo habere dignamini, per legationem, quæ „ confestim ad clementiam vestram, Deo annuente, perve- „ niet, quidquid ad causæ utilitatem arbitror pertinere, „ plenius, atque opportunius suggeretur ". Consensum autem Apostolicæ Sedis talem fuisse, qualis ab eo requiritur, qui concedit alteri potestatem ejus rei faciendæ, quam suo ipse jure solus facere potest, inde constat, quia quum S. Leo factam Concilii convocationem ex Marciano audivisset, statim, sicuti ex ejus epistola ad Marcianum habemus (2), nonnullos misit, qui suo nomine Concilio præsiderent. Nam ut unus sibi facultatem tribuat præsidendi ei cœtui, qui ab altero est propria auctoritate convocatus, nulla ratio patitur; ut vero quispiam præesse velit illi cœtui, qui est quidem convocatus ab altero, non tamen propria auctoritate, sed se annuente, atque consentiente, utpote qui in hanc rem propriam jurisdictionem habet, non solum recta ratio patitur, sed etiam requirit; ac propterea semel ac id faciat, argumento esse debet, sui auctoritate peractam convocationem illius cœtus, cui præsidet. Est ergo manifestum etiam ex convocatione Synodi Chalcedonensis, Œcumenicæ IV., nihil æquo jure colligi posse contra illam auctoritatem Conciliorum Œcumenicorum convocandorum, quæ est propria Romani Pontificis.

§ X. Contra eamdem auctoritatem non facit, quod in convocatione V. Œcumenici Concilii, Constantinopolitani II, contigisse legimus.

Hanc Synodum Justinianum indixisse, ut in ea tria capitula condemnarentur, nullus est dubitandi locus. Id enim ex *Sacra* Justiniani, quæ in prima *Collatione* lecta fuit, omnino perspectum habemus (3). Etiam ab Evagrio lib. 4. *Histor. Eccle-*

(1) Juxta eamdem edit. 63. (2) Vide locum ejus supra ex epist. 75. (3) Tom. 6. Concil. edit. Venet. colum. 19. *Collatione* 1. Concil. V. Generalis.

Ecclesiast. cap. 37. traditum accepimus, quod *Justinianus V. Concilium convocavit*, & Nicephorum lib. 17. *Histor. Ecclesiast.* cap. 27. " Imperator Justinianus (inquit) Sanctam Œcume-
" nicam Synodum, Episcopis Ecclesiarum omnium convoca-
" tis, coegit ". Non consentiente autem, sed renuente Vigilio Summo Pontifice, eam Justinianus coegit. Primo quidem Vigilius consensit, ut hæc Synodus haberetur, sicuti constat ex ea epistola, quam ad Eutychium Patriarcham Constantinopolitanum, & Episcopos illi subjectos dedit (1). Id etiam Justinianus in sua *Sacra* ad Synodi Patres aperte innuit (2). Postea tamen repugnavit Vigilius, ut Synodus haberetur: nam tum Legatis sibi primo a Patribus Concilii, tum aliis deinde ab Imperatore missis, eumque rogantibus, ut Synodo adesse dignaretur, nullo modo annuere voluit (3). Inde vero Synodo sese interesse nolle Vigilius affirmavit, quia *plurimi essent Orientales Episcopi, pauci vero Occidentales cum eo* (4). Ex quo constat, ea antea conditione Vigilium in Synodum consensisse, si in illa Latinorum, & Orientalium Episcoporum æqualis numerus, vel saltem prope æqualis assideret. Sicuti vero Vigilius, ita etiam Episcopi, qui spectabant ad Patriarchatum illius, & tunc Constantinopoli degebant, Synodo adesse renuerunt. (5) " Porro (uti recte mo-
" net Petrus de Marca in *Dissertatione de Vigilii decreto pro
" confirmatione V. Synodi* num. 10.) canonica Synodus esse non
" poterat, quæ juxta morem in aliis Synodis Œcumenicis
" observatum non constabat ex legatis omnium provinciarum
" Ecclesiasticarum. Neque esse quod objicerent, paucos ce-
" teris Conciliis interfuisse Occidentales Episcopos, quum
" ex actis Synodicis constet, illos gessisse vices Romani Pon-
" tificis, & totius Concilii Diœceseos Occidentalium. Qui
" mos tanto studiosius observari debebat in hac causa, quod
" de scandalo Occidentalibus illato agendum erat; eaque
" esset

(1) Cit. tomo colum. 31. *Collatione* 1. ejusdem Concil. (2) Cit. tomo colum. 24. *Collatione* 1. ejusdem Connil. (3) Cit. tom. colum. 31. & 38. *Collatione* 2. ejusdem Concil. (4) Cit. tom. colum. 32. *Collatione* 2. ejusdem Concil. (5) Cit. tomo colum. 40. *Collatione* 2. ejusdem Concil.

„ esset Romanæ Ecclesiæ consuetudo, ut, vocatis iis, quorum intererat, offensiones amoveret, quemadmodum docent Leonis I. epistolæ ad Legatos in Orientem missos. Et „ in hac causa sæpe Vigilius professus fuerat iis verbis, quæ „ Cleri Romani epistola continentur: *Sine consensu omnium*, „ inquit Vigilius, *ista, quæ & Synodum Chalcedonensem in dubium venire faciunt, & scandalum fratribus meis generant, solus facere nullatenus acquiescam*. Quare interpellatus iterum „ a Patriciis, quos Imperator delegerat, & ab Episcopis nomine Synodi spopondit intra dierum aliquot spatium, „ quod sibi de controversia videretur, ad Imperatorem scripto transmissurum. Non est ergo quod viri eruditi eam causam prætendant absentiæ Vigilii, quod Summi Pontifices adesse non solerent in Conciliis Generalibus; quum „ vera causa petenda sit ex eo, quod conventum imperfectum „ noluerit præsentia sua Œcumenicum reddere in offensionem „ Occidentalium “.

Synodus ergo V. neque Œcumenica in sui initio fuit, neque consentiente Vigilio celebrata. Nam, uti in secunda *Collatione* habetur, quum Legati ad Vigilium missi intellexissent, non velle illum simul cum aliis in unum convenire ad expediendam quæstionem de tribus capitulis, hæc ad eum habuisse leguntur: (1) “ Si non vultis secundum ea, quæ nobis in scriptis placuerunt, convenire, cognoscat vestra „ Beatitudo, quod oportet nos in unum convenientes nostram manifestare voluntatem “. Deinde in 2. *Collatione* expositum fuit, quid tum ad priorem, tum ad alteram legationem Vigilius respondisset: quumque constitisset, Vigilium Synodo interesse nullo modo velle; tunc *Gloriosissimi Judices* hæc ad Patres habuerunt: (2) “ Nos hoc, quod jussi sumus „ a piissimo Imperatore, implevimus, & imus ad sacrum „ ejus palatium in obsequium ejus permansuri. Vos autem „ Dei timorem præ oculis habentes, celerem finem causæ „ imponere dignamini, convenientem his, quæ a quatuor „ san-

(1) Cit. tomo colum. 36. *Collatione* 2. ejusdem Concil. (2) Cit. tomo colum. 36. *Collatione* 8. ejusdem. Concil.

„ sanctis Conciliis de una eademque fide definita sunt ". Hinc vero est, quod Græci Patres simul uniti primo *Collatione* III. quatuor Œcumenicorum Conciliorum fidem, & definitiones professi fuerint, deinde *Collatione* IV. & seqq. de tribus capitulis examen instituerint. Nemo ergo non videt, repugnante Vigilio, hanc Synodum a Græcis Patribus habitam fuisse. Quid? Nonne Vigilius in suo *Constituto*, quod ad Justinianum misit, quodque Justinianus utrum ante Synodi finem acceperit, an vero acceptum occultaverit, ne propter illud trium capitulorum damnatio retardaretur, incertum est, inter alia edixit & Theodorum damnari non posse, quia in Ecclesiæ pace obiisset, & nihil in causa Theodoreti, & Ibæ innovandum esse (1), contra ac a Patribus in VIII. *Collatione* decretum fuit? Synodo itaque Vigilium assensum non fuisse, nimis multà suadent. Quoad usque ergo res Synodi istius in hoc statu perstiterunt, non solum illa Œcumenica non fuit, sed neque etiam auctoritatem habuit, quum in illius VIII. *Collatione* tria capitula damnata fuerint, contra ac Vigilius in suo *Constituto* decrevit. Verum res hujus Concilii non semper in eodem statu perstiterunt: nam Vigilii potestate, atque approbatione, sicuti etiam aliorum Romanorum Pontificum, factum postea fuit, ut ea Œcumenica evaserit, & auctoritatem apud universam Ecclesiam obtinuerit. Quo sane semper magis magisque comprobatur, quod nos modo volumus.

Synodum V. igitur deinde Vigilius approbavit, & quidem non exilii tædio fractus, aut post longum tempus, sed eodem anno, quo illa habita fuit. " Vigilium (inquit Norisius in *Dissertatione Historica de V. Synodo* cap. 8.) nec statim „ approbasse Concilium, & ob id in exilium pulsum omnes „ Scriptores Latini Anastasium sequuti memoriæ prodiderunt, „ addentes eumdem Romanæ Sedis repetendæ desiderio ad „ subscriptionem tandem inflexum ". Illud quidem ab Evagrio, qui Synodi Acta legerat, traditum habebatur lib. 4. *Ecclesiast. Histor.* cap. 36. quod " Vigilius per litteras consen- „ sit Concilio, non tamen interesse voluit "; verum hæ lit-

 teræ

(1) Eodem tomo colum. 1317.

teræ multorum ſpatio ſeculorum nemini innotuerunt, eaſque felici ſane auſpicio Petrus de Marca in Regia Bibliotheca adinvenit, fecitque publici juris, præmiſſa eis de Synodo V. diſſertatione. In his ergo Vigilius, quæ pro trium defenſione capitulorum opinatus fuerat, omnino revocat, atque in hoc S. Auguſtini exemplum ſe ſequi profitetur: " Si in omni ne-
„ gotio (inquit) ſapientiæ ratio poſtulat, ut id, de quo quæ-
„ ritur, retractetur, neque pudori eſſe debet, quum ea,
„ quæ ab initio omiſſa, ſtudio deinde veritatis inveniuntur,
„ in publicum eduntur; quanto magis Eccleſiaſticis diſputa-
„ tionibus convenit, eamdem rationem in illis quoque ob-
„ ſervari; præcipue quum manifeſtum ſit Patres noſtros, &
„ maxime Beatiſſimum Auguſtinum, qui in Divinis Scriptu-
„ ris claruit, Romanæ eloquentiæ magiſtrum, propria ſcripta
„ retractaſſe, dictaque ſua correxiſſe, atque illa, quæ omi-
„ ſerat, ac deinde invenerat, addidiſſe". Omnem ſe deinde diligentiam adhibuiſſe teſtatur, ut quid de tribus capitulis juxta Patres ſentiendum eſſet, aſſequeretur. Demum plurimorum errorum Theodori facta commemoratione, nec non ſcriptorum Theodoreti contra S. Cyrillum, itemque epiſtolæ Ibæ Edeſſeni, ita ſtatuit: " Quæ vero aut a me, aut ab aliis
„ ad defenſionem trium prædictorum capitulorum facta ſunt,
„ præſentis hujus ſcripti noſtri definitione evacuamus". Quum vero epiſtolæ ſubſcriptio talis ſit: "Data ante VI. Idus Decembres
„ Imperii Domini noſtri Juſtiniani Æterni Auguſti anno XXVII.
„ Poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno XII."; conſequens inde fit, ante finem anni Synodum a Vigilio fuiſſe confirmatam, quemadmodum Noriſius ſapientiſſime collegit, atque errorem tum Chriſtiani Lupi in *Adnotationibus* ad V. Synodum, tum Sirmondi in *Synopſi Chronologica* ad libros Facundi, auctoritate Victoris Turonenſis contendentium, Vigilium in exilio quinquennium degiſſe, detexit, & teſtimonio *Sanctionis* Juſtiniani, quæ poſt ejus *Novellas* legitur, ſicut etiam plurimarum epiſtolarum Pelagii, ſucceſſoris Vigilii, ad Childebertum Regem Francorum, omnino confutavit.

Idem vir eruditiſſimus illud quoque præſtitit auctoritate Scri-

Scriptorum tum Latinorum, tum Græcorum, Vigilium neque etiam ſpatio ſex illorum menſium, qui ab abſoluta Synodo uſque ad tempus confirmationis ab eo factæ interceſſerunt, exulaſſe, ac propterea hiſtoriæ veritati omnino opponi, Vigilium tandem exilii tædio fractum in trium capitulorum damnationem conſenſiſſe, quemadmodum nonnulli voluerunt (1).

Confirmata autem Synodus V. fuit non ſolum a Vigilio, ſed etiam a Pelagio, atque ab aliis ſubinde Pontificibus. Hac in re ut diutius immoremur (ſemel ac enim de ea agere inſtitueremus, non immorari diutius non poſſemus) inſtituti noſtri ratio non patitur. Eſt ea multis a ſapientiſſimo Noriſio jam demonſtrata in citata Diſſertatione cap. 9. § 1. & ſeqq., ac locupletiſſime propugnata contra Garnerii oppoſitiones ab eruditiſſimis Balleriniis fratribus in *Defenſione Diſſertationis Noriſianæ* cap. 7.

Poſt hæc omnia duo animadvertenda cenſemus: prius ſpectat ad Vigilii prudentem diſpenſationem, dum contrarius erat condemnationi trium capitulorum, alterum vero reſpicit ejuſdem Vigilii auctoritatem in condemnatione trium capitulorum. " Denique (ſicuti Thomaſſinus recte habet „ diſſertatione 19. *in V. Synodum Œcumenicam* num. 6.) Vigi„ gilii diſpenſationem, & incredibilem quamdam ſapientiæ „ temperiem illud arguit, quod extremo *Conſtituto* ſuo etſi „ promat ſententiam illam ſuam, cui medullitus ſemper in„ hæſerat, de non damnandis capitulis; abſtinet tamen ab „ anathemate vel intorquendo, vel interminando. Con„ ſcius nempe nihil intereſſe, utram in partem declinetur, „ dum ſcandala ſileant, & pax redintegretur Eccleſiæ". Dum vero Græcos Patres ſimul congregatos fuiſſe comperiit ad damnationem trium capitulorum, eoſdem monuit, ne ante ſuam ſententiam quidquam hac de re ipſi definirent, & dum poſtea conſenſit in damnationem trium capitulorum, id ſe facere non ductum auctoritate Concilii, ſed propria, manifeſte præſetulit " Sed & ipſe Vigilius (æque ſemper re„ cte

(1) Vide Noriſium cit. loco.

„ &c Thomassinus in citata Dissertatione num. 100. & seq.)
„ impetratis a Principe viginti dierum induciis, intra quos
„ sententiam suam scriptis explicaret, Pelagium Diaconum
„ ad Episcopos misit, ut eos moneret, ne ante promulga-
„ tionem sententiæ suæ quidquam ipsi præverterent defini-
„ re, *Antiquum, & regularem custodientes ordinem, ne ante*
„ *nostræ, hoc est, Sedis Apostolicæ, cui per Dei gratiam præside-*
„ *mus; promulgationem sententiæ quidquam proferre tentarent,*
„ *unde scandali rursus, quæ sopita fuerat, oriri posset occasio*: uti
„ in ejus *Constituto* habetur. Quid quod in epistola per illu-
„ strissimum Petrum de Marca evulgata nec verbulo quidem
„ saltem uno Synodum V. commemorat, quod nempe non
„ exæquato, ut conventum fuerat, Occidentalium cum
„ Orientalibus numero habita esset, eique ea de causa ipse
„ nec accessisset, nec consensisset? At tria capitula Vigilius
„ suo decreto, & suæ sedis auctoritate condemnat, Synodi
„ vitia dissimulans, & ulciscens hoc suo silentio. Nec fra-
„ ctum se auctoritate Synodi cessisse, sed veritatem, quæ
„ prius latebat, sibi illuxisse sæpius testificatur. Sed quum
„ damnationi trium capitulorum, & Synodo adversaretur
„ cum Romano Pontifice totus occidens, nondum ea utique
„ tunc poterat Œcumenica Synodus existimari, a qua tanta
„ Ecclesiæ portio & abfuisset, & diffideret. Quum ergo in-
„ duerit illa tum demum Œcumenici Concilii auctoritatem,
„ quum Occidentalis Ecclesiæ accrevit ei consensio, quis
„ hujus vel signifer, vel auctor fingi potest alius, quam Ro-
„ manus Pontifex? Testatum id faciunt epistolæ Romanorum
„ Præsulum quoquoversus sparsæ, quibus denique ii etiam,
„ qui secessionem fecerant, recollegerunt se in matris sinum
„ Catholicum". Ex his autem omnibus esse illud, quod
modo volumus, omnino perspicuum arbitramur, hoc est, ex con-
vocatione V. Œcumenici Concilii nihil colligi posse contra
auctoritatem convocandorum Œcumenicorum Conciliorum,
quam Summus Pontifex sibi propriam habet. Id tamen *De*
Statu Ecclesiæ &c. cap. 6. *De Conciliis Generalibus* §. 2. num. 3.
Febro-

Febronius colligit, indeque colligit, quia Justinianum hanc Synodum convocasse legimus.

§.XI. Idem judicium ferendum est de convocatione Œcumenicæ VI. Synodi, Constantinopolitanæ III.

Synodum VI. Œcumenicam Constantinus Pogonatus quidem convocavit, attamen re communicata cum Romano Pontifice, eoque consentiente. Nemo enim melius novit, a quo hæc Synodus indicta fuerit, quam ii Patres, qui eidem interfuerunt: at vero Patres in omnibus Actionibus Synodi *secundum Imperialem sanctionem* se congregatos dicunt: & in epistola Synodica ad Agathonem hanc inscriptionem posuerunt: (1) " Sanctum, & universale Concilium, quod per Dei " gratiam, & piam sanctionem piissimi, ac fidelissimi Magni " Imperatoris Constantini congregatum est in hac a Deo con" servanda, & Regia Constantinopoli nova Roma in secreto " sacri palatii, dicto Trullo, Sanctissimo, ac Beatissimo Pa" pæ senioris Romæ Agathoni in Domino salutem ". Patres ergo, indicente Constantino Pogonato, in hanc Synodum convenisse, dubitari non potest.

Neque est etiam de eo dubitandum, utrum hæc Synodus, consentiente Romano Pontifice, a Constantino Pogonato convocata fuerit. Hæc enim leguntur in *Sacra* Imperatoris, quæ ad Donum Papam missa fuit (2): " Postquam igitur " tempus non recipit perfectam congregationem fieri, ad" hortamur vestram paternam Beatitudinem per præsentem " nostram piam sacram, dirigere viros utiles, ac modestos, " notitiam habentes totius a Deo inspiratæ doctrinæ, & peri" tiam irreprehensibilem habentes dogmatum, indutos per" sonam vestræ Apostolicæ Sedis, ejusque Concilii ". Nam, uti animadvertit Christianus Lupus *Dissertatione de VI. Synodo Generali* cap. 6. " Saraceni omnem Ægyptiacam, Africanam, " ac Syriacam Diœcesim obtinebant: adesse perinde non po" terant omnes Patriarchæ, ac Episcopi, & plena fieri Syno" dus, ideoque Princeps ex Occidente, & Septentrione ro" gabat

(1) Tom. 7. Concil. edit. Venet. colum. 1110. (2) Citato tomo colum. 618.

„ gabat mitti Episcopos, & doctos multos. Mitti rogat Legatos duplices: alios solius Domini Papæ, seu Apostolicæ Sedis, alios Synodi ejus Patriarchalis, habentes auctoritatem totius Ecclesiæ Occidentalis, Meridionalis, & Septentrionalis". Unde Imperator in sua *Sacra* ita pergit: " Personas, quæ dirigentur a paterna vestra Beatitudine ita decernat: ex vestra quidem sancta Ecclesia, si utique videtur ei, tres personæ sufficient; quod si & plures, quantæ ei placuerint, dirigat: de Concilio vero usque ad duodecim Metropolitas, & Episcopos, de quatuor vero Monasteriis Byzantinis ab utroque Monasterio Monachos quatuor". Alteram quoque *Sacram* idem Imperator dedit ad Georgium Constantinopolitanum Archiepiscopum, in qua licet eum adhortetur, ut congreget Metropolitas, qui ad Sedem illius pertinerent, tamen etiam jussionem simul adjungit (1): " Necessarium judicavimus (inquit) præsenti nostra pia sacra ad vestram Beatitudinem uti, per quam adhortantes eum, sancimus congregare paternam vestram Beatitudinem omnes, qui ad ejus sanctissimam Sedem pertinent, sanctissimos Metropolitas, & Episcopos in hanc a Deo conservandam nostram Regiam urbem, quatenus, cooperante omnipotente, & misericordi Deo nostro, diligentissima inquisitio dogmatis fiat..... Innotesces quoque super hoc & Macario Venerabili Archiepiscopo Antiochenæ magnæ civitatis, quatenus & ipse de propria Synodo amabiles Metropolitanos, & Episcopos præparatos faciat pro hoc ipso huc congregari". Post hæc vero eumdem monet, Romanum Pontificem suis obsequutum precibus,& misisse vice sui ad Synodum Theodorum, & Georgium Presbyteros, & Joannem Diaconum: „ Jam enim (ait) super hos adhortati sumus per nostros pios apices adhuc inter vivos existentem Donum sanctissimum Apostolicæ Sedis antiquæ Romæ Præsulem; & illo de hoc seculo migrante, Agatho sanctus nuper ordinatus Papa in Apostolica Sede prædictæ antiquæ Romæ, hujusmodi nostros pios suscipiens apices, destinavit in præsenti propriam „ ejus

(1) Cit. tomo colum. 622.

„ ejus indutos personam, Theodorum, & Georgium Deo „ amabiles Presbyteros, & Joannem Diaconum: ex persona „ vero totius ejus Concilii Joannem, & Abundantium, & „ & Joannem venerabiles Episcopos, cum ceteris Clericis, „ & Monachis". Consentiente ergo Romano Pontifice VI. Synodum Œcumenicam Constantinus Pogonatus indixit, ac propterea, quemadmodum supra est jam ostensum a nobis, ob hujusmodi convocationem ab Imperatore factam nihil eo de jure detrahitur, quod in rem istam habet Summus Pontifex. Quando enim unus id facit, quod licet sibi proprio jure non conveniat, facit tamen, altero consentiente, qui id juris habet, ipse non invadit jus alterius, atque istud integrum sartumque servatur.

Jacobus Basnagius in *Historia Ecclesiæ* lib. 10. cap. 7. §.8. contendit, in hujus Synodi convocatione Imperatorem instar supremi moderatoris sese habuisse, præscripsisseque uti Dominum Romano Pontifici eos, quos ad Concilium ipse mittere debebat. Illud quoque contendit, eamdem ab Imperatore rationem tum cum Summo Pontifice, tum cum Patriarcha Constantinopolitano fuisse servatam, immo illi determinasse numerum deputatorum, non vero isti, utrosque autem appellasse Episcopos Œcumenicos. Verum enim vero hæ loquendi rationes: *Adhortamur Paternam vestram Beatitudinem: super hoc adhortati sumus per nostros pios apices adhuc inter vivos existentem Donum Sanctissimum: Agatho Sanctus hujusmodi nostros pios suscipiens apices destinavit in præsenti &c.* non sunt profecto dominantis, sed exorantis, adhortantis, atque ejus, qui rem sibi gratam fuisse ostendit, consequutum fuisse, quod petierat. Simili ratione dum aliquid alicui sub ea conditione præscribitur, *si utique videtur ei*, illique optio relinquitur, ut quoad præscripta faciat, quod *quod sibi placuerit*; tunc sane quidquid præscribitur, non tam præscribitur, quam consulatur. Ita vero Imperator deputatos ad Synodum mittendos Summo Pontifici præscripsit. His autem illud quoque accedit, Imperatorem rogasse Pontificem, ut ad Synodum non solum Legatos mitteret, qui Concilii Occidentalis, sed etiam

qui *induti personam Apostolicæ Sedis*, vices illius agerent: ita vero agerent vices, quemadmodum factum comprobavit, & nos in sequenti capite ostendemus, ut Synodo præessent. Quo sane constat, Imperatorem rationem supremi capitis, habito respectu ad Patres simul congregandos, in Summo Pontifice agnovisse, a quo propterea etiam hujusmodi convocatio jure quodam proprio penderet. Diverso autem modo Imperator cum Constantinopolitano Patriarcha sese gessit. Nam eum adhortatus quidem fuit, *sanciendo* tamen, ut congregaret omnes, qui pertinerent ad Sedem illius, neque optioni ejus aliquid reliquit.

Quod vero de Œcumenici Episcopi nomine Basnagius opponit ab Hadriano refutatum fuit in epistola data ad Imperatores: (1) " Et unde (inquit) mirati sumus, quod in vestris Imperialibus jussis pro Patriarcha regiæ urbis, scilicet " Tarasio, directis, universalem ibi reperimus exaratum; " sed utrum per imperitiam, aut schisma, vel hæresim iniquorum, scriptum est, ignoramus. Sed deinceps suademus vestræ clementissimæ, imperialique potentiæ, ut minime in suarum exarationum serie universalis describatur, " quia contra sanctorum Canonum instituta, & sanctorum " Patrum traditionem decreta esse videntur. In secundo " enim ordine si non per sanctæ nostræ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ auctoritatem (sicut in omnibus patet) nunquam valuit nomen habere: quod nimirum si universalis " super prælatam sibi Romanam Ecclesiam, quæ est caput " omnium Ecclesiarum, describatur, tamquam sanctorum Synodorum rebellem, atque hæreticum manifestare se certum est. Quod si universalis est, etiam Ecclesiæ nostræ Sedis primatum habere dignoscitur: quod ridiculum omnibus Fidelibus Christianis apparet: quia in toto orbe terrarum ab ipso Redemptore mundi B. Petro Apostolo Principatus, & potestas data est, & per eumdem Apostolum, cujus vel immeriti vices gerimus, sancta Catholica, & Apostolica

(1) Tom. 8. Concil. ejusdem edit. colum. 764.

„ lica Romana Ecclesia hactenus, & in ævum tenet principa-
„ tum, ac potestatis auctoritatem“.

§. XII. In convocatione VII. Œcumenicæ Synodi, Nicænæ II., nihil contigit, quod opponatur illi auctoritati Œcumenicorum Conciliorum convocandorum, quam Summus Pontifex sibi propriam habet.

Non secus ergo, ac alia Œcumenica præcedentia Concilia, istud quoque VII. nomine Imperatoris convocatum fuit. *Actione* namque I., in qua describitur ordo Episcoporum hæc leguntur: (1) “ Conveniente sancta, & universali Synodo, „ quæ per Dei gratiam, & piam sanctionem eorum Deo con„ firmatorum Imperatorum, congregata est in Nicæensium „ Metropoli“. Ibidem *Sacra* jussio lecta fuit, in qua ita habetur: (2) “ Igitur beneplacito, & nutu ejus (Dei) congrega„ vimus vos sanctos Sacerdotes ipsius, qui disposuistis testa„ mentum ejus super incruenta Sacrificia, & definitionibus „ Synodorum, quæ recte dogmatizarunt, judicium vestrum „ simile fiat“. Etiam *Actione* IV. convocatio tribuitur Imperatoribus.

Eam tamen, Romano Pontifice consentiente, Constantinus, & Irenes Augusti fecerunt. Anno enim Christi 785., imperii Constantini, & matris ejus Irenes 4., miserunt Constantinus, & Irenes *Divalem* ad Hadrianum I. per Constantinum Leontinum in Sicilia, & Dorotheum in Campania Episcopum Neapolitanum. In ea vero postquam Hadrianum *Sanctissimum Caput* appellarunt, reddunt illi suæ fidei rationem, unaque eumdem adhortantur, ut *tamquam verus primus Sacerdos, & is, qui in loco, & sede Sancti, & superlaudabilis Apostoli Petri, præsidet, ascendat*, hoc est ad Synodum celebrandam conveniat (3): “ Certificetur, (inquiebant) & „ confirmetur a Deo magno, & Domino nostro Jesu Christo, „ & nobis Servis ejus, quod huc ascendentem Paternam ve„ stram, & sacram Beatitudinem cum omni honore, & glo„ ria habemus suscipere, & quæ opportuna sunt, impartiri; „ & ite-

(1) Cit. tomo colum. 683. (2) Cit. tomo colum. 695. (3) Cit. tomo colum. 677.

„ & iterum, expleto capitulo, quod beneplacito Dei Christi „ speramus fieri cum honore, & magnitudine, præire illam „ habemus ad remeandum ad propria". Quia vero difficile futurum esse cognoscebant, ut Pontifex ad Synodum veniret; ideo statim hæc alia superaddiderunt: " Si non potuerit „ ascendere huc (quod putamus non fieri: scimus enim esse „ studiosum circa Divina) eligat viros honorabiles habentes „ scientiam, & dirigat una cum syllabis, & inveniantur hic „ ex persona sacræ, & paternæ Beatitudinis vestræ". Periere, vel adhuc latent responsa Pontificis ad has litteras. Conjicere tamen possumus ad Synodum Nicææ habendam sese conferre non posse, Hadrianum reposuisse. Alteram sequenti anno Constantinus ad Pontificem Legationem misit: hæc vero legatio commissa fuit Theodoro Catanensi in Sicilia Episcopo, & Diacono Epiphanio, qui, sicuti in *II. Actione* (1) dixit Joannes Legotheta Principis: " Ambo per jussionem piorum Imperatorum „ nostrorum profecti sunt Romam cum Reverendissimo Apocri„ sario sanctissimi Patriarchæ". Quidnam vero Imperator in hac legatione ad Hadriano petierit, perspectum ex iis habemus, quæ ad Legationem consequuta fuisse novimus ex testimonio Theodori Episcopi in eadem *II. Actione* ita ad Tharasium Patriarcham Constantinopolitanum habentis (2): „ Beatissimus Papa audiens dixit: quia si in diebus imperii „ eorum factum fuerit hoc, magnificare habet Deus impe„ rium eorum super priora regna. Hinc suggestionem (hoc „ est dogmaticam epistolam) transmisit una cum litteris ad „ Sanctitatem vestram, & Vicariis suis, qui hic præsidentes „ adsunt". Hæc vero omnia, consentiente Romano Pontifice, Constantinum, & Irenem VII. Œcumenicam Synodum convocasse, evidentissime ostendunt. Non est ergo, cur pro more suo Jacobus Basnagius in *Historia Ecclesiæ* lib. 10. cap. 8. num. 12. hanc quoque Concilii convocationem nobis opponat. Semper enim ille falsam argumentationem adhibet, qua ex facto de jure quoque constare contendit, atque quoad hoc Febronius in sæpius citato loco eum semper imitatur.

§. XIII.

(1) Cit. tomo colum. 766. (2) Cit. tomo colum. 767.

§. XIII. Ex convocatione VIII. Œcumenicæ Synodi, Constantinopolitanæ IV., constat, Imperatores in convocatione Conciliorum ea auctoritate usos fuisse, quam nos usque modo defendimus.

Præcedentia Œcumenica Concilia, excepto V., ab Imperatoribus convocata ita fuisse, ut in hanc rem usi fuerint non proprio, sed sibi concesso, atque tributo jure, hoc est, annuente Apostolica Sede, usque modo ostendimus. Hoc vero est, quod ex convocatione VIII. Œcumenicæ Synodi aperte confirmari, nunc contendimus. Igitur Hadrianus II. Synodum VIII. Œcumenicam haberi jussit, eam autem Basilius Augustus indixit. De priori quidem nullo modo nos dubitare sinit epistola Pontificis ad Basilium Augustum data, quæ *Actione I.* hujus Concilii legitur (1): " Volumus ergo (inquit " Summus Pontifex) per vestræ pietatis industriam illic numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque missi " Præsidentes, & culparum personarum differentias liquido " cognoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt, singulorum libere discretiones exerceant ". Unde Anastasius Bibliothecarius in hujus Synodi Præfatione Hadrianum ita alloquitur: " Missis cum auctoritate Apostolica Vicariis, ac " epistolis decretalibus, jussisti fieri Constantinopoli Synodum pro multis quidem necessitatibus Ecclesiæ, sed pro " his præcipue, quæ huc usque adnotata sunt, quæque in " hujus Synodi gestis inveniuntur, in qua scilicet Photius " ob id etiam specialiter condemnatur, quoniam depositionem, vel anathema præsumpsit in sanctæ memoriæ Pontificem Nicolaum nominare ".

Basilius tamen Augustus ille fuit, qui hanc Synodum indixit. Nam Synodi Patres *Actione I.* ita habuerunt (2): " Ministrante videlicet, & obsequente Divinæ voluntati, at" que decreto Christi amico, & divinitus gubernato ... Ba" silio Deo amicissimo Imperatore nostro, qui universalem " Synodum congregans, quæ visa sunt Spiritui Sancto, pie " pere-

(1) Tom. 10. Concil. edit. Venet. colum. 490. (2) Tom. 10. Concil. edit. Venet. colum. 486.

„ peregit “. Unde & Metrophanes *Actione VI.* ita Imperatorem alloquutus fuit (1): “ Hæc itaque sancta, & universalis „ Synodus arca salutis est... Et tu es amice Christi Domine, „ Noe justus inventus in conspectu Dei, in veneratione tua, „ quia talem arcam fabricasti.... Hæc sancta, & universalis „ Synodus est benignus, & bonus puteus, quem fodisti tu, „ Deo amantissime; Abraham servus, & amicus Dei excelsi “. Quin immo Synodus ipsa tota hac de re testimonium dedit, in ea definitione, quæ *Actione X.* edita fuit, in qua hæc leguntur (2) “ Sancta, & magna, & universalis Synodus, quæ „ per Divinam voluntatem, & gratiam, & sanctionem amicorum Christi, ac Deo confirmatorum Imperatorum no„ strorum Basilii, & Constantini congregata est in hac Deo „ conservanda Regia urbe, & famosissimo Templo sanctæ, & „ & magni nominis Sophiæ, definivit subter annexa “. De utroque ergo capite constat, quemadmodum est propositum a nobis, hoc est, jussisse Hadrianum II., ut Synodus VIII. haberetur, & Basilium Augustum eam indixisse.

Hoc alterum Jacobus Basnagius in *Historia Ecclesiæ* lib. 10. cap. 9. num. 4. potissimum urget, indeque esse Imperatoris convocare Concilia Œcumenica, pro suo more infert. At latum discrimen intercedere inter convocationem, & proprium jus convocandi, jam ostendimus. Etsi vero Imperator illud Concilium indixerit, quod Hadrianus II. præceperat, ut haberetur, inde non consequitur, sicuti Basnagius vellet, Imperatorem, veluti servum (quod sane Imperatoriæ majestati repugnat) Summi Pontificis obtemperasse mandaris: non hoc, inquam, inde consequitur, sed illud solum, Imperatorem sua auctoritate Ecclesiæ negotia curasse, atque promovisse. Falso etiam opponit idem Basnagius, hoc Concilium jam indictum ab Hadriano probatum fuisse, ex eo colligi, quia suos Legatos Hadrianus ad illud misit: nam Hadrianus, quemadmodum constat ex epistola ejus, duo simul fecit; & suam de Synodo habenda voluntatem Imperatori significavit, eaque ut haberetur, illi præcepit, & de suorum missione Legatorum,

(1) Cit. tomo colum. 554. (2) Cit. tomo colum. 651.

rum, eorumque in Concilio munere eumdem Imperatorem monuit. Aliena ergo, non autem sibi propria auctoritate Imperatores usos fuisse in Œcumenicorum convocatione Conciliorum ex convocatione VIII. Œcumenicæ Synodi constat.

§. XIV. Quod ab Imperatoribus in convocatione Conciliorum Œcumenicorum gestum fuit, ad factum referatur oportet, nullo autem modo ad jus.

Non est sane, cur alia Concilia Œcumenica excurramus, ut ex convocatione illorum nihil de eo jure detractum fuisse ostendamus, quod hac in re soli Romano Pontifici competit, ac propterea ad factum referri oportere evincamus, quod Imperatores in convocatione Conciliorum Œcumenicorum peregisse legimus. Nam octo prima Œcumenica Concilia sunt illa, ex quibus inter alios uterque Basnagius esse colligendum contendunt, spectare ad Imperatores Concilia Œcumenica convocare. *Ad fidem ergo tuendam*, non vero *ad potentiam ostendendam*; qua sane de causa piissimus Marcianus Chalcedonensi Concilio se interesse voluisse affirmavit (1), Imperatores, consentiente Romano Pontifice, Œcumenica Concilia aliquando convocarunt, atque ita id juris sibi non arrogarunt, quod est proprium Romani Pontificis, sed qua ipsi potestate ex sui dominii ratione prædìti erant, in Ecclesiæ utilitatem usi fuere. Eorum enim ope factum fuit, ut tantum negotium, cujusmodi est omnium Ecclesiæ Præsulum in unum congregatio, ad felicem exitum perduceretur. Ad hæreticos deinde comprimendos, tumultusque sedandos plurimum quoque profuit hac in re Imperatoria majestas, & incitamento fuit Ecclesiæ Præsulibus, ut facilius, atque promptius ad Concilia convenerint. " Attendat, (2) clementia
" vestra (ita Nicolaus I. Michaelem Imperatorem epist. 8. mo-
" nebat) quanta fuerit erga Sedem Apostolicam reverentia
" Antecessorum vestrorum, piorum dumtaxat Imperatorum
" & præcipue quos longe superius memoravimus, amor, &
" studium ... qualiter etiam legibus suis pro adunandis ei
" Eccle-

(1) Tom. 4. Concil. edit. Venet. colum. 1473. (2) Tom. 9. Concil. edit. Venet. colum. 1343.

„ Ecclesiis promulgaverunt, pro colligendis Conciliis, ac „ proferendis sententiis, non imperaverint, sed precati, „ & hortati solum extiterint : & quæ illi decreverunt, ipsi „ consenserint, & quæ illi damnaverunt, ipsi respuerint ".

Et re quidem vera quod Constantinus Nicænam I., Theodosius Constantinopolitanam I., & Ephesinam, Œcumenicam II.,& III.,Marcianus Chalcedonensem, Œcumenicam IV., Justinianus Œcumenicam V., Constantinus Pogonatus Œcumenicam VI., Constantinus, & Irenes Œcumenicam VII., Basilius Œcumenicam VIII. convocaverint, facta quædam sunt, & quidem talia, quæ jus eis proprium in hanc rem non solum non ostendunt, sed etiam alieno jure, & sibi communicato, rem hanc illos fecisse declarant. Nam Concilia, quæ in sui initio Œcumenica fuerunt, assentiente, annuenteque, atque etiam jubente, sicuti de VIII. Œcumenica Synodo constat, Romano Pontifice, ea Imperatores convocarunt : quæ vero sua auctoritate Imperatores coegere, sicut contigit in convocationibus Œcumenicæ II. a Theodosio, & Œcumenicæ V. a Justiniano factis, eæ profecto in sui initio Œcumenicæ non fuere, & tunc solummodo tales evaserunt, quando Romanus Pontifex in eas consensit. Hæc vero omnia supra jam ostensa sunt a nobis. Verum, sicuti Thomassinus *Dissertatione* 3. *in Synodum Nicænam* num. 9. recte animadvertit : „ Quod Synodus Romana vociferetur, non Regis fuisse, sed „ Papæ Synodum convocare; quod Rex acquiescat; quod „ voluntatem Papæ litteris demonstratam ostendat; quod a „ se nihil de rebus Ecclesiasticis præter reverentiam pertine„ re confiteatur (1), hæc non facta sunt tantum, sed jura. „ Quod Valentinianus Imperator, se utpote laicum negotiis „ Ecclesiasticis inseri non debere agnoscat, & copiam faciat „ Epi-

(1) Vide quid Patres in Synodo III. Romana congregati ad Symmachi causam discutiendam jussu Theodorici Regis, eidem Theodorico, quoad hujus Concilii convocationem opposuerint, & qua ratione Theodoricus quoad rem istam eis satisfecit, dum " Ipsum quo„ que Papam in colligenda Synodo voluntatem suam litteris demon„ strasse significavit ". Tom. 5. Concil. edit. Venet. colum. 458. Verum hac de re magis distincte in sequenti §.

„ Episcopis convenire, ubi libuerit ipsis, quorum curæ causa fidei, & Ecclesiæ demandata est (1): non facti tantum, „ sed juris ista sunt. Quod Athanasius, Hosius, Liberius Imperatorem hortentur res imperii curare, negotiis Ecclesiæ „ abstinere; Imperium enim ipsi, Ecclesiam a Deo Episcopis commendatam: ad jura pertinent hæc, non ad facta. „ Quod iidem Synodus optent, sed vere Ecclesiasticas, ubi „ nec Comes adfuturus sit, nec satellites præ foribus excubent, nec ex præscripto Imperatoris gerantur omnia, & „ ex Imperatoris in Synodos potestate labem omnem Ecclesiarum prorupisse ingemiscunt (2); non facta hinc, sed jura splendent". De jure agitur, non de facto, superaddere nos possumus, dum quæritur, utrum Œcumenicorum Conciliorum convocandorum potestas penes Principes esse possit. At vero hanc eis potestatem tribui nullo modo debere, singularis ratio demonstrat (3). Tandem est de jure perspectum, semel ac potestatem in hanc, vel illam rem alicui convenire singularibus rationibus ostendatur, quæ ab ipsa ratione personæ, quam sustinet, & muneris, quod gerit, desumptæ fuerint. Hoc autem modo de ea auctoritate compertum est, quam Romani Pontifices Œcumenicorum Conciliorum convocandorum habent. Ad factum ergo referri oportere, non vero ad jus, quod Imperatores gesserunt in convocatione Conciliorum Œcumenicorum, tam manifestum est, quam quod maxime.

§. XV. Ad factum referri oportere, quod Imperatores gesserunt in convocatione Conciliorum Œcumenicorum, inde quoque constat, quia Summi Pontifices Imperatoribus petentibus, ut Concilium Œcumenicum haberetur, non semper annuerunt.

Ut Synodus Œcumenica haberetur, Leo Isaurus a Gregorio II. petiit; verum Gregorius illi annuere recusavit, quia tunc id non expedire perspexerat (4): " Concilium Christi „ aman-

(1) Vide Sozomenum lib. 6. *Histor. Ecclesiast.* cap. 7. (2) Vide Athanasii epist. *ad Solitarios* num. 15. 36. 44. (3) Hujus cap. §. 3. (4) Tom. 8. Concil. edit. Venet. colum. 662.

„ amantium Imperatorum, (ita Gregorius ad Leonem) & „ piorum Pontificum virtus est una, quando cum pace, & „ charitate res administrantur. Scripsisti, ut Concilium Uni„ versale cogeretur. Tu persequutor es imaginum, & hostis „ contumeliosus, & eversor. Cessa: nobis hoc largire, ut „ taceas; tunc mundus pace perfruetur, & scandala tace„ bunt. Finge nos te audisse, & ex universo terrarum orbe „ Pontifices congregatos esse, Senatumque, ac Consilium „ consedisse. Ubi est Christi amator, ac pius Imperator, qui „ de more in Senatu sedere debet?... Non animadvertis „ hunc tuum conatum, quo adversus imagines insurrexisti, „ facinus esse turbulentum, & insolens, & superbum? Quum „ Ecclesiæ Dei alta pace fruerentur, tu pugnas, & odia, & „ scandala suscitasti. Cessa, quiesce, tunc Synodo minime „ opus erit“. Antea vero Imperatorem ita monuerat: “Scis, „ Imperator, sancta Ecclesiæ dogmata non Imperatorum esse, „ sed Pontificum, quæ tuto debent dogmatizari. Idcirco „ Ecclesiis præpositi sunt Pontifices a Reipublicæ negotiis ab„ stinentes: & Imperatores ergo similiter ab Ecclesiasticis ab„ stineant, & quæ sibi commissa sunt, capessant“. In hac autem responsione, quam Gregorius II. ad Leonem Isaurum dedit, duo animadvertenda esse putamus: 1. Leonem Isaurum, quamvis contra auctoritatem, atque majestatem Romani Pontificis multa tentaverit, & effecerit, licet summa cum impietate cultui sacrarum Imaginum, obsistente sibi potissimum Romana Ecclesia, bellum apertum indixerit; tamen indicendi Œcumenica Concilia potestatem in Summo Pontifice agnovisse, indeque ab eo petiisse, ut Concilium Œcumenicum convocaretur: 2. Summum Pontificem non acquievisse petitioni hujusmodi Imperatoris, qui ad quævis sane patranda paratum animum habebat, voluisseque uti suo jure, prout ad utilitatem Ecclesiæ conducere videbat, quamvis voluntati Imperatoris inde repugnandum esset.

Quemadmodum vero Gregorius II. Leoni Imperatori assentiri non voluit, ut Concilium Œcumenicum celebraretur; ita etiam Patres Concilii III. Romani habiti in caussa Symma-

chi,

chi, quod a Theodorico Rege indictum fuerat, obstiterunt, ne in eo Concilio aliquid decerneretur, antequam illud indictum fuisse, consentiente Romano Pontifice, perspectum sibi fieret (1): " Sancta Synodus apud urbem Romam ex praecepto gloriosi Regis Theodorici diversis e regionibus congregata in Christi nomine dixit: quum ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire Sacerdotes Regia praecepisset auctoritas ... Memorati Pontifices suggesserunt, ipse, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes, quia ejus Sedi primum Petri Apostoli meritum, vel Principatûs, deinde sequuta jussionem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas, singularem in Ecclesiis tradidit potestatem ... Sed potentissimus Princeps ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit. Unde & a mansuetudine ejus paginae postulatae sunt, quas ab eo directas constabat ". Praecipienti ergo Theodorico, ut Romae simul in unum convenirent, Ecclesiae Praesules obtemperarunt, verum simul uniti, antequam de re proposita quidquam ageretur, de eo certiores fieri voluerunt, utrum in eam Synodum, in quam convenerant, accessisset consensus Summi Pontificis. Ex his autem illud consequi, ut non ad jus, sed ad factum referri debeat, quod Imperatores gesserunt in convocatione Conciliorum Œcumenicorum, nemo non videre non potest.

§. XVI. Plura mala consequuta fuerunt, quando Imperatores in convocatione Synodorum adhibuere eam potestatem, quam nullo modo habere poterant; contra vero plura bona ab iis Synodis profluxerunt, quas vel Imperatores, consentiente Romano Pontifice, vel ipsum Pontificem per se indixisse legimus.

Et primo illud omnibus compertum est, eas Synodus, quas ante Constantini, & ceterorum deinde Imperatorum tempora in Ecclesia habitas legimus, longe feliciores pacatioresque fuisse prae aliis, in quarum convocatione Constantinus, aut filii ejus, vel subsequentes Imperatores, eam pote-

 statem

(1) Tom. 3. Concil. edit. Venet. colum. 457.

statem adhibuerunt, quam æquo jure non poterant, & sibi concessam non habebant. Quandoquidem in prioribus illis Synodis licet Patres inter se aliquando dissenserint, non tamen quoad ea, quæ fidei sunt, dissenserunt, sed quoad alia, quæ disciplinam spectabant, atque in istis ita quidem, ut unitatis, & ejusdem fidei nexu semper sibi invicem uniti perstiterint. " At ubi Constantinus (sicuti Thomassinus animadvertit
" *Dissertatione 3. in Synodum Nicænam* num. 4.) occupavit, &
" successoribus refudit cogendarum Synodorum potestatem;
" quis sub ipso, & post ipsum maxime ortas inde clades Ec-
" clesiæ mente, aut calamo valeat comprehendere? Quis
" Hierosolymitanæ, quis Tyriæ sub ipso Synodi labes? Quis
" sub Constantio Mediolanense, Syrmiense, Ariminense flagitium? Quis fidei formulas toties, & tam perfidiose fixas,
" & refixas? Quis Episcoporum infaticabiles discursationes,
" proscriptiones, exilia, cruces? Ubi ita Synodis illusum,
" & de Synodis illusum fidei, & majestati Ecclesiæ ante Con-
" stantinum? Et unde hæ clades nisi ex uno capite, quod
" Imperatores nutu, & arbitrio suo Synodos cogebant Epi-
" scoporum, & pro sua libidine agebant "? E contrario autem, sicut pergit idem Thomassinus in citata Dissertatione num. 28. postquam " Magnificentia etiam, & pompa convo-
" cationis Synodorum penes Pontifices fere solos fuit, num
" prædatoria usquam grassata est Synodus in fidem Ecclesiæ,
" in vitam Pontificum? Num quæ Tyriæ similis, aut Medio-
" lanensi, aut Ariminensi, aut Ephesinæ II., aut, ut ceteras
" taceam innumeras, tot Constantinopolitanis adversus duas
" Christi voluntates, adversus sacras Imagines? Nuncubi
" carceres, aut vincula crepuere? Num exilia, aut neces?
" Num Cyrillus quisquam carceratus, num interemptus Fla-
" vianus, ne Martinos, ne Stephanos, ne Theodoros com-
" memorem "? Maximam utilitatem in Ecclesiæ bonum ea quoque Concilia in se habuisse, quæ dum Imperatores indixerunt, sibi concessæ potestatis limites prætergressi non fuere, a nemine negari potest. Quia vero a principio recte non ordinato ex sui natura nihil ordinatum consequi debet; ideo miran-

mirandum non eſt, ſi aliis Conciliis, in quibus Principes ea, quam non habebant, poteſtate uſi fuere, plura mala in Eccleſiam profluxerint.

CAPUT II.

DE JURE PRÆSIDENDI ŒCUMENICIS CONCILIIS, QUOD EST PENES SUMMUM PONTIFICEM.

§. I. Cœtui hominum inter ſe congregatorum, ut aliquo de negotio agant, atque definiant, quemdam præeſſe oportet.

Si nullus ſit, qui hujuſmodi cœtui præſit, tunc ſane hoc politicum corpus ſine capite erit. Quemadmodum ergo ſi phyſicum corpus ſuo capite deſtitutum ſit, inanimis potius truncus dici debet, quam corpus; ita etiam cœtus hominum ſimul unitorum ad rem aliquam agendam, vel deliberandam, cui politici corporis ratio convenit, ſi nullum ſui moderatorem, rectoremque habeat, non erit verum politicum corpus, ſed illius imago quædam informis. Non eſt, cur hac de re multis agamus, quum ipſa per ſe perſpiciatur ab omnibus, atque in confeſſo ſit etiam apud illos, qui Conciliis Œcumenicis præeſſe, Imperatori convenire volunt (1).

§. II. Duplex præſidendi ratio diſtingui debet: una eſt ordinis, ſeu honoris, & dignitatis, altera poteſtatis, atque auctoritatis.

Ea præſidendi ratio dicitur honoris, & dignitatis, qua unus inter alios ſimul congregatos, & in tota judicii ratione æquales, primum locum tenet, primuſque ſententiam dicit, atque etiam ea proponit, de quibus conſultatio adhibenda, & judicium ferendum in illo cœtu ſit, quem ipſe habendum indixerit. Ceterum ſi attendatur tum ad conſultationem, quæ haberi, & ad judicia, quæ ab hujuſmodi cœtu ferri debeant, eadem eſt poteſtas, atque auctoritas illius, ac cujuſvis alterius ex eodem cœtu hominis. Præſidendi vero ratio, quæ eſt auctoritatis, & poteſtatis, aut reſpicit quæ ſunt exteriora tum conſultationi faciendæ, tum judicio ferendo a multis ſimul

(1) De his vide Bellarminum *De Concil.*, & *Eccleſia* lib. 1. cap. 19.

mul in unum congregatis, vel ad ipſam conſultationem faciendam, judiciumque ferendum refertur. Prior ratio præſidendi ſuum locum habet, quando auctoritas illius, qui præeſt, in eo ſuam vim exerit, ut omnia ordinate, atque ſine tumultu in hujuſmodi cœtu peragantur, atque etiam ut quæ in eo definita fuerint, ſuam exequutionem habeant. Suus vero eſt alteri locus, quando qui præeſt, tum conſultationem, tum judicia regit, atque moderatur, ſupremamque judicii rationem ipſe retinet. Prior præſidendi modus habita ratione tum faciendæ conſultationis, tum judiciorum ferendorum in exteriori quadam poteſtate, atque actione conſiſtit, quum circa ea verſetur, quæ conſultationem, vel judicia exterius aut præcedunt, aut comitantur, aut ſequuntur: alter vero in interiori tum poteſtate, tum actione poſita eſt, quæ, ut ita dicam, tam conſultationem, quam ipſa judicia tangit, atque tum in illam, tum in iſta influit. Unde hanc præſidendi rationem, quæ dicitur poteſtatis, in exteriorem, & interiorem diſtinguimus: illam, quæ non attingit conſultationem faciendam, vel judicia ferenda in cœtu hominum ſimul congregatorum, exteriorem vocamus; interiorem vero eam, quæ tum conſultationem faciendam, tum judicia ferenda reſpicit.

§. III. Vera, atque potiſſima præſidendi ratio interiori poteſtati convenit, exteriori autem latiori ſenſu, & per quamdam ſimilitudinem.

Cœtus hominum congregatorum in eo potiſſimum ſuam poteſtatem exerit, ut de aliquibus, quæ in controverſiam veniunt, conſultationem ineat, initaque conſultatione, ſuum judicium ferat: qui ergo cœtui hominum ſimul congregatorum ita præeſt, ut conſultationes, determinationeſque ejuſdem cœtus regat, atque moderetur, revera illi præeſſe dicendem eſt, quia id potiſſimum attingit, circa quod hujuſmodi cœtus ex ſui natura, & inſtitutione verſatur. Hoc vero non habet ille alter, cujus præſidendi ratio circa exteriora tantum verſatur. Nam iſte ſua auctoritate id ſolum facit, ut nihil exterius conſultationem perturbet, aut judiciorum ordinem pervertat, nulluſque ſit tumultui locus, atque etiam exequu-

quutioni mandentur, quæ decreta fuerint: quæ ſane omnia neque ipſam conſulendi poteſtatem reſpiciunt, neque decretis ſemel editis aliquam obligationem interiorem tribuunt. Quum ergo præſidendi modus interior ſuperius recenſita in ſe habeat, exterior autem alia tantum ſecundo loco poſita (1), eſt ſane inde conſequens, ut interiori vera, & propria ratio præſidendi conveniat, exteriori autem minus proprie, & quaſi per quamdam ſimilitudinem.

§. IV. Imperatores in Conciliis Œcumenicis habuerunt aliquando eam præſidendi rationem, quæ eſt ordinis, ſeu honoris, & dignitatis ſine ulla tamen poteſtate una ſimul cum Patribus diſcutiendi, aut decernendi ea, de quibus agendum erat.

Conſtantinum Nicænæ Synodo præfuiſſe a nemine negatur: ita tamen præfuit, ut ejus hac de re prærogativa honoris tantum cujuſdam fuerit, atque dignitatis, non vero poteſtatis, quæ judicii rationem in ſe contineret. Quandoquidem, ſicuti Euſebius refert *De Vita Conſtantini* lib. 3. cap. 10. „ Poſtquam Imperator ad caput ſubſelliorum venit, primum „ medius ſtetit. Poſitaque ante eum humili ſella ex auro fa- „ brefacta, non prius aſſedit, quam Epiſcopi ei innuiſſent. „ Idem omnes poſt Imperatorem fecere". Primum autem locum honoris tantum, & dignitatis, nullo autem modo auctoritatis, cum qua judicii poteſtas conjungeretur, ſe in Synodo tenere hoc facto Conſtantinus manifeſte declaravit. Nam uti refert Gelaſius Gyzicenus in *Hiſtor. Concilii Nicæni* lib. 2. cap. 8., quum a quibuſdam Epiſcopis aliqui libelli contra alios Epiſcopos illi oblati fuiſſent, ipſe " Acceptos libel- „ los, & annulo ſuo obſignatos ſervari præcepit: & quum ta- „ lium Epiſcoporum mutuam contentionem perſpiceret, di- „ xit oportere omnes ſimul certo die ad res eas diſceptandas „ convenire. Præſtitutus autem dies quum veniſſet, conſe- „ dit in medio Imperator, & ſilentio opportune facto, omnium „ libellos afferri juſſit: quos quum accepiſſet, & in ſinu ſuo „ poſuiſſet, nec voluiſſet in eas delationes incumbere, ita ad

(1) Præced. §.

„ ad Episcopos loquitur: posteaquam Deus vos Sacerdotes, „ & Judices designavit ad disceptandas, & judicandas populi „ controversias, vosque Deos scribendos censuit, tamquam „ hominibus ceteris longe præstantiores (dictum est enim: „ *Ego dixi: Dii vos estis, & Filii Altissimi omnes: & Deus stetit in Synagoga Deorum*) vere vulgaria ista negligere oportet, omnique cura, & studio in res Divinas incumbere. „ Quumque jussisset ignem afferri, libellos omnes exuri præ- „ cepit". Sibi ergo supra Episcopos delatum judicium Constantinus ferre recusavit, affirmavitque ad dijudicandas controversias populi se a Deo designatum. Hinc vero est, quemadmodum a Gelasio Gyziceno in eodem libro cap. 7. traditum habemus, quod " Sapientissimus Imperator dum doctrinæ „ Catholicæ consensum stabilire moliretur ... Episcopis, & „ Sacerdotibus velut Patribus proposuit".

Qua ratione Constantinus Magnus Nicænæ, etiam Constantinus Pogonatus VI. Synodo Œcumenicæ præfuit, sicuti Acta ipsius Synodi neminem dubitare sinunt. Hæc enim *Actione I.* leguntur (1): " Præsidente eodem piissimo, & Christo „ dilecto Magno Imperatore Constantino in Secretario Sacri „ Palati, quod cognominatur Trullus " idem etiam in aliis *Actionibus* repetitum legimus. At qua ratione præsederit, ea in epistola explicatum habemus, quam Gregorius II. ad Leonem Isaurum dedit, in qua hæc habentur (2): " Quum enim „ Dominus Germanus, quique tunc temporis Patriarcha „ erat, Dominus Georgius sugessissent, persuasissentque „ Constantino Constantis filio, Justiniani patri, ut Romam „ ad nos scriberet, sic interposito jurejurando, scripsit ad „ nos, & nobiscum egit, ut ad universalem Synodum con- „ gregandam viros utiles mitteremus: neque cum illis, in- „ quit, tamquam Imperator sedebo, aut imperiose loquar, „ sed tamquam unus ex illis, & prout statuerint Pontifices, „ ego exequar. Si pater meus quidpiam ex intemerata, pu- „ raque fide perverterit, ego primus illum anathematizabo: „ tum

(1) Tom. 7. Concil. edit. Venet. colum. 617. (2) Tom. 8. Concil. ejusdem edit. in anteactis Concil. Nicæni II. epist. 1. colum. 662.

„ tum nos, Deo bene volente, misimus; & cum pace VI. Sy-
„ nodus celebrata est“.

Synodo quoque VII. Irenes cum filio Constantino præfuit, sicuti ejusdem Synodi *Actione VIII.* legitur (1): verum non ut suffragium ferrent, sed ut sua præsentia ad damnandos errores, ferendumque judicium illud, quod veritati Catholicæ prorsus consonum esset, magis magisque Patres excitarent. Quapropter in sua *Sacra* ad Synodi Patres (1) postquam eisdem exposuerunt, eo se consilio in unum illos convocasse, *ut definitionibus Synodorum, quæ recte dogmatizarunt, judicium eorum simile fieret*, ita illos alloquuntur: “ State stabiles pietatis propugnatores, & omnem novitatem vocum, & noviter apparentem seditionem recidere procurate, quemadmodum & Petrus primus Princeps Collegii Apostolici, qui, servilis deceptionis amentia percussa, Judaicæ seditionis sensum gladio abstulit. Extendite securim spiritus, & omnem arborem germinantem fructum contentionis, & dissensionis, ac introductæ novitatis, aut magisterialibus vocibus transplantate, aut canonicis increpationibus concidite, & in ignem futuræ gehennæ transmittite: ut integrum Ecclesiæ corpus compactum, & conveniens, atque paterna traditione corroboratum pax spiritus custodiat, & totius Romanæ Reipublicæ nostræ constitutio simul tranquilla cum fidei tranquillitate consistat “. Judicium ergo de re proposita faciendum Imperator nullo modo sibi tribuit, sed Episcopis: ab iisdem esse transplantandum, & succidendum declarat *omnem arborem germinantem fructum contentionis, & dissensionis, ac introductæ novitatis*: per illos vult, *ut integrum Ecclesiæ corpus compactum, & conveniens, atque paterna traditione corroboratum pax spiritus custodiat*. Totam ergo judicii rationem Episcopis tribuit Imperator, pro se autem quemdam tantum præsidendi honorem assumit.

Tandem ex *Actione VII.* (3), & aliis, compertum habemus, Imperatorem Basilium Synodo VIII. Œcumenicæ præfe-

 disse,

(1) Cit. tomo colum. 239. (2) Cit. tomo colum. 694. (3) Tomo 10. Concil. ejusdem edit. colum. 883.

diſſe, ea tamen ratione, ac alii antea Imperatores præſederant, quemadmodum ex ea epiſtola certi eſſe poſſumus, quam Hadrianus Papa gratulabundus ad Imperatores dedit (1) " In
" quo illud mirabilius (inquit Summus Pontifex) & laudabi-
" lius ſublimitatis veſtræ prædicatur inſigne, quod non judi-
" cum, vel aſſertorum, ſed conſociorum tantum, & obſe-
" cundatorum perſona uſi fuiſſe cognoſcimini: ita ut per
" humilitatis arcem ad culmen virtutum pervenire dilexeritis
" potius, quam per imperialis altitudinis faſtum ad inanis
" gloriæ ima delabi conſenſeritis ".

§. V. Hujuſmodi etiam titulo honoris Conciliis Œcumenicis Imperatores aliquando præfuerunt, ut ea convocaverint, tempus, quo habenda eſſent, præſcripſerint, & quæ in iiſdem diſcutienda, & decernenda forent, determinaverint, nunquam tamen judicii rationem ſibi tribuerunt.

Ad factum referri oportere, non vero ad jus, quod Imperatores geſſerunt in convocatione Conciliorum Œcumenicorum, jam oſtendimus (2). Ex eo autem quod datum illis vel aperta conceſſione, vel tacita conſenſione fuerit, ut Œcumenica Concilia indicerent, inde quoque conſequebatur, ut tribueretur eis etiam poteſtas conſtituendi tempus, quo eadem Concilia haberi deberent: ſicuti etiam ſemel ac indictis a ſe Conciliis quadam præcellentia honoris, & dignitatis Imperatores præeſſent, inde fiebat, ut ab eis determinaretur, de quibuſdam doctrinæ capitibus, & conſultatio a Patribus ineunda foret, & judicium ferendum. Sicuti enim ad eam præſidendi rationem, quæ dicitur honoris, atque dignitatis, refertur convocatio; ita etiam præſcriptio eorum, de quibus in hujuſmodi cœtu agendum ſit (3). Poſtquam ergo in ſuperiori §. oſtendimus quamdam præeminentiam honoris, & dignitatis in Conciliis Œcumenicis Imperatores aliquando habuiſſe ſine ulla tamen judicii ferendi poteſtate, in hoc §. hujuſmodi judicii poteſtatem ſibi non tribuiſſe demonſtrandum aggredimur, quamvis Patribus ſimul congregatis rem, de qua

(1) Cit. tomo colum. 678. (2) Cap. præced. §. 2. (3) Hujus cap. §. 2.

qua agerent, atque definirent, quandoque præscripserint. Quoniam vero ex Œcumenica Ephesina Synodo potissimum constat, Imperatorem Patribus simul unitis præscripsisse id, de quo agere deberent, ex ea nunc videamus, utrum Theodosius una simul cum hujusmodi a se facta determinatione judicii rationem circa ea sibi tribuerit, quæ in Synodo definienda erant. In sua itaque *Sacra* Theodosius, quam ad Cyrillum, & Episcopos Metropolitanos misit, tum tempus, tum locum Synodi determinavit, atque æquo animo sese passurum non esse edixit, si quispiam ad eam Episcopus non conveniret (1). In *Sacra* quoque missa ad Synodum per Candidianum Comitem, postquam præcepit, ne quispiam, re infecta, *a constituto disquisitionis loco abiret*, simul unitis Patribus constituit, qua de re, aliis sepositis, primo loco agere deberent (2). Ex his autem si quispiam inferret, quamdam in hac Synodo judicii rationem Theodosium sibi tribuisse, ille profecto longe a vero aberraret. Nam in hac altera *Sacra*, quam ad Synodi Patres Candidianum Comitem reddidisse diximus, ea de causa Candidianum ad Synodum misisse affirmat, ut tumultibus occurreret, non vero ut disquisitioni eorum, quæ ad fidem pertinerent, sese immisceret (3) " Igitur (inquit) Candidianum
" præclarissimum sacrorum domesticorum Comitem ad sacram
" vestram Synodum abire jussimus, sed ea lege, & conditio-
" ne, ut cum quæstionibus, & controversiis, quæ circa fidei
" dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat. Ne-
" fas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo ad-
" scriptus non est, illum Ecclesiasticis negotiis, & consulta-
" tionibus sese immiscere". Quapropter ita se disposuisse dicit, ne aliquis tumultus oriretur, " Ut iis, quæ dicuntur, singuli
" (Episcopi) inoffense, quod visum fuerit, in medium pro-
" ponere, vel ab aliis propositum refutare queant: ut ea tan-
" dem ratione, ubi per singulas propositiones, exceptionesque inquisitio citra ullam omnino turbam contentionem-

(1) Vide hanc *Sacram* tom. 3. Concil. edit. Venet. colum 986. par 1. Concil. Ephes. cap. 32. (2) Cit tomo colum. 990. (3) Vide cit. locum.

„ que habita fuerit, quod omnibus placitum probatumque „ erit, communi vestræ Sanctitatis sententia constituatur, „ decernaturque". Est ergo perspectum, quod nos modo volumus, hoc est, Imperatores in Conciliis Œcumenicis judicii rationem sibi non tribuisse, quamvis aliquando illa convocaverint, tempus præscripserint, quo haberi deberent, & quæ in iisdem discutienda, & decernenda forent, determinaverint.

§. VI. Eam quoque præsidendi rationem, quæ dicitur potestatis, Imperatores in Conciliis Œcumenicis quandoque habuerunt; hujusmodi ea tamen fuit, ut ad tumultus impediendos, & semel ortos comprimendos referretur.

Hac de causa Theodosium imperatorem misisse ad Synodum Ephesinam Candidianum Comitem, modo vidimus. Marcianus autem Synodo Chalcedonensi ipse per se præfuit; tamen præfuisse ob eum finem, quem nos modo volumus, a Patribus Chalcedonensibus in ea *Relatione*, quam ad Leonem Papam miserunt, explicatum habemus (1): " Tu (inquiunt) „ vocis B. Petri omnibus constitutus interpres .... Tu sicut „ membris caput præeras in his, qui tuum locum tenebant, „ benevolentiam tuam præferens. Imperatores vero fideles „ ad ornatum præerant: sicut Zorobabel, & Jesus, Ecclesiæ „ tamquam Hierosolymæ ædificationem renovare circa dog- „ mata enitentes". Quapropter tum Leo, tum Marcianus Synodo præfuerunt, attamen ille ea ratione, qua caput præest membris, iste vero ad ornatum, & eum quidem non inutilem, sed qui in Synodi maximum bonum cederet. Nam ad seditiones præcavendas Synodo se adesse velle, Patres primum Nicææ congregatos idem Marcianus monuit (2). " Ut, no- „ stra pietate præsente, (inquit) decernantur, quæ omnem „ discordiam, quæstionemque summoveant". Nam post Ephesinum latrocinium, in quo Dioscori impietas crudeliter dominata fuerat, vix ac ne vix quidem fieri posse videbatur, ut, absente Imperatore, nullus in Synodo foret tumultui locus, & Mo-

(1) Tom. 4. Concil. ejusdem edit. colum. 1775. par. 3. Concilii Chalcedon. (2) Cit. tomo colum. 839. 1. par. Concilii Chalcedon.

& Monachi Nicææ excitare turbas jam incœperant. Qua de causa Legati S. Leonis Imperatorem rogarunt, ut Synodo adesset: quod si facere ille recusaret, se quoque ad Synodum accessuros non esse protestati fuere (1): " Nam & Episcopi „ (inquit Marcianus Episcopis, dum e Nicæa Chalcedonem il- „ los evocat) qui vice Leonis Archiepiscopi urbis Romæ ve- „ nerunt, a nostra tranquillitate petierunt, quatenus nos „ omnino adesse debeamus sancto Concilio, affirmantes, „ quoniam non paterentur, illic, absente nostra pietate, ve- „ nire ". Hinc *Actione VI.* Marcianum ita Patres alloquutum fuisse legimus (2): " Nos enim ad fidem confirmandam, non „ ad potentiam ostendendam, exemplo religiosissimi Princi- „ pis Constantini interesse Synodo voluimus ". Ad tumultus itaque impediendos, & semel ortos comprimendos referebatur ea præsidendi ratio, quæ dicitur potestatis, quæque penes Imperatores in Œcumenicis Conciliis quandoque fuit.

§. VII. Præsidendi ratione, quæ dicitur potestatis, ad eum quoque finem Imperatores in Conciliis quandoque usi fuere, ut decreta Conciliorum facilius exequutioni mandarentur, nulloque modo inde factum fuit, ut decreta in se spectata novam auctoritatem acceperint.

Constantinus in epistola data ad omnes Ecclesias Nicænam Synodum probavit, atque ab omnibus eam esse suscipiendam indixit, quia ad Divinam voluntatem referendum est, quod in sanctis Conciliis Episcoporum constitutum habetur: " Plane Divinum mandatum (inquit apud Eusebium „ lib. 3. *De Vita illius* cap. 20.) libenter suscipite: quidquid „ enim in sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne „ ad Divinam referendum est voluntatem ". Ita etiam Theodosius, postquam in sua *Sacra* ad Cyrillum, & Episcopos Metropolitanos in id se potissimum incumbere affirmavit, ut ex concordia, & consensione omnium maxima tranquillitate respublica frueretur, *eorumque vita, qui inter Clericos censentur, vel magno quoque inter illos Sacerdotio funguntur, omni prorsus nævo, & culpa vacaret*, id sibi valde cordi esse superaddit,

(1) Cit. tomo colum. 843. (2) Cit. tomo colum. 1475.

dit (1), *ut turbæ rite secundum Ecclesiasticos Canones consopiantur*. Et in altera priori *Sacra* ad Cyrillum (2) " Etenim religionem (inquit) jam inde a primis usque temporibus non imperantis „ cujusquam, aut certe imperium usurpantis interminatio- „ nes, vel proterviæ, sed sanctorum Patrum, sacrarumque „ Synodorum decreta nobis constituerunt ". Sua ergo opera illud Imperatores non contenderunt, ut Conciliorum decretis aliquid auctoritatis superadderent, sed ut ea exequutioni mandarentur, atque in hanc rem, qua pollebant auctoritate, usi fuerunt. Hinc Synodi Ephesinæ Patres in sua *Relatione* ad Theodosium, facta mentione eorum, quæ ipsi decreverant, ita eumdem Theodosium rogant (3): " Verum jubeat, „ ut ea, quæ a sancta, & Œcumenica Synodo ad pietatis præ- „ sidium contra Nestorium, impiamque ejus doctrinam san- „ cita sunt, vim suam obtineant, accedente ad eorum robur „ nutu, & consensu pietatis vestræ ". Haud dissimili ratione Patres Concilii Chalcedonensis in *Alloquutione* ad Marcianum, habita ratione eorum, quæ simul uniti definierant, ita obsecrant Imperatores (4): " Sed o vos Christi amantes, & impe- „ rio superno nutu vobis concesso dignissimi, compensate ei „ fidem, qui beneficia tanta concessit; studioque circa pu- „ rissimam confessionem pro concessis honoribus præstantiam „ vestræ devotionis ostendite, malignorum quidem molimina „ refrænantes, omnibus vero piæ confessionis declarantes in „ unitate concordiam, ac velut signaculum sacræ doctrinæ, „ Concilii hujus a nobis congregati prædicationem Petri sedis „ auctoritate roborantes ". Precibus Patrum Imperatores obsequuti fuerunt. Nam Valentinianus, & Marcianus publice edixerunt, & ne ullus postea de iis disputare auderet, quæ a Patribus Chalcedonensibus definita fuerant, & contra facientes a se quoque pœnam esse laturos (5): " Universi er- „ go (inquiunt) quæ a sancta Synodo Chalcedonensi statuta „ sunt

(1) Tom. 3. Concil. edit. Venet. colum. 986., par. 1. Concil. Ephesini cap. 32. (2) Cit. tomo colum. 979. (3) Cit. tomo colum. 1187. (4) Tom. 4. Concil. ejusdem edit. colum. 1767., par. 3. Concil. Chalcedon. cap. 1. (5) Cit. tomo colum. 1783.

„ sunt, custodire debebunt, nihil postea dubitaturi. Hoc „ itaque commoniti nostræ serenitatis edicto, abstinete a „ prophanis vocibus, & ulterius desinite de Divinis disputa- „ re: quod nefas est: quia non solum Divino judicio pecca- „ tum hoc, prout credimus, punietur; verum etiam legum, „ & judicum auctoritate coercebitur“. Et Marcianus in altero edicto (1), inquit: “ Iterata hac sancientes nostræ cle- „ mentiæ jussione, ut in futurum a prohibitis omnes absti- „ neant, nec conventicula colligant super Religione certan- „ tes: quia in hujusmodi perversitate, & vanitate detecti, „ & statutas dudum suscipient pœnas, & judiciario motu, „ prout religiosis temporibus convenit, punientur. Oportet „ enim Chalcedonensem Synodum sequi, in qua, omnibus „ diligenter quæsitis, ea definita sunt, quæ pridie tres præ- „ dicti cœtus, Apostolicam fidem sequuti, omnibus obser- „ vanda tradiderunt“. Plura alia in rem istam adducere in medium possemus; verum ex iis, quæ usque modo disseruimus, nemini non esse manifestum debet, præsidendi ratione, quæ dicitur potestatis, ad eum quoque finem quandoque Imperatores in Conciliis usos fuisse, ut decreta Conciliorum facilius, atque promptius exequutioni mandarentur, nulloque modo inde factum fuisse, ut decreta in se spectata novam auctoritatem acceperint, quum observationem eorum inde urgeant Imperatores, quia a Patribus simul unitis sancita sunt.

§. VIII. Sive spectetur præsidendi ratio, quæ ordinis, sive quæ potestatis appellatur, Imperatores latiori quodam modo Œcumenicis Conciliis præsedisse dicuntur.

Vera præsidendi ratio, quam diximus (2) honoris, atque dignitatis, non solum in se includit, ut qui præest, cœtum habendum indicat, in eo sedeat primo loco, illa constituat, de quibus in hujusmodi cœtu agendum est, sed etiam ut non secus, ac alii simul congregati, suum suffragium de re proposita ferat; alioquin aliquid minus, & illud quidem tale, quod in hominibus simul congregatis ad rem aliquam defi-

(1) Cit. tomo colum. 1786. (2) Hujus cap. §. 2.

definiendam potissimum spectatur, in eo foret, qui præsideret, quam in aliis. At Imperatores licet quandoque in Conciliis Œcumenicis eam præsidendi rationem habuerint, quæ dicitur honoris, atque dignitatis; nunquam tamen una simul cum Patribus vel discussionem inierunt, vel judicium tulere de iis, quæ definienda proponebantur (1): si igitur attendamus ad eam præsidendi rationem, quæ est ordinis, seu honoris, atque dignitatis, dicendum est Imperatores latiori quodam modo Conciliis Œcumenicis præfuisse.

Idem affirmandum est, si respiciamus alteram præsidendi rationem, quæ vocatur potestatis. Est enim duplex hæc præsidendi ratio: una quidem exterior, quatenus complectitur ea, quæ sunt exteriora tum consultationi faciendæ, tum judicio ferendo; altera interior, quæ ad consultationem faciendam, & judicium ferendum refertur. Interiori autem vera, & propria præsidendi ratio competit, exteriori autem latiori sensu, & per quamdam similitudinem (2). Imperatores autem quamvis eam quoque præsidendi rationem, quæ dicitur potestatis, in Conciliis Œcumenicis habuerint, hujusmodi tamen ea fuit, ut comparata esset vel ad tumultus impediendos, & semel ortos comprimendos, vel ad faciliorem exequutionem eorum, quæ a Patribus definita fuissent (3); quæ sane omnia ad exteriorem præsidendi rationem spectant (4), neque ipsam consultationem, aut definitionem attingunt, vel semel definitis auctoritatem adjiciunt: igitur si eam quoque præsidendi rationem spectemus, quæ potestatis appellatur, Imperatores latiori quodam modo Conciliis Œcumenicis præfuisse dicendum est.

§. IX. Nomen Sacerdotis a Conciliis Œcumenicis, atque a Summis Pontificibus aliquando tributum fuit Imperatoribus, quia suam isti operam in convocationem Conciliorum Œcumenicorum impenderunt, multaque tum ad eorumdem faustum felicemque exitum, tum universe, atque generatim in utilitatem Ecclesiæ gesserunt.

Ea

(1) Hujus cap. §. 4. & 5. (2) Hujus cap. §. 2. & 3. (3) Hujus cap. §. 6. & 7. (4) Hujus cap. §. 3.

Ea in *Alloquutione*, quam Marcianus Imperator in Synodo Chalcedonensi habuit, Patres Imperatori sæpius plausisse legimus. *Actione* itaque *VI.* ita plaudentes Imperatorem compellati fuerunt (1): " Christus, quem colis, ipse te servet. " Hæc fide digna sunt. Sacerdoti Imperatori multos annos. " Ecclesias tu erexisti, victor bellorum, doctor fidei ". Verum enim vero quo tandem sensu talia de Imperatore, ipso præsente, Patres Chalcedonenses prædicaverint, nunc inspiciamus. Illud quidem primo Marcianus in hujusmodi *Alloquutione* protestatus fuit, se non ad potentiam ostendendam, sed ad fidem confirmandam, seu protestandam Synodo adesse voluisse; deinde autem manifestare, atque decernere, quæ sunt veræ fidei, ad Synodi Patres spectare affirmavit (2): " Nostræ " autem serenitatis pretium est, (inquit) omnes populos " unam eamdemque circa Divinitatem habentes sententiam " veram, & Catholicam Religionem fidemque colere. Hoc " ergo operis sit Sanctitatis vestræ.... Et nunc per vestrum " Concilium omnis quidem ambiguitas pravitate, cupiditateque quorumdam, sicut diximus, in hoc parvo medio " tempore nata, amputetur; in perpetuum autem, quæ a " vobis terminata fuerint, serventur ". Ad hæc prima vice Patres Imperatori plausus dederunt, quia opera ejus Synodus illa congregata fuerat, quæ veram fidem sanxerat. Post hujusmodi plausum Concilii definitionem coram Imperatore Ætius legit, eamque sua omnes Patres subscriptione firmarunt. A Patribus tunc Imperator quæsivit, utrum *secundum omnium Sanctorum Episcoporum expositionem definitio relata prolata esset*: cui Patres se consentientes illi subscripsisse dixerunt, postea que Imperatorem publicis præconiis denuo prosequuti fuere, quia fidem orthodoxam amplectendo roborasset. Imperator Patrum apud Deum precibus pacem ubique restituendam esse, sese sperare tunc adjecit, & Patres tertio cum plausibus Imperatori acclamarunt, ex eo quod fidem orthodoxam invicte sustinuisset, hæresim extinxisset, hæreticosque fugas-

(1) Tom. 4. Concil. edit. Venet. colum. 1511. (2) Cit. tomo colum. 1475.

fugasset. Post hæc Imperator pœnas statuit in illos, qui contra declarationem fidei in Synodo factam disputationes instituere auderent: quod sane decretum cum gaudio Patres probarunt. Tandem Imperator nonnulla capitula Parribus definienda proposuit: " Quæ (inquit) ad honorem vestræ reve-
„ rentiæ vobis servavimus, decorum esse judicantes a vobis
„ hæc regulariter potius formari per Synodum, quam nostra
„ lege sanciri ". Hæc ergo capitula quum perlegi jussisset coram Synodo; tunc sane Patres in eam acclamationem proruperunt: " Christus, quem colis, ipse te servat. Hæc fide
„ digna sunt. Sacerdoti Imperatori multos annos ..... Ve-
„ strum imperium Deus conservet. Hæreticos vos destruxi-
„ stis, fidem vos custodistis ". Quo ergo istæ omnes Patrum acclamationes sæpius repetitæ tenderent, quem ob finem Patres Imperatorem tam multis laudibus prosequuti fuerint, atque etiam Sacerdotem vocaverint, nemo non videt. Quia ergo sua in Ecclesiæ utilitatem potestate utebatur, Synodos ad hæreticos compescendos cogebat, eorumque decreta tuebatur, aliisque servanda mandabat, volebatque, ut auctoritate Patrum definirentur, quæ dubia erant; ideo Patres ei tantopere plauserunt.

Etiam S. Leo Sacerdotium cum Imperio in Marciano quodammodo consociavit (1): " Quod sæpissime multa jam
„ experimenta docuerunt, sanctum pietatis vestræ studium
„ circa Religionem Christianam gloriosis perseverat, & cre-
„ scit augmentis: & hæc fides vestræ clementiæ non solum
„ me, sed & omnes Domini Sacerdotes consolatur, & robo-
„ rat, dum in christianissimo Principe Sacerdotalem experi-
„ mur affectum ". Eorum tamen habita ratione, quæ in utilitatem Christianæ Religionis gesserat Imperator, atque gerebat, S. Leo affirmavit, tum se, tum alios Sacerdotes, in eo Sacerdotalem animum experiri. Haud dissimili ratione idem S. Leo in Imperatore Leone *animum Sacerdotale*, *& Apostolicum* deprædicavit (2), quia sua potestate utebatur ad Ecclesiam

(1) Juxta editionem Cacciarii 167. (2) Juxta eamdem editionem 129.

ſiam Conſtantinopolitanam tuendam, & avellendum illud malum, quod eam obſcurabat.

In parte 3. (1) ejuſdem Synodi Chalcedonenſis ea epiſtola legitur, quam Agapitus Rodi Epiſcopus ad Leonem Imperatorem dedit, in qua inter alia hæc habentur: " Vere „ namque Sacerdos, & natura Imperator exiſtis ". *Actione XVIII.* Synodi VI. Œcumenicæ Leo II. Summus Pontifex Conſtantino Imperatori gratulatur, quod (2) " Regali faſtigio de„ poſito, unum ſe de collegio Sacerdotum pro zelo Dei ad„ numerari concupiſceret ". At Sacerdotem Agapitus inde vocat Imperatorem, quia Eccleſiæ maximam ſollicitudinem gereret, atque ad procurandum bonum ejus *ſaluberrimas, & utiles litteras* Sacerdotibus daret, & *quibus ligare, & ſolvere peccata conceſſum eſt, communionis ſacræ ſollicitudinem committeret.* Leo quoque ea de cauſa dixit, Imperatorem concupiſcere ſe adnumerari in collegio Sacerdotum pro zęlo Dei, quia *dum Divina rebus humanis* præponebat, & *orthodoxam fidem curis ſecularibus incomparabiliter* anteferebat, *judicium rectum Dei cultu* venerabatur, & *ſacrificium puriſſimum, atque holocauſtum Divinæ ſuavitatis odore flagrans in ara ſui pectoris ejus inviſibili majeſtati* mactabat. Tandem, ut multa alia omittamus, de eo quidem Leo II. Summus Pontifex Leonem Iconomachum non redarguit, quod Imperatorem, & Sacerdotem ſeſe vocaſſet; verum id opere, hoc eſt, in Eccleſiæ utilitatem, non ſecus ac alii Imperatores fecerant, ab eo comprobandum eſſe, illum ſimul ita monuit (3): " Scripſiſti Imperator ſum, & Sa„ cerdos. Enimvero qui ante te fuerunt Imperatores, hoc „ opere,& ſermone demonſtrarunt,qui curam geſſerunt Eccle„ ſiarum, una cum Pontificibus cupiditate zeloque incenſi,re„ ctæque fidei veritatem pervestigantes,Conſtantinus Magnus, „ Theodoſius Magnus, Valentinianus Magnus, & Conſtanti„ nus Juſtiniani pater, qui VI. Synodo interfuit. Imperatores „ iſti religioſe imperarunt, & cum Pontificibus uno conſilio,

I 2 ac

(1) Tom. 4. Concil. edit. Venet. colum. 1891. (2) Tom. 7. Concil. ejuſdem edit. colum. 1147 (3) Tom. 8. Concil. ejuſdem edit. colum. 670.

„ ac sententia Synodos congregantes, atque veritate dog-
„ matum perquirentes, sanctas Ecclesias constituerunt, &
„ ornarunt. Hi sunt Sacerdotes, & Imperatores, qui id
„ opere demonstrant". Propter ea itaque, quæ Imperatores in Ecclesiæ utilitatem quacumque ratione exterius gerebant, factum fuit, ut aliquando illos nomine Sacerdotum a se appellandos esse censuerint.

§. X. Ut Summus Pontifex in Conciliis Œcumenicis potissimam præsidendi rationem habeat, quæ est veræ potestatis, omnino postulat ea suprema Præfectura, qua super universam Ecclesiam potitur.

Quænam sit potissima præsidendi ratio veræ potestatis, jam explicavimus (1). Supremam vero Præfecturam auctoritatis, potestatis, & jurisdictionis super universam Ecclesiam in Summo Pontifice agnoscendam esse, abunde est jam confectum a nobis (2). Modo vero ita: consultationes, & definitiones, quæ fiunt in Synodis Œcumenicis, universam Ecclesiam respiciunt, omnes undique Fideles complectuntur, & nulla est Ecclesia singularis, nullusque populus Fidelis, a quibus credi, & servari non debeant, quæ sunt fidei, & morum, prout ea credenda, & servanda in hujusmodi cœtibus omnium præstantissimis constitutum fuerit. Semel ac ergo consultationes, & definitiones, quæ fiunt in Conciliis Œcumenicis, Summus Pontifex non regat, atque moderetur, inde fiet, ut, si ad singularem quamdam præsidendi rationem attendamus, quæ sit veræ potestatis, & consultationes ineantur, & definitiones universam Ecclesiam afficientes edantur independenter ab eo, qui toti Ecclesiæ præest. Hoc autem si non opponitur illi supremæ Præfecturæ auctoritatis, potestatis, & jurisdictionis, quam Summus Pontifex super universam Ecclesiam obtinet, non video sane quidnam opponi possit. Nam suprema Præfectura potestatis, auctoritatis, & jurisdictionis semel ac vere suprema sit, vereque etiam sit potestatis, auctoritatis, & jurisdictionis, ac tandem universam Ecclesiam vere etiam complectatur, nullo modo patitur, ut, ipsa non regente, atque

(1) Hujus cap. §. 3. (2) Lib. 19. cap. 1. §. 8. & seq.

quę moderante, ea fieri instituantur, & revera fiant, quæ tamquam quædam decreta ab omnibus, qui sibi subduntur, suscipi, & servari debeant.

§. XI. Solus Summus Pontifex Œcumenicis Conciliis cum potestate præesse debet, si ad eam supremam legislativam potestate attendamus, quam ipse super universam Ecclesiam habet.

Supremam potestatem legislativam super universam Ecclesiam Summo Pontifici tribui oportere, jam confecimus (1). Cum ea igitur necessario conjungi, ut Summus Pontifex Conciliis Œcumenicis eam præsidendi rationem habeat, quæ est veræ potestatis (2), nunc contendimus. Nam in Conciliis Œcumenicis de iis legibus ferendis agitur, quæ totam Ecclesiam, qua late patet, complectuntur. Leges autem, quæ ad universam Ecclesiam extendantur, eo non præsidente, ferri, qui supremam in universam Ecclesiam potestatem legislativam habet, omnino repugnat. Hoc enim si fieret, & a suprema ille potestate legislativa, quam in universam Ecclesiam habet, deturbaretur, (nam ea potestas suprema dici non potest, quæ alteram sibi superiorem, aut etiam æqualem habet) & eam sibi usurparent, qui supremæ legislativæ potestati subjecti esse deberent. Ex eo quod ergo suprema legislativa potestas in uno Summo Pontifice sit, cum potestate Œcumenicis Conciliis revera præesse, Summi tantum Pontificis esse potest.

§. XII. Non minus suprema legislativa potestas Summi Pontificis, quam illius Monarchicum regimen in universam Ecclesiam ostendit, Summi tantum Pontificis esse debere, Conciliis Œcumenicis cum potestate præesse.

Proprium esse Monarchici regiminis, ut unus tum singulis, tum universis suprema potestate præsit, & Ecclesiæ regimen perfecte Monarchicum esse, ac proinde pati non posse, ut independenter a supremo imperante sit in Optimatibus simul etiam unitis legum ferendarum auctoritas, jam evincimus (3). Ex hisce autem duobus illud tertium necessario consequi-

(1) Cit. lib. cap. 2. § 3. & seqq. (2) Hujus cap. §. 3. (3) Lib. 20. cap. 3. & 4.

sequitur, hoc est, Summi Pontificis tantum esse debere, Conciliis Œcumenicis cum potestate præesse. Quandoquidem in Œcumenicis Conciliis simul uniti Optimates condunt leges, quæ in totum Ecclesiæ corpus Monarchico regimini subjectum extenduntur: si ergo rationi Monarchici regiminis repugnat, ut Optimates simul uniti absque auctoritate supremi imperantis leges condendi potestatem habeant, quia in eo unus non minus singulis, quam omnibus præest, aliundeque Ecclesiæ regimen perfecte Monarchicum est; inde necessario consequi nemo videre non potest, Summi tantum Pontificis esse debere, Conciliis Œcumenicis cum auctoritate præesse.

§. XIII. Nicænæ Synodo Summum Pontificem cum potestate præfuisse, a nemine negari potest.

Hic illud monemus, necesse non esse, Pontificem Conciliis Œcumenicis per se præfuisse, ut re vera hoc munere dignitatis, atque auctoritatis eum perfunctum esse, dici possit. Omnibus namque consentientibus, ad rem istam solummodo requiritur, ut Summus Pontifex alicui vice sui Conciliis Œcumenicis præsidendi potestatem contulerit. Nunc ergo rem istam, de qua agimus, octo primorum Œcumenicorum Conciliorum habita ratione, expendamus. Nicænæ itaque Synodo Sanctum Sylvestrum in persona Hosii, Bitonis, & Vincentii præfuisse a Gelasio Gyziceno traditum habemus lib. 2. Hist. *Concilii Nicæni* cap. 5. " Ipse etiam Hosius (inquit) ex " Hispanis, nominis, & famæ celebritate insignis, qui Sylvestri Episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, una cum " Romanis Presbyteris Bitone, & Vincentio, cum aliis mul- " tis in consessu illo adfuit ". Hæc Gelasius ex Eusebio refert lib. 3. *De Vita Constantini* cap. 7. Quamvis autem citato loco Eusebius omnia non habeat, quæ apud Gelasium leguntur, & ista de re, quæ ab Eusebio, eadem etiam a Socrate lib. 1. *Ecclesiast. Hist.* cap. 8., Sozomeno lib. 1. cap. 16., Theodorito lib. 1. cap. 7. tradita habeamus; tamen Gelasii relationi standum est. Hæc ergo apud Eusebium lib. 3. *De Vita Constantini* cap. 7. leguntur: " Ab ipsa quoque Hispania vir ille mul- " to omnium sermone celebratus, una cum reliquis aliis con- " sedit.

„ sedit. Aberat quidem regiæ urbis Antistes ob senilem ætatem, sed præsto erant Presbyteri, qui vices ejus implerent“. Verum, ita recte Petrus de Marca *De Concordia Sacerdotii*, *& Imperii* lib. 5. cap. 3. num. 6. “ Ut sine ullo partium „ studio loquar, quod sentio, locus Eusebii in vulgatis editionibus mutilus esse omnino mihi videtur: quod ante me „ professus est vir eruditissimus Joannes Morinus (1). Illam „ vero labem nolim audaciæ Græculi cujusdam adscribere, „ qui a Socrate, & Eusebio verba illa eraserit; quum e Theodoreto, & Sozomeno constet, illorum ætate Codices Eusebii, & Socratis vitio illo laborasse, ut statim dicam: Proclivis error ex Amanuensium incuria, qui unum, aut alterum versum exscribendum omiserunt. Neque enim in verborum immutationibus, sed in pericopæ unius omissione „ error iste versatur. Fatendum quidem est absque subsidio „ melioris Codicis labem illam deptehendi non posse; ita ut „ de negligentia Socratis, Sozomeni, & Theodoreti nemo „ conqueri possit, neque de illorum bona fide aliquid sinistri „ suspicari: qui, si Codices integriores nacti fuissent, veram „ lectionem non dissimulassent, quemadmodum neque Gelasius Gyzicenus eam dissimulavit. Sed profiteri ausim, ex „ indicio Gelasii facillimum esse cuique non obtusi omnino „ ingenii viro hiatum illum apud Eusebii Codices vulgatos „ deprehendere. Quis enim non statim advertit, aliquid deesse in his Eusebii verbis: *Ex Hispanis celebratus ille* adfuit „ cum ceteris? Quis tandem erit ille Hispanus, licet famæ „ celebritate conspicuus, si nomen ejus taceatur? Hoc loquendi genus aliquo pacto ferri posset in oratione panegyrica: quod tamen sine vitio usurpari non potest in historia, „ quæ virorum illustrium nomina posteritati commendare debet. Si consulatur Gelasii Codex, statim labes illa deprehenditur. Verbis enim illis generalibus Eusebii subjungitur Hosii nomen, & legatio“.

Hæc autem sapientissimi Viri conjectura non solum inde confirmatur, quia quod de Hosio apud Gelasium legitur, alii quo-

(1) Lib. 1. *Exercit.* 20.

quoque subinde Auctores tradiderunt (1); sed etiam de veritate illius inde esse omnino perspectum contendimus, ex eo quod Hosium una cum Bitone, sive Vito, & Vincentio Nicænæ Synodi Actis ceterorum omnium Patrum primo loco subscripsisse, plura monumenta antiquitatis neminem dubitare sinant (2). Id enim certò argumento esse debet, Hosium vice Romani Pontificis Nicænæ Synodo præfuisse. Nam multos in ea Synodo fuisse Hosio superiores, quibus habita ratione sedis, quam retinebant, subscriptio priori loco omnino debebatur, nullus dubitare potest. Nam, ut de jure Patriarcharum sileamus, sicuti observat Natalis ab Alexandro (3). " Quomodo „ Theognis Nicænæ civitatis, in qua celebrabatur Synodus, „ Antistes, & Eusebius Nicomediensis, totius Bythiniæ Metropolita, & Imperatoriæ urbis Episcopus, homines ambitiosissimi, & Ariani, sese non opposuissent præsidentiæ „ Hosii, quem suæ infensissimum hæresi noverant, si legatione Sylvestri functus non fuisset? Quomodo, inquam, non „ intercessissent eadem ratione, qua Metropolitanarum Sedium Patriarchæ Constantinopolitano subjacentium Antistites reluctati sunt Fortunio, Carthaginensium Episcopo, „ & totius Africæ Primati, qui ante ipsos in Concilio Œcumenico sexto sedere contendebat? Quomodo tandem, „ quum hi, tum alii Episcopi Ariani, qui post Constantinum, „ & Constantis obitum, imperante Constantio Arianorum „ fautore, nullum non moverunt lapidem, ut Conciliorum „ Nicæni, & Sardicensis auctoritatem infringerent, eam non „ objecissent nullitatis causam, quod Hosius irregulari plane „ modo, & Ecclesiæ moribus repugnante, illis Synodis præfuisset, si alia ratione extitisset illarum Præses, quam ut „ gerens vices Sylvestri, ad quem præsidendi jus attinebat "? Si autem ad merita attendamus, quorum tamen a Patribus simul congregatis rationem habitam non fuisse novimus, ut singulari prærogativæ meritorum primum locum tribuerint; adfue-

(1) Vide Natalem ab Alexandro *Differt.* 12. *in Hist. Ecclesiast.* seculi 4.
(2) Vide tom. 2. Concil. edit. Venet. colum. 55. & seqq. (3) Mox citato loco.

adfuerunt ſane in Nicæna Synodo plures, qui hac in re Hoſio non ſolum æquales, ſed etiam ſuperiores fuerunt (1). Reliquum eſt ergo, quod ob ſolum munus legationis, quo Hoſius in Synodo Nicæna nomine Romani Pontificis fungebatur, ſupra ceteros Patres primum locum tenuerit.

Neque ſolam præſidendi rationem, quæ eſt honoris, ſed etiam alteram, quæ dicitur poteſtatis, & refertur ad directionem eorum, de quibus conſultatio ineunda, & ſententia ferenda eſt, in Nicæna Synodo Hoſius habuit. Quum enim de eo diſtincte explicando in Nicæna Synodo ageretur, " Quo„ modo oporteat tres perſonas intelligere indiviſe in una illa „ ineffabili Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Divinitate ", ut refert idem Gelaſius ſupra memoratus lib. 2. cap. 12., „ Sancta, & magna, & generalis Synodus Sanctorum Patrum „ Nicææ congregatorum per Beatum, & Sanctum Hoſium „ Epiſcopum civitatis Cordubæ in Hiſpania, tenentem lo„ cum Epiſcopi Romani cum prædictis ejuſdem Sedis Presby„ teris, altero ipſum interpretante, dixit: Divinitas non eſt „ una perſona, ut Judæi exiſtimant, ſed tres perſonæ vere „ ſubſiſtentes, & non ſolum nomine: & hoc &c. " Quamvis ergo dum de refellendis objectionibus cujuſdam Philoſophi ageretur, modo unus, modo alter Epiſcopus, modo etiam ipſe Hoſius reſponderit, quemadmodum a Gelaſio in ſequentibus capitibus traditum habemus; tamen quando agitur de fide omnium Patrum conſenſione profitenda, id univerſa Synodus per Beatum Hoſium facit. Etiam ex confeſſione Arianorum rem eamdem compertam habemus. Ita enim Ariani ad Conſtantium, ſicuti apud Athanaſium in epiſt. *ad Solitarios* num. 42. legimus: " Nihil non egimus. Romanum Epiſco„ pum in exilium ablegavimus, & ante illum permultos alios „ Epiſcopos: omnia loca formidine replevimus. Sed nihil „ nobis tanta tua geſta juvabunt, nihil dudum a nobis recte „ factum, quandiu Hoſius illæſus remanſerit. Nam dum apud „ ſuos ipſe degit, omnes in ſuis Eccleſiis remanent: poteſt „ quippe ille verbo fideque ſua omnes adverſum nos induce-re.

(1) Vide Natalem ab Alexandro citato loco.

„ re. Hic & Synodis præesse solet, ejusque litteris omnes „ obtemperant. Hic Nicænam fidem edidit, Arianosque ut „ hæreticos ubique traduxit". His ergo ita sese habentibus, quum Hosius in sua subscriptione præcesserit omnes Patres, qnum Hosium sequuti Patres quid de Trinitate sentiendum, firmiterque tenendum esset, unanimi consensione statuerint, atque definierint, evidenti argumento id esse debet, Hosium tum honore, tum auctoritate in Nicæna Synodo præfuisse.

§. XIV. Nicænæ Synodo Hosium non præfuisse, uterque Basnagius ostendere frustra contendunt.

Samuel Basnagius in *Annalibus Politico-Ecclesiasticis* ad an. Christi 325. num. 19. Eustachium Antiochenum Nicænæ Synodo præfuisse arbitratur, quia a Theodorito lib. 1. *Eccle- siast. Hist.* cap. 7. traditum habemus, illum, Patribus considentibus, in laudem Constantini verba fecisse. Suam assertionem Basnagius confirmat tum ex Synodo Orientali in Synodica ad Proclum, tum auctoritate Felicis III. in epistola 5. ad Zenonem Augustum, in qua tradit Eustathium CCCXVIII. Nicæx congregatis præsedisse, tum etiam testimonio Facundi lib. 11. cap. 1. asserentis, Eustathium præfuisse omnibus. Ex loco etiam, quem Eustathius in Synodo habuit, illum Synodo præfuisse, idem Basnagius contendit. Nam in dextera parte primum omnium Eustathium consedisse lib. 3. *De Vita Constantini* cap. 11. apud Eusebium legitur. Unde num. 22. illud sibi in animo inducere non posse Basnagius affirmat, " Episco- „ pos ignobiliori loco esse voluisse dextram, quam & Eccle- „ siæ honoratiorem vel ex ore Christi didicimus, agnos suos „ ad dextram collocantis". Quatuor subinde monumenta ex Historia Ecclesiastica in hujus rei confirmationem depromit. Primum petit ex Chronico Marcellini, in quo de Joanne Papa, qui Constantinopolim venerat, dicitur, quod „ Dexter dextrum Ecclesiæ insedit solium". Alterum ex Synodo Constantinopolitana, in qua ad Memnæ dextram Episcopos, & Legatos sedisse legitur. Tertium ex veteri ordine Romano, in quo hæc habentur: " Sedebunt ea locali dispo- „ sitione, ut intrantibus Ecclesiam Episcopi sint ad sinistram,

Pre-

„ Presbyteri vero ad dextram : ut quando Pontifex ſederit, „ & ad eos reſpexerit ; Epiſcopos ad dextram , Presbyteros „ contueatur ad ſiniſtram ". Quartum ex *Actione I.* Synodi Chalcedonenſis, in qua traditur, Legatos Pontificis in læva parte , in dextra autem Judices , atque Senatum ſediſſe : „ Pars enim (inquit Baſnagius) in qua Leonis Legati , Anatoliuſque , & Maximus ſedebant , Altaris dextræ obvertebatur , quo caſu læva fuit honoratior ".

Num. 19. aliquam quidem Hoſio præeminentiam tribuit, ſed *Sapientiæ* ſolummodo, non vero *muneris*, nullamque fuiſſe cauſam dicit, " Cur Hoſius in magna Synodo, cui complures aderant Metropolitani, eo honoris proveheretur, ut „ ipſis Metropolitanis præeſſet contra Eccleſiæ conſuetudinem ". Quia ergo , ille proſequitur, " Quaſi doctor , & „ rector moderabatur, dirigendo non auctoritate capitis, ſed „ ſapientia ſermonis " ; ideo apud Athanaſium Ariani conquerebatur , Hoſium verbo , & fide omnes contra ſe inducere .

Tandem illud opponit, hac de legatione Hoſii altum eſſe ſilentium apud Euſebium, Socratem, Sozomenum, & Theodoritum, qui locum Romani Epiſcopi Presbyteros quidem tenuiſſe dixerunt , non vero Hoſium . Quin etiam, inquit, Julius in ſua epiſtola ad Orientales (1) loquens de Nicæna Synodo hæc habet : " Noſtri Presbyteri, qui tunc in Ni„ cæno Concilio aderant,de ipſius recta fide conteſtabantur ". Superaddit & illud etiam, duos Presbyteros munus legationis in ſua ſubſcriptione expreſſiſſe, non vero Hoſium.

Horum multa etiam Jacobus Baſnagius in *Hiſtoria Eccleſiæ* lib. 10. cap. 2. num. 6. & 7. opponit , atque urget ſilentium Euſebii de præfectura Hoſii , nulloque modo alicui probabile fieri poſſe affirmat , Socratem , Sozomenum , atque Theodoritum Euſebii exemplaria tantum mutila habuiſſe , in quibus nulla de legatione Hoſii , & nomine ejus mentio fieret, in Gelaſii autem Gyziceni manus exemplar integrum incidiſſe , in quo illa duo haberentur . Animadvertit etiam ,

 apud

(1) Apud Athanaſium *Apologia* 1.

apud Athanasium legi quidem, ab Hosio fidei formulam conditam in Nicæna Synodo fuisse, non vero Synodo præfuisse: quod sane muneris in Synodo Alexandrina, & Sardicensi Hosium obtinuisse, idem Athanasius commemorat. Simili ratione, inquit, quod Hosius magnam existimationem in Nicæna Synodo sibi comparaverit, quodque Synodo Sardicensi præfuerit, Theodoritus lib. 2. cap. 15. tradidit memoriæ posterorum: ex quo esse colligendum putat, Hosium Nicænæ Synodo revera non præfuisse.

Nihil horum tamen tale est, ut iis evincatur, quod Basnagii vellent: & quoniam Samuel Basnagius nullam causam fuisse dicit, & recte quidem dicit, cur Hosius, si spectetur quatenus erat Cordubensis Episcopus, " In magna Synodo, " cui complures aderant Metropolitani, eo honoris provehe- " retur, ut ipsis Metropolitanis præesset contra Ecclesiæ con- " suetudinem "; illud nos quoque ei reponimus, nullam nos sane videre rationem, ob quam contra Ecclesiæ consuetudinem potius Eustathius Antiochenus, quam Alexandrinus Præsul huic Synodo præfuerit, quum Alexandrinæ Sedi secundus a Romana locus deberetur, & hujus Concilii Canone 6. cautum fuisse legamus, ne de jurisdictione Alexandrinæ Sedis aliquid detraheretur. Unde Basnagii sententiam sequentes dicere cogimur, Eustathium, non quia ille omnibus præfuerit, sed quia in Constantini laudem coram cunctis Patribus verba fecit, dixisse nonnullos, Synodo præfuisse. Est illud quoque advertendum, quemadmodum Natalis ab Alexandro *Dissertatione* 12. in *Hist. Ecclesiast.* seculi 4. monuit, a quibusdam Auctoribus traditum nos habere, omnes Episcopos primarum Sedium huic Synodo præfuisse, quamvis in eo Alexandrinus ante Antiochenum, & Antiochenus ante Hierosolymitanum & sederit, & suum suffragium tulerit, atque etiam subscripserit. Ita Cedrenus in *Compendio Historiarum*: " Præerant eis (inquit) Sylvestri Papæ Romani locum tenen- " tes Vitus, & Vincentius Presbyteri, Metrophanes Bizan- " tii, Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ, & Ma-

" cha-

„ charius Hierosolymorum Episcopi “. Eadem ratione Nilus Metropolita Rhodius in libello *De Synodis*, loquens de Concilio Nicæno ait: “ Præerant Synodo Sylvester Romæ, Alexan„ der Constantinopolis, Alexander Alexandriæ, Eustathius „ Antiochiæ, & Macharius Hierosolymorum Episcopi “. Ex his vero constat, eo sensu dixisse nonnullos, primarum Sedium Episcopos Nicænæ Synodo præfuisse, non quatenus singularem præsidendi rationem supra omnes Patres haberent, sed quia inter primos, prout sedes eorum postulabat, locum tenuerunt. Quamvis in eo inter se non conveniunt, dum illum ordinem referunt, quem Antistites primarum Ecclesiarum in Synodo tenuerunt: quod sane contra Basnagium facit volentem Eustathium omnibus præfuisse. Quapropter quum illud omnino compertum habeamus (1), Hosium primo omnium loco in hac Synodo subscripsisse, aliundeque ex sui ratione Episcopatus id juris nullo modo habere posset; dicendum sane est, quia Sylvestri nomine Synodo præfuit, id ab eo peractum fuisse, neminemque in hac re illi contradixisse.

Non erat vero, cur Basnagius in eo demonstrando adlaboraret, dextram præ læva parte digniorem semper habitam in Ecclesia fuisse. Nam tum Judæos, tum Græcos, tum Latinos lævam dextera potiorem esse nunquam putasse, multis sane Ecclesiasticæ Historiæ monumentis *Antiquit. Christian.* lib.4. par. altera cap. 2. Mamachius ostendit. Quid ergo? Anne Eustathium totius Synodi præsidem fuisse censendum erit, quia in dextera parte primum locum tenuit? In Synodo Chalcedonensi ad lævam Legati Leonis Pontificis, & Constantinopolitanus Antistes, ad dexteram vero Dioscorus Episcopus Alexandrinorum, aliique *Actione I.* sederunt: non tamen propter hoc existimandum est, Legatos Leonis, & Antistitem Constantinopolitanum præ ceteris in parte dextera sedentibus inferiorem locum tenuisse. Quum enim, sicuti inquit Basnagius, “ Pars, in qua Leonis Legati, Anatoliusque, & Ma„ ximus sedebant, altaris dexteræ obverteretur; quo casu „ læva fuit honoratior “. Quapropter ut Basnagius id, quod vult,

(1) Præced. §.

vult, assequatur, ab eo demonstrandum erat, talem fuisse dispositionem locorum in Synodo Nicæna, in quibus Patres consederunt, ut qui in dextera parte erant, digniorem, qui vero in sinistra, locum inferiorem tenerent. Quemadmodum ergo propter dispositionem loci, in quo Patres Chalcedonenses congregati erant, factum fuit, ut qui in læva sedebant, digniorem locum obtinuerint; ita etiam ob eamdem rationem idem in Nicæno Concilio usuvenisse dicendum est. Nam si ad subscriptiones attendamus, Hosius, aliique duo Legati Romani Pontificis primum locum in iis semper habent, quamvis habita ratione subscriptionis ceterorum, non unus semper locus iisdem tribuatur (1). Ne ergo, sicut ait Basnagius, ad hunc honorem in magna Synodo, cui plures Metropolitani aderant, Hosium contra Ecclesiæ consuetudinem provectum fuisse dicamus; ideo eum omnium primo loco subscripsisse dicendum est, quia Sylvestri vice omnibus præsideret.

Iis autem, quæ diximus, de Hosii præsidendi ratione, & ea quidem dignitatis, atque auctoritatis, non vero *Sapientiæ*, quemadmodum Basnagius vellet, non est, cur nunc alia superaddamus (2). Illud ergo tantum urgemus, ob sapientiæ laudem, qua unus super alios præfulgebat, nunquam factum fuisse, ut ille ceteris Patribus simul congregatis præesset, primum inter eos locum teneret, omniumque primo loco subscriberet. Hæc ergo omnia si Hosius fecit, neque Patres repugnarunt, quum ea facere aliunde non potuerit, quam quia legatione fungeretur, hac revera functum fuisse dicendum est, quamvis de legatione ejus apud nonnullos Scriptores mentio non habeatur.

Deinde, quemadmodum Natalis ab Alexandro in supra citata Dissertatione monuit, una cum sapientissimo Cardinali Perronio distingui potest duplex genus Legatorum, quos ad Orientalia Œcumenica Concilia Romani Pontifices mittere consueverunt: alii ex Patriarchatu Ecclesiæ Romanæ, ut Arcadi-

(1) Vide Socratem *Histor. Ecclesiast.* lib. 1. cap. 13., Codicem Arabicum a Seldeno vulgatum in *Comment. ad Origenes* Eutychii, & tom. 2. Concil. edit. Venet. colum. 55. & seqq. (2) Vide præced. §.

cadius, & Projectus in Concilio Ephesino, & Paschasinus in Chalcedonensi, alii ex ipsa Romana Ecclesia assumebantur, ut Vitus, & Vincentius in Nicæno Concilio, Philippus in Ephesino, Bonifacius in Chalcedonensi. Quia ergo tota Ecclesia Occidentalis Conciliis Œcumenicis, quæ extra Patriarchatum Occidentis habebantur, adesse non consueverat; Romanus Episcopus Concilium Occidentalium Episcoporum Romæ convocabat, dirigebatque per Legatos relationem ejus ad Concilium Orientis. Unde Legatorum, qui ad Concilia Orientalia a Summo Pontifice mittebantur, alii erant veluti interni, & domestici Ecclesiæ Romanæ, qui Legati Romani Pontificis dicebantur, ejusque personam singulari quadam ratione gerebant; alii externi, qui corpus Ecclesiæ Occidentalis repræsentabant, atque tum vice Romani Pontificis, tum Episcoporum Occidentis suffragium ferebant. Quando ergo ad Vitonem, & Vincentium nonnulli Auctores legationem restringunt, de solis Legatis internis a Summo Pontifice missis loquuntur: quando vero alii legationem Hosio quoque tribuunt, tum internos, tum externos Legatos commemorant. Hosius autem ex mandato Pontificis, & Synodi Occidentalis legatione fungebatur.

Neque est, cur quispiam dicat, illam distinctionem Legatorum in VI. Œcumenica Synodo suum initium habuisse. Nam sicuti una cum Cardinali Perronio Natalis ab Alexandro animadvertit, duplex modus in commissione hujusmodi legationis olim servatus fuit. Aliquando enim non solum diversis personis, sed etiam diversis electionibus, atque mandatis munus utriusque legationis deferebatur: quod sane in VI. Œcumenico Concilio factum primo fuit: aliquando iisdem utraque legatio demandabatur, iidemque vices tum Romani Pontificis, tum Concilii Occidentalis gerebant, sicuti in Concilio Chalcedonensi, Ephesino, & Nicæno usuvenit.

Munus quidem legationis in sua subscriptione Hosius non expressit, alii vero duo expresserunt; verum istis quoque se Hosius in subscriptione prætulit: quod sane nullo alio jure facere potuit, nisi quia & ipse legatione fungeretur. Est illud

illud etiam animadvertendum ea tantum de causa Victorem,& Vincentium, utpote Presbyteros, hac in Synodo subscribere potuisse, quia legatione fungebantur, ac propterea ejus mentionem in subscriptione fecerunt. Hosius autem ob munus tum Episcopatus, tum legationis hoc jure potiebatur: unde in subscriptione prius expressit, alterum vero tacuit quidem verbis, factis vero significavit, comprobavitque semper magis, quia non solum Patriarchis, sed aliis duobus Legatis, nemine repugnante, sese prætulit.

Ut autem alteri Basnagio respondeamus, dicimus, omnino ignorari a nobis, qua ratione factum fuerit, ut in Gelasii manus talis Eusebii Codex inciderit, in quo de legatione ejus, & nomine mentio fieret, hujusmodi vero Codex Socrati, Sozomeno, atque Theodorito, incognitus evaserit: illud sane, quod ad rem nostram attinet, certo scimus, ea Hosio tribuenda esse, quæ Gelasius tribuit, si ad munus attendamus, quod in Nicæna Synodo, consentientibus omnibus Patribus, obivit (1). Sive ergo ex non interpolato Eusebii Codice, sive ex aliquo veteri Scriptore noverit Gelasius, quæ de Hosio posterorum memoriæ tradidit, nihil ad nos refert, eaque sequimur, quia cum iis consentiunt, quæ Hosius gessit.

Duo autem Athanasius in epistola *ad Solitarios* num. 42. in persona Arianorum, qui Constantium affantur, refert, hoc est, Hosium & Synodis præesse consuevisse, & fidem Nicænam edidisse. Nicænæ ergo Synodo Hosium præfuisse, Ariani singillatim non constituunt; tamen sub nomine Synodorum, quibus Hosium præfuisse dicunt, etiam Nicæna venire potest, immo & singulari quadam ratione debet, tum quia ea inter illas, quibus Hosius præfuit, primum locum habet, tum quia affirmant, Hosium hac in Nicæna Synodo fidei symbolum condidisse. Id autem ejus sane potissimum est, qui Patribus simul congregatis non solum ordine, & dignitate, sed etiam auctoritate præest. His autem illud quoque superaddi debet, Athanasium in sua 1. Apologia num. 5. ita de Hosio absolute pronunciasse: *Quæ Synodus enim, cui ille non præfuerit?*

(1) Vide præced. §.

rit? Nullam sane excludit, & multo minus Nicænam, quæ ceteris præferenda erat. Inclaruisse Hosium in Nicæna Synodo Theodoritus lib. 2. *Ecclesiast. Historiæ* cap. 15. tradit, non vero distincte affirmat illi præfuisse, sicuti facit, Synodi Sardicensis habita ratione: " Porro hic Hosius (inquit) Cordu-„ bensis erat Episcopus; qui & in magna Synodo Nicæna „ inclaruerat, & postea inter eos, qui Sardicæ congregati „ fuerant, primum locum tenuit". Quapropter Hosium in Nicæna Synodo inclaruisse, Theodoritus tradit, quomodo vero inclaruerit, utrum ex eo quod illi præsederit, an vero propter doctrinæ laudem non determinat. Inclaruisse eum tamen, quia illi præsederit, positiva argumenta suadent, sicuti ex iis constat, quæ usque modo hac de re disseruimus. Irrito ergo conatu uterque Basnagius ostendere contendit, Hosium Nicænæ Synodo non præfuisse.

§. XV. Ephesino Concilio, Œcumenico III., Summus Pontifex Cælestinus per suos Legatos præfuit.

De II. Œcumenica Synodo non est, cur disputemus, quum nullus nomine Occidentalium illi interfuerit, atque auctoritatem Synodi Œcumenicæ ea adepta sit, postquam Damasi Papæ, atque consensione Synodi Occidentalis probata fuit (1), sicuti fatetur etiam Bossuetius *Defensionis &c.* lib. 8., alias 13., cap. 3. Quod ergo nunc tuemur, hoc est, in Synodo III. Œcumenica nomine Cælestini Romani Præsulis Legatos ejus præsedisse, & primum locum tenuisse. Nam VI. Synodus in *Prosphonetico* ad Constantinum Imperatorem *Actione XVIII.* (2) ita habet: " Iterum Nestorius, & iterum Cæle-„ stinus, & Cyrillus: ille quidem Christus dividebat, & par-„ tiebat, hi vero cum Domino conspirantes, una cum sce-„ ptrorum Domino divisorem dejiciebant, ut Ephesius, & „ ibidem gestorum tabulæ per litterariam vocem dum ipsi si-„ leant, causas ipsas loquuntur". Et Nicolaus I. epist. 9. (3) „ Primo etenim loco (inquit) sancta Synodus apud Ephesum „ congregata, sanctæ memoriæ Cælestini Papæ prius episto-

 „ lam

(1) Cap. præced. §. 7. (2) Tom. 7. Concil. edit. Venet. colum. 1086. (3) Tom. 9. Concil. ejusdem edit. colum. 1350.

„ lam legit, & ita demum ad alia exequenda vocavit, ita ut „ jubente S. Cyrillo, qui idcirco in præfata Synodo ante „ omnes ſedit, quia & ipſe locum jam memorati Papæ ibi- „ dem (ſicut geſta ejuſdem Synodi teſtantur) obtinuit". Evagrius lib. 1. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* cap. 4. Epheſinam Synodum habitam affirmat, " Divino Cyrillo Cæleſtini Romanæ urbis „ Epiſcopi vices gerente". Liberatus cap. 5. ſui *Breviarii*: „ Porro (inquit) Cyrillus cum ſuis habens vices Sedis Apo- „ ſtolicæ, evocato Concilio 200. Epiſcoporum, Neſtorium „ vocaverunt". Photius in libro *De Synodis* Concilii Epheſi- ni præſidem ſcribit fuiſſe " Cyrillum celeberrimum inter Pa- „ tres, qui propter virtutum, ſapientiæque divitias magnæ „ civitatis Alexandriæ ſedem tenebat, & Cæleſtini Romani „ Pontificis implebat ſedem, atque perſonam gerebat". Balſamon apud Photium in *Nomocanone* tit. 8. cap. 1. " Habuit „ (inquit) hanc facultatem S. Cyrillus Alexandrinus a Roma- „ no Papa Cæleſtino, quando facta eſt Epheſina Synodus „ contra Neſtorium; viſum eſt, ut S. Cyrillo a Cæleſtino „ permitteretur, præſidere huic Synodo. Ut itaque conſta- „ ret, eum habere jus, & auctoritatem Papæ, ſedit cum „ Phrygio, & condemnavit Neſtorium". In eamdem rem ita ſcribit Marcellinus Comes in Chronico Indict. 13. (1) " Cæ- „ leſtinus Romanæ arcis Pontifex Neſtorio pravitatis Epiſcopo „ per epiſtolam ſuam, datis eidem decem dierum induciis, „ vel pœnitenti veniam, vel diſſentienti damnationem de- „ nuntiat. Idem Neſtorius apud Epheſum ducentorum San- „ ctorum Patrum Synodo condemnatus eſt, Cæleſtino Cy- „ rillum Alexandriæ civitatis Epiſcopum pro tempore Vica- „ rium denuntiante".

At vero quamvis multa alia poſſemus, non eſt tamen, cur ab exteriori auctoritate alia hujus rei argumenta peta- mus, quum de ea ex Concilii Epheſini Actis convincamur. Quum itaque Cæleſtinus de Neſtorii hæreſi monitus a S. Cy- rillo fuiſſet (2), nihil cunctatus ſtatim ad eum reſcripſit, illi- que

(1) Tom. 9. Biblioth. Patrum. (2) Tom. 3. Concil. edit. Venet. colum. 890. Concil. Epheſ. par. 1. cap. 14.

que dedit in mandatis, ut si Nestorius monitus suum intra decem dies errorem non anathematizaret, ipse sua vice, atque auctoritate Sedis eumdem a communione Fidelium segregaret (1). Id præstitit Cyrillus, & data epistola ad Nestorium, ita eum monuit (2): " Quod sane nisi juxta tempus in litteris ,, Cælestini sacratissimi reverendissimique fratris, & commi-,, nistri nostri Romanorum Episcopi expressum, præfinitum-,, que præstiteris, certo scias nullam tibi deinceps cum Epi-,, scopis, & Sacerdotibus Dei sortem, nullam tui rationem, ,, nullum denique inter eos locum futurum esse ". Nunc ergo videamus, quamnam rationem Synodi Ephesinæ Patres tum decreti ipsius Cælestini, tum exequutionis ejusdem decreti a Cyrillo factæ habuerint. *Actione I.*, sedentibus Patribus, & S. Cyrillo in primo loco præ omnibus, atque obeunte Cælestini vices (3), de Nestorii erroribus examen institutum fuit. Multis itaque perlectis scriptis Sanctorum Patrum coram omnibus, & Nestorii obstinatione perspecta, tandem sententiam condemnationis contra Nestorium in hæc verba Patres protulerunt (4): " Coacti per sacros Canones, & epi-,, stolam sanctissimi Patris nostri, & comministri Cælestini ,, Romanæ Ecclesiæ Episcopi, lacrymis subinde perfusi ad ,, lugubrem hanc contra eum sententiam necessario veni-,, mus ". Latæ vero sententiæ Cyrillus primus omnium subscripsit, deinde vero quotquot aderant.

Actione II. una cum aliis Patribus, & S. Cyrillo Alexandrino (5), " Qui & Cælestini quoque sanctissimi, ac beatissi-" mi Romanorum Ecclesiæ Archiepiscopi locum regebat ", Legati Apostolicæ Sedis, Arcadius, & Projectus Episcopi, & Philippus Presbyter, qui dudum advenerant, interfuere. Tunc Legatis, atque etiam S. Cyrillo, petentibus, tam Latine, quam Græce lectæ coram omnibus Patribus eæ litteræ fuerunt, quas iidem Legati a Cælestino sibi datas ad Synodum detulerunt. Earumdem vero lectione peracta (6): " Omnes Re-

(1) Cit. tomo colum. 895. (2) Cit. tomo colum. 943. (3) Cit. tomo colum. 994. (4) Cit. tomo colum. 1078. (5) Cit. tomo colum. 1139. (6) Cit. tomo colum. 1147.

„ Reverendissimi Episcopi simul acclamaverunt : hoc justum
„ judicium . Novo Paulo Cælestino , novo Paulo Cyrillo :
„ Cælestino custodi fidei , Cælestino cum Synodo concordi ,
„ Cælestino universa Synodus gratias agit . Unus Cælestinus,
„ unus Cyrillus : una fides Synodi , una fides orbis terrarum“.
Ut autem confirmare possent , quæ *Actione I.* contra Nestorium a Patribus decreta fuerant , Legati Apostolicæ Sedis , qui supervenerant , ea coram se legi deinde petierunt (1) , *sequentes formulam Sanctissimi Papæ Cælestini* , postcaque publice pronuntiarunt , Nestorium “ A gradu Episcopalis honoris , &
„ ab omnium præterea Sacerdotum orthodoxorum commu-
„ nione alienum esse “ . Tandem , ut alia omittamus , quid sancta Synodus de iis Legatis, qui a Summo Pontifice missi fuerant , retulerit Imperatoribus , attendendum est (2) : “ Et hæc
„ quidem (scilicet quæ contra Nestorium decreverat) etiam
„ antequam sanctissima hæc Synodus conveniret , Cælestinus
„ sanctissimus magnæ Romæ Episcopus per litteras suas indi-
„ caverat , Cyrilloque sanctissimo , Deoque dilectissimo ma-
„ gnæ civitatis Alexandrinæ Episcopo , ut suas vices subiret ,
„ commiserat . Sed & nunc denuo aliis etiam litteris sanctæ
„ Synodo , quam vestra Majestas in Ephesiorum Metropoli
„ convenire præcepit , hæc significavit . Misit autem has lit-
„ teras per Arcadium , & Projectum sanctissimos Episco-
„ pos , & Philippum religiosissimum Presbyterum ma-
„ gnæ Romæ , qui Cælestini sanctissimi , Deoque dilectissimi
„ Episcopi præsentiam supplent . Quia ergo viri isti , qui ve-
„ nerunt , totius Occidentalis sanctæ Synodi sententiam no-
„ stræ huic Synodo per litteras exposuerunt , sensumque de
„ fide , & pietate nobis consonum declararunt , & eadem ,
„ quæ nos , decreverunt , tum per litteras , tum per ea , quæ
„ in mandatis acceperant “ . Hæc vero omnia Legatos Apostolicæ Sedis in Synodo Ephesina præsedisse , atque ita quidem , ut , quoniam agebant partes Summi Pontificis , dignitatis , atque auctoritatis primum locum tenuerint , ita manifeste demonstrant , ut id a nemine non videri possit .

§. XVI.

(1) Cit. tomo colum. 1151. (2) Cit. tomo colum. 1159.

§. XVI. Legatos Apostolicæ Sedis Synodo III. Œcumenicæ non præfuisse, nullo modo uterque Basnagius evincit.

Jacobus Basnagius in *Hist. Ecclesiæ* lib. 10. cap. 4. num. 8. Cyrillum Cælestini nomine huic Synodo præfuisse, ductus hisce momentis negat: 1. Id solum Cælestinus Cyrillo commisit, ut in Nestorium sententiam a se jam latam exequeretur: 2. Cælestinus tres Legatos præter Cyrillum ad Synodum misit, nulla Cyrilli legationis facta commemoratione: 3. Legati postquam Ephesum advenerunt, potiusquam cum Cyrillo sese conjungerent, sibi exponi petierunt, quæ *Actione I.* gesta fuerant, seque uti Synodi Præsides semper habuerunt, atque ipsi, non vero Cyrillus, in sua subscriptione munus legationis expresserunt. Samuel Basnagius in *Annalibus Politico-Ecclesiasticis* ad an. 431. num. 10. hisce omnibus hæc alia superaddit: Cyrillum in *Actione IV. & V. supplicis personam induisse*. Hisce autem in Actionibus neque etiam Projectum, & Arcadium locum Cœlestini tenuisse sustinet, sed Juvenalem Hierosolymitanum, quia iste *Actione IV.* illum libellum, quem Cyrillus, & Memnon obtulerant Patribus, legi jussit dicens (1): " Libellus a sanctissimis sacratissimisque Episcopis Cyrillo Alexandrino, & Memnone Ephesino, oblatus recitetur, & inter Acta referatur ". *Hæc vero* (inquit Basnagius) *sunt Præsidis officia*. Illud quoque Basnagius animadvertit, *Actione V.* eumdem Juvenalem in subscriptione præcedere Arcadium, Projectum, atque Philippum (2).

His tamen omnibus nullo modo evincitur, quod uterque Basnagius vellet. Illud quidem primo Cælestinus Cyrillo mandavit, ut suo nomine contra Nestorium ageret: id tamen muneris Cyrillus retinuit, etiam dum una simul Ephesi congregati Patres contra eumdem Nestorium sententiam tulerunt. Nam Cyrillum in *Actione I.* Concilii Ephesini tenuisse locum Cælestini nullus est dubitandi locus (3): " Confidentibus (ita in citata Actione) in Sanctissima Ecclesia, quæ appellatur Maria, religiosissimis, & sanctissimis Episcopis, " Cy-

(1) Tom. 3. Concil. edit. Venet. colum. 1166. (2) Cit. tomo colum. 1183. (3) Cit. tomo colum. 994.

„ Cyrillo Alexandriæ, qui & Cæleſtini quoque ſanctiſsimi, „ ſacratiſsimique Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi locum obti- „ nebat;& Juvenali". Ad hæc Jacobus Baſnagius opponit,quod de loco Cyrilli legitur, traditum eſſe memoriæ poſterorum a Notariis,vel fortaſſe adjectum ab aliquibus,quia potius quam *locum tenebat*,ſcriptor dicere debuiſſet: *locum tenet*.At vero Baſnagius,ut quod vult,aſſequatur,futilibus ſane momentis adhæreſcit. Nam ſæpius in *Actionibus* Conciliorum hac eadem ratione expreſſum legimus,quod in eis peractum traditur.Illud quoque accedit, omnium conſenſione Codicum de loco, quem ſupra ceteros *Actione I.* Cyrillus tenuit, eſſe eodem loquendi modo perſpectum. Quapropter quum a Cæleſtino commiſſum fuiſſe Cyrillo noverimus, ut in ſui perſona contra Neſtorium ſententiam ferret; quum eam, quam ſemel dedit, auctoritatem ſuſtinendi ſuas vices in cauſa Neſtorii,Cæleſtinum a Cyrillo revocaſſe non legamus; quum Cyrillum, conſidentibus Patribus, Archiepiſcopi Romanæ Eccleſiæ locum tenuiſſe noverimus, atque in ſubſcriptione ceteros præceſsiſſe; quum tandem Synodi VI. Patres in ſuo *Proſphonetico* ad Imperatorem, Nicolaus I., Evagrius, Liberatus, Photius, Balſamon, Marcellinus Comes (1), & alii, Synodo Epheſinæ, Œcumenicæ III., Cyrillum præſediſſe dicant, quonam tandem jure ob confictam conjecturam id in dubium revocari poteſt?

Subeſſe autem plures rationes Cæleſtino potuerunt, ob quas tres poſtmodum Legatos ad Synodum miſerit. Eſt ergo attendendum, munus repræſentandi Occidentalem Eccleſiam in Œcumenicis Conciliis, quæ in Oriente habebantur, iis committi conſueviſſe, quemadmodum ex Concilio Nicæno, & aliis ſubinde Conciliis novimus, qui ad ipſam Occidentalem Eccleſiam ſpectarent, atque ex ejus gremio eſſent. Quum ergo Cyrillus ad Eccleſiam Occidentalem non ſpectaret, eos ad Synodum mittendos eſſe Cæleſtinus putavit, qui e corpore eſſent Eccleſiæ Occidentalis, quique tum ſui, tum Eccleſiæ Occidentalis nomine fungerentur in Synodo munere legationis. Deinde Neſtorianorum malo dolo effectum fuerat, ut

(1) Vide loca eorum in præced. §.

ut Cyrillus apud Theodosium in suspicionem venisset, quod invidia, & odio agitatus, contentionisque æstu abreptus, Nestorium insequeretur. Unde Cælestinus, ut omnem mali occasionem, quæ ex hujusmodi suspicione facile oriri poterat, omnino amoveret, alios Legatos ad Synodum Ephesinam mittendos a se putavit. Tamen, sicuti recte monet Christianus Lupus Dissert. *De Concilio Ephesino* cap. 6. " Laudati Legati principalem locum dumtaxat tenuere, quousque in inflicta per Orientales Episcopos contumelia, & quasi reatu fuit Cyrillus; in integrum restituto, mox cessere locum, utique ex sui Pontificis mandato. Memnas Constantinopolitanus, & trium Diœceseon Episcopi in professione facta Vigilio Papæ ad Sanctam Euphemiam in civitate Chalcedonensi, diserte dicunt, præsedisse Cælestinum in Legatis Cyrillo, Arcadio, & Projecto Episcopis, & Philippo Presbytero. Quotque meminerunt nostræ Synodi, uno ore donant primo vicis Apostolicæ loco ".

Quapropter mirandum non est, si Legati, quoniam eam suspicionem amovere debebant, quæ de Cyrillo orta erat, dum Ephesum pervenerunt, ipsi per se sine Cyrillo suæ legationis munus implevere, exquisieruntque, ut illa sibi manifestarentur, quæ ante suum adventum in Concilio gesta fuerant.

Verum quidem est, a Legatis, non autem à Cyrillo, mentionem de legatione factam fuisse; at etiam illud negari non potest, eodem modo, quo *Actione I.* S. Cyrillum Cælestini locum tenuisse legitur, *Actione* quoque *II. IV. & VI.* retinuisse perspectum esse, subscripisseque in eadem *Actione VI.* decreto fidei ante Arcadium, Juvenalem, & Projectum, Legatos Apostolicæ Sedis. Quapropter Natali ab Alexandro in *Historia Ecclesiastica* seculi 5. *Dissert.* 7. quæst. 2. arbitranti post Legatorum adventum Cyrillum Synodi præsidem Cælestini loco esse desiisse, nullo modo assentiri possum. Quamvis enim ipse Cyrillus una cum Memnone, sicuti ipse animadvertit, supplicem libellum Synodo obtulerit contra Joannem Antiochenum, atque conciliabulum ejus; tamen

tamen Cyrillus in sua causa actor simul, & præses non fuit. Nam Cyrillus in eo libello obsecrat Patres, ut Joannem ejusque socios coram se simul congregatos vocent, atque ita de merito causæ ipsi cognoscant (1): " Nos enim (inquit) pa„ rati sumus evidenter ostendere, ipsum impie, & illegiti„ me hanc nobis contumeliam inferre molitum esse ". Omnium ergo Patrum judicio volebat, ut ea quæstio discuteretur, quæ ad ejus præsidendi munus non spectabat, sed ad illius personam referebatur. Unde absque ullo præjudicio ejus loci, quem tenebat, quoad rem istam Cyrillus judicio Patrum sese subjicere potuit.

Quod autem Samuel Basnagius de Joanne Hierosolymitano opponit, ridiculum est. Nam si Chalcedonensis Concilii Acta expendamus, sæpius in iis *gloriosissimos Judices, & amplissimum Senatum*, postulasse comperiemus, ut hæc, vel illa legerentur, eaque lecta revera fuisse, sicut postulaverant. Anne hac de causa illos Synodo præsedisse dicendum erit? Nimis multa hujus rei exempla habemus, quibus constat Patrum simul congregatorum in Œcumenicis Conciliis modo unum, modo alterum postulasse, ut hæc, vel illa legerentur.

In *V. Actione* Juvenalis tres Legatos Apostolicæ Sedis in sua quidem subscriptione præcedit: verum non omnium Patrum distinctæ subscriptiones in ea *Actione* leguntur, sed trium solummodo Legatorum Apostolicæ Sedis, atque Juvenalis. Quo sane constat, colligi ex ea non posse, quem unúsquisque Patrum supra alterum locum teneret. Quavis autem alia ratione, quam præsidendi jure factum fuisse, ut in hac *Actione* Juvenalis primo loco subscriptus legatur, inde colligitur, quia in aliis *Actionibus* nunquam eum hujusmodi locum in subscriptione tenuisse legimus.

§. XVII. Chalcedonensi Concilio Œcumenico IV. S. Leo per suos Legatos præfuit.

Hoc juris Valentinianus, & Marcianus in eo agnoverunt, dum de Concilii convocatione agentes, hæc ad illum scri-

(1) Cit. tomo colum. 1167.

scripserunt (1): " Tuam Sanctitatem Principatum in Episco-
" patu divinæ fidei possidentem, sacris litteris in principio
" justum credidimus alloquendam, invitantes, atque rogan-
" tes ... quatenus omni impio errore sublato per celebran-
" dam Synodum, te auctore, maxima pax circa omnes Epi-
" scopos fidei catholicæ fiat ". Et Marcianus in altera ad
eumdem Leonem epistola (2): " Superest, (inquit) ut si pla-
" cuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum
" celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur ... si vero
" onerosum est, ut tu ad has partes advenias; hoc ipsum
" nobis propriis litteris tua Sanctitas manifestet, quatenus in
" omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum sa-
" cræ nostræ litteræ dirigantur, ut ad quemdam definitum
" locum, ubi nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi
" debeant convenire, & quæ christianorum religioni, atque
" catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundum eccle-
" siasticas regulas definierit, sua dispositione declarent ".
Auctore itaque S. Leone, qui principatum in Episcopatu Di-
vinæ fidei possidebat, pacem inter Episcopos per Synodum
celebrandam restitui, Patresque in unum congregatos decla-
rare oportere, quæ Christianorum Religioni, & Catholicæ
Fidei prosint, prout S. Leo secundum ecclesiasticas regulas
definiverit, hoc vero est, quod Imperatores affirmant. Ista
autem cum ea præsidendi ratione, quæ etiam consultationes,
atque definitiones Patrum regat, & moderetur, necessariam
connexionem habere, nemo est, qui non videat.

Usus autem S. Leo ea potestate in concilio revera fuit, quam in ipso Imperatores agnoverunt. Nam in epistola data ad Synodi Patres, postquam eosdem monuit, se ad Synodum venire non posse, ita habet (3): " Tamen in his fratribus
" Paschasino, & Lucentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio
" Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Sy-
" nodo vestra fraternitas existimet præsidere, nec adjuncta
" vobis præsentia mea, qui nunc in Vicariis meis adsum ".

 Unde

(1) Tom.4. Concil. edit. Venet. colum. 831. 1. par. Concil Chalced. cap. 23. (2) Cit. loco colum. 834 (3) Cit. tomo colum. 842.

Unde initio Synodi *Actione I.* Paschasinus, quæ circa Dioscorum S. Leo servanda præcepisset, Patribus simul congregatis exposuit (1): " Beatissimi, (inquit) atque Apostolici viri Papæ urbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus est ejus Apostolatus, ut Dioscorus &c. " Patres vero, quæ S. Leo decreverat, atque constituerat, religiose amplexi, & sequuti fuere. Nam *Magnificentissimis Judicibus*, *& Amplissimo Senatu* eos rogantibus, ut fidei expositionem facerent, *Actione II.* clamaverunt (2): " Expositionem alteram nullus facit: neque tentamus, neque audemus exponere . . . Cecropius reverendissimus Episcopus Sebastopolitanus dixit: emersere runt, quæ ad Eutychem pertinebant, & super iis forma data est a sanctissimo Archiepiscopo Romanæ urbis, & sequimur eam, & epistolæ omnes subscripsimus. Reverendissimi Episcopi omnes clamaverunt: ista omnes dicimus: sufficiunt, quæ exposita sunt: alteram explicationem non licet fieri ". Hinc in *Relatione*, quam Patres, peracta Synodo, ad Leonem Summum Pontificem dederunt, sibi Divinæ legis, vocisque B. Petri eum interpretem fuisse testantur, atque, sicut caput membris, sibi præfuisse illos, qui locum ejus tenebant (3): " Quam (scilicet agnitionem Dominicam) veluti auro textam seriem (inquiunt) ex veste Christi, & præcepto legislatoris venientem usque ad nos ipse servasti, vocis B.Petri omnibus constitutus interpres, ejus fidei beatificationem super omnes adducens. Quibus (hoc est nobis) tu quidem sicut caput membris præeras in his, qui tuum tenebant ordinem, benevolentiam præferens ". Præfuit ergo S. Leo in persona suorum Legatorum Chalcedonensi Concilio, atque ita quidem, ut non solum honore, & dignitate, sed etiam rerum decernendarum auctoritate, ac potestate, omnibus, sicut caput membris, præsederit.

§. XVIII. Synodo Chalcedonensi, Œcumenicæ IV., Legatos

(1) Cit. tomo colum.863. (2) Cit. tomo colum.1206. (3) Cit. tomo colum.1774.

gatos S. Leonis non præsedisse, futilibus conjecturis uterque Basnagius ostendere conatur.

Jacobus Basnagius in *Historia Ecclesiæ* lib. 10. cap. 5. n. 6. Leonem quidem a Marciano petiisse dicit, ut Chalcedonensi Synodo præsidendi facultatem sibi faceret, verum id Marcianum passum non fuisse, voluisseque, ut Senatores, quos ad Concilium misit, in sui absentia Concilio præsiderent. Hoc primo colligit ex iis, quæ *Actione I.* in causa Dioscori gesta fuere. Quamvis enim, ipse ait, Legati Romani Pontificis vellent, ut Dioscorus in Concilio una cum aliis Patribus non sederet, atque ad id facilius assequendum, quæ a Summo Pontifice quoad rem istam in mandatis haberent, exposuissent; tamen Senatus in id non consensit, præcepitque Legatis, ut judicum persona deposita, susciperent accusatorum, si Nestorium e Synodo ejectum vellent. Neque hac vice solum (ipse pergit) Judices sese opposuerunt sententiæ Legatorum, atque Legati Judicibus obtemperarunt: quandoquidem dum Legati petierunt, ut Episcopi Ægyptii subscriberent, atque id urgerent, quamvis Episcopi causarentur, sine suo Patriarcha id se facere non posse, Judices petitioni Legatorum restiterunt, illorumque sententiæ Paschasinus sese subjecit.

Illud quoque Basnagius opponit, quod peractum legitur in *Actione V.*, quando fidei definitio edita fuit. Hac enim proposita Patribus, mutilam eam esse nonnulli Patres una cum Legatis censuere. Judices quoque in hanc sententiam descenderunt, quamvis minor numerus Patrum pro ea staret: quare proposuerunt cunctis Patribus, ut facta fidei confessio reformaretur, eique hæc verba adjicerentur, quæ Ecclesiæ doctrinam clare exponerent, hoc est " Jesum Christum natum e Virgine Matre Dei, habere duas naturas unitas in- „ convertibiliter, inseparabiliter, & inconfuse ". Per eos autem hæc reformatio definitionis fidei facta fuit, præsentibus Judicibus, & Senatu, quibus illi rem hujusmodi commiserunt. Quamvis autem major multitudo Patrum alteram fidei definitionem fieri antea repugnaret; tamen postea de-

M 2 nuo

nuo conditæ acquieverunt. Ad hæc id etiam Basnagius animadvertit, neque obsequium obedientiæ, quam Summo Pontifici præstare debebant, neque Legatorum obtestationem, qua se ab ea Synodo recessuros, aliamque in Occidente coacturos comminabantur, a Patribus, qui antea fidei definitionem mutandam non esse tuebantur, tanti facta fuisse, ut propter ea in alteram denuo editam fidei definitionem con senserint, sed solummodo Judices sua dexteritate effecisse, ut in illam postea consenserint. Unde Judices ab Imperatore deputatos iis *Actionibus* præfuisse, in quibus de fide agebatur, Basnagius confidenter affirmat.

In sola ergo *Actione III.* Legatos Apostolicæ Sedis Synodo præfuisse, idem auctor concedit, quia in ea Nestorius juxta sententiam illorum damnatus fuit. Ideo autem Legatos in hac *Actione* præfuisse affirmat, quia Imperator, & Senatus in illa non aderant, & de Patriarchæ Alexandrini, qui primo loco post Judices sedere consueverat, depositione agebatur. Hinc est, concludit Basnagius, ut postea Senatus quum rediisset, Legatis objecerit, esse illos rationem Deo de eo reddituros, quod in sui absentia egerant, atque ita iisdem exprobarunt, illam jurisdictionem, quam non habebant, sibi tribuisse.

Samuel Basnagius in *Annalibus Politico-Ecclesiasticis* ad an. Christi 451. num. 11. *Actioni XII.* non Legatos Leonis, sed Anatolium præfuisse arbitratur. Ita vero sentit, quia quærentibus Judicibus, utrum Bassianus, vel Stephanus pro Episcopo Ephesino esset habendus, primus omnium Anatolius sententiam dixit. Judicium autem Anatolii Legati Apostolicæ Sedis sequuti fuere. Unde etiam Judices Anatolium iisdem Legatis per hæc verba præposuisse, Basnagius colligit: " Quoniam placuit universis interloquutio Dei amantissimi Archiepiscopi Regiæ Constantinopolis Anatolii, & Reverendissimi Episcopi Paschasini obtinentis locum Leonis &c. " Inde vero Basnagius putat, præfecturam hac in Actione Anatolio traditam fuisse, " Quia Ephesus ad Diœcesim ipsius pertinebat... & incongruum fuisset, Legatos Leonis in Con-

„ stan-

„ ſtantinopolitani Præſidis jura involare: neque ad Chalcedo-
„ nem miſſi fuerant, ut Eccleſiæ conſuetudines perfringe-
„ rent ".

Fallitur ſane hac in re uterque Baſnagius. Præſidum ergo duplex genus in hac Synodo fuiſſe, Samueli Baſnagio damus, hoc eſt, Politicos, atque Eccleſiaſticos: penes illos fuit efficere, ut omnia ordinate, & ſine perturbatione fierent, penes iſtos autem regere, & moderari conſultationes, definitioneſque faciendas. Illi rei *Glorioſiſſimi Judices*, & *Magnificentiſſimus Senatus*, abſente Imperatore, præfuerunt; iſti autem Legati Apoſtolicæ Sedis. Ad turbas ergo omnes compeſcendas, atque vim prohibendam, ne hac in Synodo idem eveniret, ac in latrocinio Epheſino contigerat, voluit Imperator, ut, abſente ſe, Judices, atque Senatus Synodo intereſſent, atque ob eamdem rationem *Actioni VI.*, & ſequentibus ipſe interfuit (1). " Nos omnino (inquit Imperator in
„ Alloquutione ad Concilium habita) ad fidem confirmandam, non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo
„ Religioſi Principis Conſtantini, Synodo intereſſe voluimus,
„ ne vel ulterius populi pravis ſuaſionibus ſeparentur. Facile
„ enim ſimplicitas quorumdam hactenus nonnullorum inge-
„ geniis, atque ſuperflua verboſitate decepta eſt, & conſtat
„ diverſorum pravis inſinuationibus diſſenſiones, & hæreſes
„ natas. Studium autem noſtrum eſt, ut omnis populus per
„ veram, & ſanctam doctrinam unum ſentiens, in eamdem
„ religionem redeat, & veram fidem catholicam colat, quam
„ ſecundum inſtitutionem Patrum exponere concordantibus
„ æque animis religio veſtra feſtinet ". Munus ergo exponendi veram fidem Catholicam Marcianus tribuit Patribus, curandi autem, ne diverſorum pravis diſſenſionibus hæreſes orirentur, ſibi adjudicat. Eum autem voluiſſe, dum ipſe abeſſet, ut Senatus, & Judices illam in Synodo poteſtatem exercerent, quam Patrum propriam eſſe confeſſus fuerat, quiſnam unquam dixerit?

Superiori autem §. quum oſtenſum fuerit a nobis, Valen-

(1) Tom. 4. Concil. edit. Venet. colum. 1473. *Actione VI.*

lentinianum, & Marcianum jus præſidendi hac in Synodo in Leone agnoviſſe, ipſumque Leonem eo revera uſum, atque Concilii Patres Divinæ legis, & vocis B. Petri interpretem S.Leonem habuiſſe, ac ſicut caput membris, ſibi præfuiſſe teſtatos eſſe; non eſt, cur nunc reſpondeamus Baſnagio confingenti, Leonem a Marciano repulſam tuliſſe, dum ab eo petiit, ut Synodo præſideret. Fundamentum ergo expendamus, ex quo id ſe colligere poſſe, Baſnagius falſo putat. Illud ergo Paſchaſinus Vicarius Apoſtolicæ Sedis petiit *juxta præceptum Papæ urbis Romæ, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum*, ut Dioſcorus *non ſederet in Concilio, ſed audiendus intromitteretur*: quod ſi ille non egrederetur, una cum aliis Legatis a Synodo ſe abſceſſurum dixit. Ad hæc Judices, & Senatus, quid *ſpecialiter Dioſcoro ingereretur*, quæſierunt. Urgere tamen Legati perſtitere, ſe nullo modo pati poſſe, ut Dioſcorus una cum aliis in Concilio ſederet. Tunc ſane Judices, & Senatus Lucentio Legato Apoſtolicæ Sedis dixerunt, non debere eum agere perſonam accuſatoris, ſi judicis ſuſtineret. Verumtamen poſt hæc Dioſcorus *ſecundum juſſionem* Judicum, & Senatus *in medio reſidens* deſcribitur, *in propriis autem locis reſidentibus Romanis, & Reverendiſſimis Epiſcopis* (1). Factum id ergo fuiſſe, quod Legati petierant, hoc eſt, ut una ſimul cum aliis Patribus Neſtorius non reſideret, dubitari non poteſt. Quod ſane inde magis magiſque confirmatur, quia Neſtorio *in medio reſidente, in propriis autem locis reſidentibus Romanis, & Reverendiſſimis Epiſcopis* in illa omni *Actione* de cauſa Neſtorii, atque eorum, qui eidem adhæſerant, actum fuit. Fingit ergo Baſnagius Judices, & Senatum Legatis Apoſtolicæ Sedis contradicendo obſtitiſſe.

Quod vero ſpectat ad ſubſcriptionem Epiſcoporum Ægyptiornm, Judices reſtitiſſe petitioni Legatorum, & Paſchaſinum Legatum Apoſtolicæ Sedis ſententiæ illorum ſeſe ſubjeciſſe, unde nam tandem Baſnagius novit? *Actione IV.* hujus Concilii Patres ab Epiſcopis Ægyptiis petiiſſe legimus, ut, omni tergiverſatione ſepoſita, & Euthychem damnarent, & epiſtolæ Leo-

(1) Cit. tomo colum. *866*.

Leonis subscriberent. In illud quidem post multas contentiones Episcopi Ægyptii consenserunt, non vero in istud, atque ita Patres alloquuti fuere (1): "Sciunt omnes Sanctissimi Patres no-
„ stri, quia in omnibus expectamus sententiam B. nostri Archie-
„ piscopi, & petimus clementiam vestram expectare Præsidis
„ nostri sententiam, quia eum in omnibus sequemur". Illud quoque causati fuerunt, Episcopos suæ regionis esse nimis multos, se vero paucos, & non posse *personas illorum suscipere*. Quapropter superaddebant: "Petimus autem vestram sublimitatem,
„ ut misereamini nobis, ut expectetis nostrum Archiepisco-
„ pum, ut secundum antiquam consuetudinem illius sequa-
„ mur sententiam. Quia si extra voluntatem Præsidis nostri
„ aliquid faciamus, sicut præsumptores, & non servantes se-
„ cundum canones antiquam consuetudinem, omnes Ægy-
„ ptiacæ regionis insurgent in nos". Ad hæc Acacius Episcopus Ariarathiæ incongruum esse reposuit, eos: "Univer-
„ salem Synodum prætermittere, & in unam personam atten-
„ dere, quæ susceptura est Episcopatum Alexandrinæ magnæ
„ civitatis"; eorum intentionem propterea esse, "Sicut in
„ Epheso perturbaverunt omnia, & scandalis compleverunt
„ universum mundum, & nunc istam sanctam, & magnam
„ Synodum perturbare". Cecropius vero Episcopus Sebastopolis: "Universalis hæc Synodus (inquit) Ægyptiaca regio-
„ ne major est, & fide dignior: & non est justum decem hæ-
„ reticos audiri, & prætermitti mille ducentos Episcopos.
„ Non enim nunc nos exigimus, ut pro aliis suam fidem
„ ostendant, sed dicimus, ut ipsi pro sua persona rectæ fidei
„ consentiant". His Episcopi Ægyptii non acquievere, sed perorare perstiterunt, ne sine sui Archiepiscopi consensione ad subscriptionem adigerentur. At tunc eorum obstinatione perspecta: "Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt:
„ isti haretici sunt: subscribant damnationi Dioscori". Tunc sane Judices, & Senatus suam auctoritatem in eo interposuerunt, ut mitius a Patribus cum Episcopis Ægyptiis ageretur, atque expectaretur, prout iidem petebant, ut Episcopus Alexan-

(1) Cit. tomo colum. 1402. & seqq.

xandrinus eligeretur, antequam ii ad subscriptionem compellerentur. Quibus Paschasinus Legatus Apostolicæ Sedis: "Si
„ præceperit (inquit) gloria vestra, & jubetis illis aliquid
„ præstari humanitatis, fidei jussoribus datis, non exeant de
„ ista civitate, quando Alexandria Episcopum accipiat. Ma-
„ gnificentissimi, & gloriosissimi Judices, & amplissimus Se-
„ natus dixerunt: sanctissimi Paschasini sit firmum judicium.
„ Unde permanentes in proprio habitu Reverendissimi Epi-
„ scopi Ægyptiorum, aut dent fidejussores, si hoc illis est
„ possibile; aut per sacramentum eis credatur, quia expe-
„ ctant ordinationem futuri Episcopi magnæ civitatis Alexan-
„ driæ". Quam Basnagius oppositionem agnoscit inter Legatos, & Judices, atque Senatum, nullam sane video. Nam Judices, & Senatum Legatis, immo omnibus Patribus, sese opposuisse, simpliciter dici non potest, quum suam apud eos auctoritatem solummodo interposuerint, ut mitius, quam statuerant, cum Ægyptiis Episcopis agerent. Paschasinus annuit quidem postulationi Judicum, & Senatus; verum voluit, ut fidei jussores darentur, ejusque hac de re *judicium* Judices, & Senatus *firmum* esse constituerunt. Nihil ergo a veritate magis alienum est ea subjectione, quam hoc in negotio Basnagius se deprehendisse putavit.

Neque minus aberrat a vero in his omnibus, quæ ex hoc toto negotio definitionis fidei ipse colligit. Quamvis enim ei demus, *Actione V.* Senatus, Judicumque consilio factum fuisse, Imperatore quoque postmodum in id consentiente, ut ex quibusdam provinciis nonnulli Episcopi eligerentur, qui una cum Archiepiscopo Anatolio, & Legatis Apostolicæ Sedis in Oratorio S. Euphemiæ separati ab aliis, de illa fidei definitione viderent, quam nonnulli Orientales una cum Legatis mutilam esse contendebant, contra vero sentiebat reliqua multitudo Patrum; licet concedamus, Senatum, atque Judices de eo hos Patres monuisse, ut adderent definitioni (1):
„ Secundum judicium Sanctissimi Patris nostri Leonis duas
„ esse naturas unitas in Christo inconvertibiliter, & insepa-
„ rabi-

(1) Cit. tomo colum. 1451.

„ rabiliter, & inconfuse "; etsi ei assentiamur, præsentibus Senatu, & Judicibus privatim hac de re actum fuit in Oratorio S. Euphemiæ ab Episcopis designatis una cum Anatolio, & Legatis Apostolicæ Sedis; tamen & (1) " Rogati ab omnibus „ gloriosissimi Judices intraverunt in Oratorio Sanctissimæ „ Martyris Euphemiæ " una cum aliis, & decretum de definitione fidei non a Judicibus, sed a Patribus editum fuit. Nam (2) " Postquam tractaverunt (Patres supra recensiti) de „ sancta fide, & exierunt, & sederunt omnes, magnificentissimi, & gloriosissimi Judices dixerunt: dignetur sancta „ Synodus fidem continens, cum taciturnitate audire, quæ „ decreta sunt in præsentia nostra a congregatis sanctissimis „ Patribus, qui & definitionem fidei interpretati sunt ". Tunc sane (3) " Post lectionem definitionis omnes religiosissimi Episcopi clamaverunt: Hæc fides Patrum. Metropolitani modo subscribant: quæ bene definita sunt, dilationem non suscipiant. Hæc fides Apostolorum: huic omnes „ consentimus: ita sapimus ". Quapropter Judices, & Senatus Legatis potius Apostolicæ Sedis, nonnullisque Orientalibus cum iisdem sentientibus, quam majori multitudini Patrum assensi fuere, & suam in eo operam impenderunt, ut, quemadmodum Legati Apostolicæ Sedis faciendum esse contendebant, fidei definitio secundum judicium sanctissimi Patris Leonis fieret: rogati interfuerunt quidem, nullo autem modo incubuerunt disquisitioni, quæ hac de re a Legatis Apostolicæ Sedis una cum Anatolio, nonnullisque aliis facta fuit: quod isti decrevere, curarunt, ut omnibus Synodi Patribus proponeretur: id autem semel sibi propositum, uti *decretum a congregatis sanctissimis Patribus, qui & definitionem fidei interpretati fuerant*, omnes unanimi consensione susceperunt. Hac vero ratione factum fuit, ut quod Legati una cum nonnullis hujus initio contentionis a ceteris Patribus obtinere non potuerunt, postea obtinuerint, quemadmodum sæpe contingit, dum de re aliqua disputatur: illudque semper animadverti debet, ex sententia Legatorum, aliorumque Epi-

(1) Cit. loco. (2) Cit. loco. (3) Cit. tomo colum. 1462.

ſcoporum hac de re definitum, & judicium iſtorum totum demum concilium fuiſſe ſequutum. Quod ergo nullo modo poteſt, Baſnagius colligit ex iis, quæ *Actione V.* quoad diſputationem exortam de definitione fidei contigerunt; immo omnia illa contra ipſum faciunt.

Ea vero de cauſa, quam Baſnagius commemorat, Legatos Apoſtolicæ Sedis *Actioni III.* præfuiſſe, non eſt, cur nunc falſum eſſe oſtendamus. Satis enim evidenter de hujus rei falſitate conſtat ex iis, quæ ſupra diſſeruimus (1), & ex Sinodi geſtis habemus, Legatos in omnibus *Actionibus* & eumdem ſemper locum tenuiſſe, & vices S. Leonis obiiſſe. Initio quidem *Actionis IV.* (2) " Magnificentiſſimi, & glorioſiſſimi Judices, & ampliſſimus Senatus dixerunt: manifeſtatis iis, quæ jam pridem conſtituta ſunt, quod placuit reverendo Concilio de ſancta fide, ipſum nos doceat "; verumtamen ubi intellexerunt, quid Patribus de ſancta fide placuerat, & de eorum unanimi conſenſione compererunt, non ſuo illud judicio ſubjecere, quemadmodum conveniſſet eis, ſi hac in re præſidentis perſonam ſuſtinuiſſent, neque quidpiam a Patribus præter jura geſtum, definitumque exprobarunt, ſed omnia Dei judicio reliquere (3). Poſt multa vero alia, de quibus, in hac *Actione IV.* diſputatum fuit, ſtatuerunt, ut (4) " Ex ſententia Synodi in aliis quoque omnibus provinciis regulæ tenerent ". Nullum ergo hic quoque vel leviſſimum argumentum eorum habemus, quæ Baſnagius ſibi videre viſus fuit.

De eo, quod opponit alter Baſnagius nunc videamus. *Actione* itaque XII. illud quidem a ſancta Synodo Judices petierunt, ut decerneret, utrum Baſſianus, an vero Stephanus, pro Epiſcopo Eccleſiæ Epheſinæ eſſet habendus: neutrum eorum haberi debere, ſi tamen id Concilio placeret, tunc Anatolius omnium primus dixit, quia uterque, contra ac ferunt canones, ſibi Epiſcopatum uſurpaverat. Ejuſdem ſententiæ Paſchaſinus, & Lucentius Legati Apoſtolicæ Sedis fue-

(1) Vide præced. §. (2) Cit. tomo colum. 1362. (3) Cit. tomo colum. 1398. (4) Cit. tomo colum. 1442.

fuerunt. Verum Julianus, & ipse Legatus Apostolicæ Sedis contra obstitit, dixitque (1) *non debere* ambos *projici*. Suasione Judicum re deinde melius expensa, iterum Anatolius primus omnium, quam jam dixerat, sententiam confirmavit, idemque post eum etiam Pascasinus fecit. Tunc sane in sententiam illorum omnes Patres consenserunt, atque ob id Judices exequûtioni mandari jusserunt, quod ab universa Synodo decretum fuerat. At vero illud nos Samueli Basnagio ex hisce inferenti Anatolium *Actioni XII.* præfuisse, observandum proponimus, etiam in *Actione IV.* ad postulata Judicum Anatolium primum omnium respondisse (2): *Actione V.* Joannem Episcopum Germanicæ ante Anatolium, & Paschasinum, lecta definitione fidei, eam mutilam esse pronutiasse (3). Ex his tamen ipse Basnagius non solum non infert, Anatolium *Actioni IV.*, Joannem vero Episcopum *V. Actioni* præfuisse, sed etiam aperte confitetur, Legatos Apostolicæ Sedis omnibus *Actionibus*, excepta XII., præsedisse. Verum si non obstat, IV., & V. *Actioni* eos præsedisse, quamvis ante illos Anatolius, & Joannes in iisdem loquuti fuerint, neque etiam obstare debet, quin XII. præsederint, etsi Anatolius omnium primus suam sententiam dixerit.

§. XIX. Œcumenicæ V. Synodo Constantinopolitanæ II. Vigilius Summus Pontifex non præfuit, quia illi adesse renuit; præfuisset tamen, si adesse voluisset.

Huic ergo Synodo neque per se, neque per suos Legatos Vigilius præfuit, immo ea, repugnante Vigilio, habita fuit. Verum contra illud jus, quod Summus Pontifex Conciliis Œcumenicis præsidendi habet, nihil ex hac Synodo evincitur. Quandoquidem V. Synodus ut Œcumenica haberetur ab Ecclesia, Romanorum Pontificum auctoritate factum fuit (4). Quo sane constat, Concilia neque dici, neque haberi uti Œcumenica posse, quæ, non præsidente Romano Pontifice, vel per se, vel per suos Legatos, habita fuerint. At vero V. Œcumenicæ Synodo, si ei Vigilius interesse voluisset,

(1) Cit. tomo colum. 1623. (2) Cit. tomo colum. 1362. (3) Cit. tomo colum. 1446. (4) Cap. præced. §. 10.

futurum fuisse, ut illi præsideret, hoc vero est, quod modo volumus. Eutychius enim Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola ad Vigilium data, postquam eum certiorem fecit de fide, quam ipse una cum aliis Orientalibus profitebatur, simul rogavit, ut ad sententiam ferendam de tribus Capitulis huic Synodo praeesse dignaretur (1): " Quum igitur (inquit) „ prædicta omnia & servavimus, & servamus, & in his nobis „ ipsis invicem consentimus, necessarium est conferri de tri- „ bus Capitulis, unde quibusdam quæstio nata est. Et ideo „ petimus, præsidente nobis vestra Beatitudine, sub tran- „ quillitate, & sacerdotali mansuetudine, propositis sanctis „ Evangeliis, communi tractatu eadem Capitula in medio „ proponenda quæri, & conservari, & finem quæstioni im- „ poni Deo placitum, & convenientem his, quæ a sanctis „ quatuor Conciliis definita sunt ". Ei autem respondit Vigilius (2): " Poposcit vestra fraternitas, (inquit) ut nobis præ- „ sidentibus de tribus Capitulis, ex quibus quæstio nata est, „ sub tranquillitate, & sacerdotali mansuetudine, sanctis pro- „ positis Evangeliis, conferatur ". Fuit ergo huic Concilio præsidendi jus Vigilio tributum, Vigiliusque huic Concilio præesse annuit, dum ut illud haberetur, in sententia manebat (3).

§. XX. Jacobus Basnagius falso putat, Patres V. Œcumenici Concilii nullam rationem habuisse ejus juris, quod est penes Summos Pontifices, præsidendi Conciliis Œcumenicis.

Historia Ecclesiæ lib. 10. cap. 6. num. 13. hæc in suam rem animadvertit. Patres *Collatione I.* Vigilium vocasse ad Concilium, non uti supremum Ecclesiæ caput, sed ut una secum conferret de tribus Capitulis: *Collatione II.* & eas excusationes depulisse, ob quas Concilio sese interesse non posse Vigilius causabatur, & indixisse illi, se in unum, eo licet absente, simul conventuros: *Collatione VIII.* declarasse, se edituros illas definitiones, quæ necessariæ erant, quia "Absentia „ unius peculiaris non præjudicat definitionibus Ecclesiæ, „ &

(1) Tom. 6 Concil. edit. Venet. colum. 26. (2) Cit. tomo colum. 30.
(3) Vide quæ disseruimus cap. præced. §. 10.

„ & veritas manifestari non potest nisi hujusmodi Conciliis, „ atque unusquisque ab alio illuminari indiget". Quapropter, inquit Basnagius, quum Patres sub Vigilii oculis in unum revera convenerint, fideique definitiones ediderint, consequens inde est, in Vigilio neque Ecclesiæ caput cognovisse, neque in eo admisisse illam potestatem, qua Œcumenicis Conciliis præsideret.

At licet Patres, repugnante Vigilio, in unum simul convenire cum eis, inter se convenerint, atque, edito decreto, tria Capitula damnaverint; tamen in ea sententia non fuerunt, quam Basnagius eisdem affingit. Quid enim Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus senserit de jure præsidendi Conciliis Œcumenicis, quod est in Summis Pontificibus, omnino perspectum ex ea epistola habemus, quam ad Vigilium dedit (1). Neque alterius sententiæ sese esse, Patres in *I. Collatione* præsetulere. Nam legatio, quam ad Vigilium communi nomine miserunt, sicuti etiam Samuel Basnagius animadvertit, licet ejusdem, ac alter Basnagius, falsæ opinionis defensor & ipse quoque sit in *Annalibus Politico-Ecclesiasticis* ad an. Christi 553. num. 13., *honorificentior esse non poterat, ut ex numero præsidumque dignitate liquet*. Deinde quum Legati missi ad Vigilium ad eum inducendum, ut Synodo interesse vellet, Patribus retulissent, Vigilium sibi respondisse, postero die manifestaturum, *quod ei de tali conventu placuerit* (2), rem totam in diem sequentem differendam esse, Patres censuerunt: " In postero autem die (dixerunt) pollicitus est mani- „ festare, quod ei de tali conventu placuerit. Oportet igi- „ tur præsentem diem differre". Profecto neque tam celebris legatio, neque tantæ reverentiæ argumentum hac in dilatione exhibitum in illum cadit, qui cum ceteris Patribus in Conciliis eamdem potestatem habeat. *Collatione II.* Legati quidem de eo Vigilium urgere non destiterunt, ut ad Synodum accederet, atque Patres in unum simul conventuros, etiam illo absente, dixerunt; verum ad id Vigilium inducere nitebantur, ut quæstio communem in scriptis definitionem reci-

(1) Vide præced. §. (2) Tom. 6. Concil. edit. Venet colum. 31.

reciperet (1): " Nihil est, (inquiebant) quod prohibeat convenire vos una nobiscum secundum ea, quæ inter nos in scriptis facta sunt: & melius est cum charitate decente Sacerdotes convenire, & unam pro causa sententiam statuere, ut tunc quæstio communem in scriptis definitionem suscipiat ". Unius profecto absentia Episcopi, qui æqualem cum aliis Episcopis simul congregatis auctoritatem habeat, firmitati definitionum, quæ in Concilio fiant, nihil officit. Quapropter si repetita legatione Patres, & Imperator Vigilium rogarunt, ut ad Synodum accederet, evidenti argumento id esse debet, habitum non fuisse Vigilium a Patribus, uti alterum quemdam Præsulem, qui secum non aliter, ac alii Præsules, de tribus Capitulis conferret, sed uti eum, per quem faciendæ definitioni singulare robur, atque auctoritas accederet. Hac vero de causa non contenti Patres Concili (2) *sæpius in scriptis, & sine scriptis*, ut ipsi ajebant, tria a Vigilio Capitula condemnata fuisse, ad quorum & ipsi condemnationem in unum cogebantur, volebant Vigilium secum una convenire(3), "Ut per communem consensum omnium finem susciperet causa trium Capitulorum ". Unius autem alteriusve privati Præsulis præsentia communem consensum non inducit, aut absentia tollit: utrumque vero propter præsentiam, aut absentiam ejus contigit, qui ceteris omnibus præesse debet.

Collatione VIII. in Labbeana quoque editione, quam Basnagius citat, ita Patres habent: " Sed & sancti Patres, qui per tempora in sanctis quatuor Conciliis convenerunt, antiquis exemplis utentes, communiter de exortis hæresibus, & quæstionibus dispofuerunt, certo constituto, quod in communibus disceptationibus quum proponuntur, quæ ex utraque parte discutienda sunt, veritatis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim potest in communibus de fide disceptationibus aliter veritas manifestari, quum unusquisque proximi adjutorio indiget ". Hæc vero omnia Patres non

(1) Citato tomo colum. 36. (2) Citato tomo colum. 38.
(3) Citata colum.

non eo quidem fine habent, ut præseferant, sicuti Basnagius vellet, se in Vigilio neque Ecclesiæ primum caput agnoscere, neque jus præsidendi Conciliis Œcumenicis, (contrarium enim tum Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus, tum alii Patres prætulerant) sed ut ostenderent ea ratione, qua possent, una cum aliis Vigilium Synodo adesse, non prætermittere debuisse. Ob quam causam illud quoque in Vigilii memoriam se revocasse testantur, Apostolos, quamvis Spiritus Sancti gratia abundarent, atque ad ea, quæ agenda erant, alieno consilio non indigerent; tamen nihil prius de proposita quæstione circumcisionis definire voluisse, quam simul congregati ea de re vidissent. Hæc vero omnia ostendunt, Patres, dum ad condemnationem trium Capitulorum Concilium habere instituerunt, licet Vigilius ad illud intervenire repugnaret, de eo fuisse sollicitos, ut suam deliberationem haud irrationabilem esse prætexerent, non vero ut quam debebant, Vigilii rationem non haberent.

Tandem illud quoque animadvertendum esse censeo, Justinianum, dum Patres Constantinopoli congregatos ad condemnationem trium Capitulorum adhortatus fuit, eosdem de eo etiam monuisse, Vigilium (1) "Non semel, nec „ bis, sed etiam sæpius in scriptis anathematizasse tria Ca„ pitula". Simili ratione dum Constantinus Quæstor sacri palatii *Collatione VII.* suasit Patribus, ut quæstioni de tribus Capitulis finem imponerent, de eadem re illos monuit (2). Profecto neque Justinianus, neque Constantinus de hoc monere Patres tam solliciti fuissent, si Vigilii judicium eodem in pretio, ac alterius Præsulis habuissent, immo si non illud a Patribus simul congregatis magni faciendum esse putassent. Habuerint ergo sane Patres concilium, cui Vigilius interesse noluit, ut Imperatori obtemperarent: ipsi in unum congregati tria Capitula damnaverint; tamen nullam eos habuisse rationem ejus juris, quod est in Summo Pontifice, præsidendi Conciliis Œcumenicis, probare Basnagius frustra laboravit.

§. XXI.

(1) Cit. tomo colum. 23. (2) Cit. tomo colum. 178.

§. XXI. Œcumenicæ Synodo VI., Constantinopolitanæ III. Summus Pontifex Agatho per suos Legatos præfuit.

Id Patres in *Sermone Prosphonetico* ad Imperatorem aperte testantur: inquiunt enim (1): " Proinde inspiratione Sancti Spiritus conspirantes, & ad invicem omnes consonantes, atque consentientes, & Agathonis Sanctissimi Patris nostri, & Summi Papæ dogmaticis litteris ad vestram fortitudinem missis consentientes, nec non & suggestioni sanctæ, quæ sub eo est, Synodi CXXV. Patrum concordantes, unum de Sancta Trinitate Dominum nostrum Jesum Christum etiam incarnatum prædicamus in duabus naturis indivise, inconfuse laudandum ". Et infra: " Summus autem nobiscum concertabat Apostolorum Princeps: illius enim imitatorem, & Sedis successorem habuimus fautorem, & Divini Sacramenti mysterium illustrantem per litteras. Confessionem tibi a Deo scriptam illa Romana antiqua civitas obtulit, & dogmatum diem a vespertinis partibus extulit charta, & atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur ". Ita sane VI. Œcumenici Concilii Patres ad Imperatorem. Quid vero ad Agathonem Summum Pontificem scripserint, nunc videamus (2): " Itaque tibi, ut primæ Sedis Antistiti universalis Ecclesiæ, quid agendum sit, relinquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter perlectis veræ confessionis litteris a vestra paterna Beatitudine ad piissimum Imperatorem missis; quas ut a summo Apostolorum vertice divine præscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus.... Anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata, Theodorum Episcopum Pharan &c.... Sic nos Sancto Spiritu illustrati, vestraque instituti doctrina, infesta dogmata impietatis depulimus ". Præstiterunt sane Patres, quod Agatho una cum Romana Synodo in litteris ad Imperatorem datis ab omnibus præstandum esse significavit (3): " Personas „ au-

(1) Tom. 7. Concil. edit. Venet. colum. 1086. (2) Citato tomo colum. 1110. (3) Cit. tom. colnm. 1714.

„ autem (inquit) de nostræ humilitatis ordine prævidimus di-
„ rigere ad vestræ a Deo protegendæ fortitudinis vestigia,
„ quæ omnium nostrum, id est, universorum per septentrio-
„ nales, vel occiduas regiones Episcoporum suggestionem,
„ in qua & Apostolicæ nostræ fidei confessionem prælibavi-
„ mus, offerre debeant, non tamen tamquam de incertis
„ contendere, sed ut certa, atque immutabilia compendiosa
„ definitione proferre, simpliciter obsecrantes, ut a Deo
„ coronato vestro imperio favente, hæc eadem omnibus præ-
„ dicari, atque apud omnes vim obtinere jubeatis". Et post alia: "Quicumque proinde Sacerdotum hæc, quæ in hac
„ nostræ humilitatis confessione continentur, nobiscum sin-
„ cere prædicare desiderat, ut nostræ Apostolicæ fidei con-
„ cordes, ut consacerdotes, ut comministros ejusdem fidei,
„ & (ut simpliciter dicamus) ut spirituales Fratres, & Coe-
„ piscopos nostros suscipimus. Qui vero hæc confiteri no-
„ luerint, ut infestos Catholicæ, atque Apostolicæ confessio-
„ ni, perpetuæ condemnationis reos esse censemus: nec
„ aliquando tales in nostræ humilitatis collegio, nisi corre-
„ ctos suscipere patimur". Ii ergo, quos Pontifex misit, ut vice sui Concilio præsiderent, quosque primo loco omnium in singulis hujus Concilii Actionibus revera præsedisse legimus, quæ ab eodem Summo Pontifice in Romano Concilio definita fuerant, *ut certa, atque immutabilia compendiosa definitione proferre* in VI. Synodo debebant, eaque ut ab omnibus reciperentur, Imperatoris opera postulabatur. Ex tunc autem illud quoque ab Agathone decretum fuerat, esse eos omnes in Ecclesia, qui juxta ea, quæ definiverat, una secum sentirent, perpetuæ vero condemnationis reos esse alios, qui Apostolicæ confessioni adversarentur. His ergo mandatis Agathonis VI. Œcumenicæ Synodi Patres obsequuti Imperatorem in suo ad eum *Prosphonetico* sermone certiorem fecerunt, dogmaticis litteris Agathonis in sua fidei professione consensisse, atque eorum, quæ decreverant, Agathonem habuisse *fautorem, & Divini Sacramenti mysterium illustrantem per litteras*. Agathoni autem scripserunt, se recepisse litteras ejus

ut a summo Apostolorum vertice divine præscriptas, per quas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulerant: *anathematibus interfecisse ex sententia per sacras litteras* ejus, *de eis prius lata, Theodorum Episcopum Pharan &c.*: demum ejus doctrina institutos sese impia dogmata repulisse. Illud ergo jus in Synodo præsidendi Agatho sibi tribuit, quod non solum primatum honoris contineret, sed consultationes, & definitiones in Synodo faciendas regeret, atque moderaretur: Patres autem hujusmodi potestatem in Agathone simul in Concilio congregati venerati fuere.

§. XXII. Synodo Œcumenicæ VI. Imperatorem præfuisse, ductus falsis conjecturis Jacobus Basnagius propugnat.

Historiæ Ecclesiæ lib. 10. cap. 7. num. 9. his momentis suadere contendit, Imperatorem huic Synodo præfuisse. 1. Præsidente Imperatore, sessiones habitas fuisse legimus, Imperatoremque constituisse, de quibus rebus agendum esset, atque revera nihil non actum secundum jussionem ejus. 2. Locum superiorem Episcopis Imperator in Concilio tenuit, ac sæpe in concilii Actis repetitum legimus: *Imperator, & Concilium dicunt*. Ante Legatos vero Agathonis, atque Patriarchas Imperatori acclamatum fuit, eoque absente, delegati ab ipso Judices tenuerunt locum illius, sessiones habendas constituere, atque in editis decretis eos ante Legatos Pontificis nominatos invenimus. 3. In latina versione hujus Concilii, quam Leo II. faciendam curavit, Imperatorem ei præfuisse ubique traditur, & absente Imperatore, sedem illius præsidere dicitur. Quo sane Imperatorem huic Concilio revera præfuisse, evidenter adstruitur: nam tunc sedem præsidentis in aliquo cœtu relinqui vacuam, consuevisse novimus, quando auctoritas ejus, qui præest, alteri non communicatur.

At vero antequam statuamus, qua ratione Imperator VI. Œcumenicæ Synodo præfuerit, plura advertantur oportet, quibus semel compertis, etiam de illa ratione omnino compertum erit. 1. Imperator in *Sacra Divali* directa ad Donum Summum Pontificem, ab eo petiit, ut Constantinopolim mitteret aliquos viros *indutos personam Apostolicæ Sedis*, qui

una

una cum Patriarcha Constantinopolitano, atque Macario Patriarcha Theopolitanæ civitatis, omnem controversiam componerent, simulque etiam Summum Pontificem certiorem fecit, eis, quos missurus esset, futurum, ut nulla necessitas *in quovis capitulo* inferretur (1). 2. In epistola Agathonis, & Romanæ Synodi 125. Episcoporum, qua Legati missi ad Concilium instituuntur, qua ratione in eo sese gerere debeant, iisdem in mandatis datum fuisse legimus, ut *Apostolicæ fidei confessionem* offerrent, & non *tamquam de incertis contenderent*, sed *ut certa, & immutabilia compendiosa definitione proferrent*, quæ acceperant (2). 3. Agatho etiam ante ullum Synodi decretum ut consacerdotes, & comministros ejusdem fidei illos agnovit, qui una secum profiterentur, quæ in sua confessione fidei, quam ad Patres direxerat, continebantur: contra vero alios, qui hoc facere recusarent, uti infestos Catholicæ, atque Apostolicæ confessioni, esse reos perpetuæ condemnationis statuit (3). 4. Patres in *Sermone Prosphonetico* ad Imperatorem aperte testati fuerunt, non in eo, sed in Agathone Principem Apostolorum secum decertasse, quia successorem Sedis Principis Apostolorum sibi *fautorem* habuerant, & *Divini Sacramenti mysterium illustrantem per litteras* (4). 5. Eodem in sermone Imperatorem monuerunt, confessionem scriptam a Deo a Romana civitate ei oblatam, & diem dogmatum a vespertinis partibus illa charta extractum fuisse, in qua Petrus per Agathonem loquebatur (5). 6. Judicio Agathonis, *ut primæ Sedis Antistitis universalis Ecclesiæ*, quid agendum esset, Patres reliquerunt (6). 7. Epistolas Agathonis uti a *summo Apostolorum vertice divine præscriptas* agnoverunt, & per eas exortam nuper multiplicis erroris sectam depulsam protestati fuerunt (7). Ad hæc alia quoque superaddi possent; verum non est, cur in hoc ultra laboremus. Nihil sane eorum, quæ usque modo animadvertimus, ei præsidendi rationi non repugnat, quam Basnagius Imperatori tribuit? Repugnat profecto, Impera-

(1) Tom.7 Concil. edit.Venet. colum. 618. (2) Citato tomo colum. 714. (3) Vide locum in super. S. (4) Vide locum in super. S. (5) Cit. loco. (6) Cit. loco. (7) Cit. loco.

peratorem a Dono petiisse viros, qui una cum duobus Patriarchis, & aliis rem propositam definirent: repugnat hos viros, ut certa, & immutabilia proferre compendiosa definitione in Concilio debuisse, quæ ab Agathone acceperant: repugnat ab Agathone ante Concilii definitionem statutum fuisse, quinam recipi in Ecclesia deberent, quinam vero non deberent: repugnat, Patres Imperatori testatos fuisse, Petrum non in eo, sed in Agathone secum decertasse, atque eumdem Imperatorem de illo quoque monuisse, confessionem a Deo scriptam ab Ecclesia Romana ipsum recepisse, in qua Petrus per Agathonem loquebatur: repugnat eosdem Patres Agathonis judicio reliquisse, quid agendum esset: repugnat tandem, eos exortam hæresim depulsam agnovisse per litteras Agathonis, & non per Imperatorem.

Est ergo advertendum, quemadmodum jam monuimus (1), illum alicui cœtui revera præesse, qui consultationes, determinationesque ejusdem cœtus regit, atque moderatur; qui autem cœtui adsistit, ut in eo cuncta ordinate procedant, vel ut sua potestate illorum, quæ in eodem cœtu decreta fuerint, exequutionem faciliorem reddat, revera cœtui præesse dici nullo modo posse, sed per quamdam similitudinem. Secundum hanc vero rationem Constantinus VI. Œcumenicæ Synodo præfuit. Nam hujus Synodi *Actiones præsidente Imperatore*, vel illo absente, *proposito venerando sessu* illius, & *ex persona ejus præsentibus, & residentibus Judicibus* habitas quidem fuisse legimus: hæc quoque verba; *Constantinus, & Concilium dixerunt: Judices, & Concilium dixerunt*, sæpe occurrunt in *Actionibus* hujus Concilii: verum ut hæc omnia referantur ad eam præsidendi rationem, quæ dicitur honoris, & dignitatis, non vero ad alteram, quæ est potestatis (2), illa omnia cogunt, quæ modo animadvertimus. Hinc vero est, ut licet etiam *Actioni XVIII.* Constantinus præfuerit; tamen definitioni fidei editæ a Patribus *Actione XVII.*, & lectæ in *Actione XVIII.* primos omnium Legatos Apostolicæ Sedis subscripsisse comperimus, deinde ceteros juxta suum ordinem Præsules,

(1) Hujus cap. §. 2. & 3. (2) Cit. cap. §. 2.

sules, ac postremo Constantinum Imperatorem (1). Fidei definitio ultimum profecto Synodi complementum fuit, ad quam omnia, de quibus diu, ac multum in pluribus Synodi *Actionibus* disputatum fuerat, referebantur: huic ergo quum Legati Apostolicæ Sedis primi omnium subscripserint, Imperator vero ultimus, illos, non Imperatorem eam præsidendi rationem habuisse dicendum est, quæ Concilii definitiones regeret, atque moderaretur. Quod ergo Imperatorem omnium primo loco in Concilio consedisse legamus: eo absente, vacuam relictam fuisse sedem, in qua assidebat, primum in dicendo locum illi, aut Judicibus tributum: Imperatori antea acclamatum, quam Legatis Apostolicæ Sedis, aliaque nonnulla, quæ Basnagius commemorat; argumenta sunt ejus præsidendi rationis, quæ dicitur honoris, & dignitatis, atque etiam exterioris cujusdam potestatis; (qua quidem præsidendi ratione Imperatores in Conciliis Œcumenicis aliquando usos fuisse (2), jam animadvertimus) non vero ejus potestatis, & auctoritatis, quæ Concilii consultationes, ac definitiones regat, & moderetur: quæ sane Summo tantum Pontifici tribui potest (3).

§. XXIII. Synodo VII. Œcumenicæ, NicenæII., Hadrianus I. per suos Legatos præfuit.

Petrum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum, & Petrum Abbatem Monasterii S. Sabæ in singulis hujus Synodi *Actionibus* primum locum tenuisse, præcessisseque in sua subscriptione etiam Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, quia Hadriani locum ipsi tenebant, ex ipsius Synodi Actis perspectum habemus. Gesta deinde Synodi neminem dubitare sinunt, Patres Hadrianum agnovisse uti supremum caput, ac rectorem, & moderatorem omnium, quæ definienda erant. Nam *Actione II.* Patres petierunt, ut tum ea, quam ad Imperatores, tum altera, quam ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum Hadrianus miserat, Epistola legeretur (4). Le-

(1) Tom.7. Concil. edit. Venet. colum. 1063. (2) Hujus cap. §. 4. & seqq. (3) Cit. cap. §. 7. & seqq. (4) Tom. 8. Concil. edit. Venet. colum. 746.

Lecta itaque coram Patribus utraque epistola fuit, earumque lectione peracta, Legati Apostolicæ Sedis a Tarasio exquisierunt, utrum consentiret *litteris Sanctissimi Papæ senioris Romæ Hadriani*, *an non*. Tum præter alia Tarasius hæc habuit (1): „ Sic quod confessi sumus, confitemur, & confitebimur, „ consonamus, & confirmamus, atque permanebimus in „ significatione litterarum, quæ lectæ sunt". Synodus vero universa clamavit: " Tota sacratissima Synodus ita credit, „ ita sapit, ita dogmatizat". Ventum deinde fuit ad singulares subscriptiones Episcoporum. In his autem nonnulli sese credere protestantur, *sicut honorabiles litteræ Sanctissimi Papæ continent*: alii *secundum litteras Sanctissimi Papæ senioris Romæ Hadriani*: nonnulli Hadriani epistolas *Nitidissimum Orthodoxiæ terminum* vocant. Monachi vero post Episcopos rogati subscribere, & se credere professi fuerunt juxta id, quod in Hadriani litteris continebatur, quæ, sicuti inquiebant, *illustraverunt*, *& fulguraverunt mentes nostras*. Hæc vero omnia demonstrant, Patres instar cujusdam canonis, cui suam fidem conformarent, Hadriani epistolas suscepisse, atque habuisse. Obtinuit ergo hac in Synodo Hadrianus eam præsidendi rationem, quæ est potestatis, atque auctoritatis, & Patrum simul congregatorum consultationes, ac definitiones regit, & moderatur.

§. XXIV. Tarasium Constantinopolitanum Patriarcham huic Synodo VII. Œcumenicæ præfuisse Jacobus Basnagius falso putat.

Historiæ Ecclesiæ lib. 10. cap. 8. num. 14. illud quidem fatetur, Legatos Apostolicæ Sedis hac in Synodo & primum locum tenuisse, atque subscripsisse omnium primos; vult tamen Tarasium Constantinopolitanum Patriarcham cunctarum *Actionum* fuisse directorem, atque moderatorem, ac propterea dicendum, Legatos id juris illi concessisse. Hoc mirandum non esse affirmat, quia Patriarchæ loco cedere nunquam voluerunt Legatis Apostolicæ Sedis. Unum affert, quo suam de præsidendi prærogativa, quam Tarasius habuit, sententiam

(1) Cit. tomo colum. 774. & seqq.

tiam confirmat, atque ejusmodi est. Græci in suo Synodico libro Tarasium ponunt Synodi *Primum*, *Caput*, & *Præsidem*.

In hoc itaque libello Photii *De Synodis* (1) non solum Tarasio ista omnia tribuuntur, sed etiam duobus Petris Legatis Apostolicæ Sedis, quamvis Tarasius primo loco ponatur. Cur ergo hoc monumento fretus Tarasium tantum huic Synodo præfuisse, & saltem non simul etiam Legatos Apostolicæ Sedis, Basnagius velit; sane non video. Legati, inquit, id juris Tarasio concesserunt; ergo, ipso consentiente, jus præsidendi Conciliis Œcumenicis Legatis Apostolicæ Sedis ex sui natura convenit: quod tamen ipse semper negat. Qua se vero ratione Tarasius in hac Synodo gesserit, quidve sibi muneris sumpserit, & quam una cum aliis Hadriano reverentiam uti supremo omnium capiti exhibuerit, quamque subjectionem iis, quæ idem Hadrianus jam sanciverat, professus fuerit, ex ea epistola constat, quam ad Hadrianum dedit (2): „ Et quum (inquit) perlatæ primitus vestræ fraternitatis litteræ legerentur, præstolabantur omnes spiritualibus eduliis, tamquam in regalibus cœnis fruentes, quæ Christus per litteras tuas epulantibus præparabat; & sicut oculus totum corpus ad rectitudinis, & veritatis semitam ostendebas. Sic ergo dirupta membra in unum conveniebant; sic vero consonantia confirmabatur; sic Catholica Ecclesia unitatem recipiebat. Cum quibus, & earum, quæ de Orientali Diœcesi missæ sunt nobis litteræ, lectione facta, integra paternæ traditionis pulchritudo demonstrabatur, ac vis veritatis roborabatur, propositis videlicet lectioni plurimis testimoniis Patrum. His itaque gestis prædicabatur a nobis omnibus, qui beneplacito Dei congregati eramus, recta, & irreprehensibilis confessio, quæ nobis missa est a vobis, & per relationem etiam piis Imperatoribus nostris ". Non consuevisse autem Patriarchas Legatis Sedis Apostolicæ loco cedere, manifeste falsum est, uti ex iis omnino constat, quæ usque modo disseruimus.

§. XXV.

(1) Tom. 8. Concil. edit. Venet. colum. 1306. (2) Citato tomo colum. 275.

§. XXV. Synodo VIII. Œcumenicæ Constantinopolitanæ IV., Hadrianus II. per suos Legatos præfuit.

Donatum ergo Ostiensem Episcopum, Stephanum Episcopum Ephesinum, & Marinum Diaconum ad hanc Synodum Legatos Hadrianus misit, ut ei sua vice præsiderent. Nam quemadmodum Anastasius in vita Hadriani II. tradit: " Eis „ præcepit Pontifex, ut scandalum Ecclesiæ Constantinopo„ litanæ solerter sopirent, consecratisque a Methodio, & „ Ignatio sub satisfactione Libelli, quem de scrinio suscepe„ rant, proprias Ecclesias redderent. Photianis vero sub ea„ dem, ac districtiori satisfactione communicarent quidem, „ Sacerdotum judicium usque ad Sedis Apostolicæ senten„ tiam, manente Sanctissimi Papæ Nicolai judicio, protela„ rent ". Hos Legatos Basilius Augustus honorificentissime excepit, & exosculatus epistolam, quam a Summo Pontifice sibi datam reddiderunt, sequenti die eos ita alloquutus fuit, quemadmodum apud eumdem Anastasium Bibliothecarium in vita Hadriani II. legimus: " Nos cum omnibus Orientalibus „ Patriarchis, Metropolitis, atque Episcopis censuram san„ ctæ matris nostræ Ecclesiæ Romanæ præstolantes, propter „ Deum petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur, ac „ tandem aliquando auctoritate vestri sacri collegii tam pe„ stifera Photianæ tergiversationis scandala propellantur, qua„ tenus unitas, & tranquillitas optatæ diutius juxta decre„ tum Sanctissimi Papæ Nicolai restaurentur ". Legati vero ad hæc: " Et nos ideo venimus, ideo missi sumus: sed ne„ minem Orientalium vestrorum unquam in nostram Syno„ dum suscipere possumus, nisi oblato Libello, cujus for„ mam de Sanctæ Sedis Apostolicæ desumpsimus, nobis fue„ rit satisfactum ". Ad moderanda ergo Concilii negotia Legatos missos fuisse, dubitari non potest, tam si ad ea attendamus, quæ eisdem Hadrianus mandavit, quam ad alia, quæ Imperator, & Legati sibi mutuo dixerunt. Nunc videamus, utrum id muneris revera sustinuerint. *Actione I.* illud quidem a Legatis Apostolicæ Sedis quæsitum fuit, ut de commissa sibi legatione rationem redderent, ejusque,

que, a quo missi erant, mandata exponerent. Bahanes Patritius nomine Episcoporum, atque Senatus rem istam a Legatis postulavit. Id primo Legatis indignum visum fuit; postea tamen quum comperissent, hoc fieri cum eis non in injuriam, & contemptum Apostolicæ Sedis, sed quia Radoaldus, & Zacharias Nicolai I. mandata transgressi fuerant, atque ita Orientales deceperant, acquieverunt (1). " Ergo " (dixerunt) ut omnem dubitationem emittamus e cordibus " vestris, & verbis, & operibus certificemus vos, quia secundum ea, quæ mandata, & jussa sunt nobis, ita disponemus .... præ manibus habemus epistolam, quam transmisit Imperatori Sanctissimus Papa Hadrianus, qui etiam potestatem dedit nobis, ut, secundum quod Sanctissimus " Papa Nicolaus disposuit de sancta Constantinopolitanorum " Ecclesia, ita ordinemus, ut moderemur, atque firmemus, " ut nullus adversus eam pugnare possit, & ut quæ ipse Sanctissimus Hadrianus edidit, confirmemus. Cujus enim suscepit honorem, suscepit & laborem; quia propter hoc " Deus posuit eum in Ecclesia sua. Ecce epistola Sanctissimi " Papæ Hadriani, & si vultis, secundum quod prædiximus, " legatur ". Omnibus consentientibus, tum ista, quam ad Imperatorem, tum altera, quam ad Ignatium Patriarcham Hadrianus dederat, lecta fuit. Tunc vero Legati qua erant jurisdictione præditi, uti cœpere. Nam ut legeretur *libellus*, *quem Sancta Romanorum Ecclesia exposuit*, & cui omnes subscribere deberent, petierunt. In eo autem expressum erat, ut illum profitentes anathema Photio dicerent, & iis conventiculis, quæ sub Michaele Imperatore iterum iterumque contra Ignatium Patriarcham, & semel adversus Sedis Apostolicæ Principatum conspiraverant; amplecterentur vero tum eam Synodum, quam Nicolaus, tum alteram, quam Hadrianus habuerat, reciperentque, aut damnarent eos, qui eisdem in Synodis recepti, aut damnati fuerant: demum sequerentur *in omnibus Apostolicam Sedem*, & observarent *ejus omnia constituta*, *ut in una communione*, *quam Sedes Apostolica prædi-*

(1) Tomo 10. Concil. edit. Venet. colum. 489.

cat, esse mererentur: " Quia non potest Domini nostri Jesu
„ Christi prætermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus*, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Hæc, quæ dicta
„ sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede Apostolica
„ immaculata est semper Catholica reservata religio, & sancta
„ celebrata doctrina " (1).

Hìc autem non est prætereundum, quod ad subscriptiones hujus libelli factas, habita ratione nonnullorum Episcoporum, Anastasius in *Notis* ad Synodum VIII. consequutum fuisse commemorat (2). A se enim factæ subscriptionis nonnullos Episcopos, & Clericos pœnituisse refert, eaque de causa tum Imperatori, tum Ignatio Patriarchæ clam obloquutos, " Non
„ bene factum fuisse, quod Ecclesiam Constantinopolitanam
„ tanta subjectione Romanæ Sedis Ecclesiæ permiserint, ita
„ ut hanc ei tamquam dominæ ancillam tradiderint ". His permotus Imperator jussit iis, quos ad obsequium Legatorum destinaverat, ut eisdem Legatis chirographa clam suffurarentur: quod & perfecerunt. Verum Legati fraudem statim detegentes, de ea graviter cum Imperatore conquesti fuere. Imperator tunc victus querimoniis eorum jussit, ut illis chirographa restituerentur, hisce eosdem verbis compellans: " Ego
„ quidem ut magistram Ecclesiasticorum negotiorum Aposto-
„ licam Sedem per meos Legatos adii; & ideo vestram præ-
„ sentiam præstolatus sum, ut vestro Decreto, & solertia
„ Ecclesia nostra remedia sanitatis perciperet; & nos non
„ nostris motibus, sed vestræ sententiæ pareremus. Ergo
„ chirographa, quæ a nostris Sacerdotibus, & cunctis Cle-
„ ricis salubriter exegistis, recipite, & spirituali Patri no-
„ stro Sanctissimo Papæ nostro repræsentate: ita ut si quis eo-
„ rum per abrupta vitiorum solito incedere more tentaverit,
„ his quodammodo habenis ab eo refrænetur, & ad rectum
„ justitiæ tramitem revocetur ". Hæc vero omnia Hadrianum in suis Legatis VIII. Œcumenicæ Synodo præfuisse, atque ita quidem, ut eorum, quæ facienda erant, normam, atque exem-

(1) Vide libellum in cit. tomo colum. 497. (2) Cit. tomo Concil. colum. 498.

exemplar dederit, quod Patres sequuti fuere, adeo evidenter ostendunt, ut ad id comprobandum alia a nobis afferri necesse non sit. Quapropter non est, cur modo commemorémus, *Actione II.* quosdam Episcopos, qui ad Photium defecerant, postquam suum errorem coram Patribus confessi fuere, a Legatis Apostolicæ Sedis in communionem per hæc verba fuisse receptos (1): " Suscipimus vos secundum præceptio„ nem Sanctissimi Papæ nostri Hadriani per confessionem li„ belli pœnitentiæ vestræ". Quibus Episcopi pœnitentes: „ Et nos adoramus vos, & suscipimus vos Judices, & judi„ cium vestrum tamquam ex persona Filii Dei habemus". Postea vero, prout eisdem Legati præceperunt, ei libello subscripserunt, quem Legati ab Hadriano acceperant. Neque est etiam, cur mentionem faciamus, in *Actione III.* Theodolum Metropolitam Ancyranum, & Nicephorum Metropolitam Nicænum ab universa Synodo, & *Actione IV.* Zachariam, & Theophylum a Legatis Apostolicæ Sedis fuisse rejectos, ex eo quod illi subscribere renuissent libello a Sede Apostolica transmisso, isti autem eum ne audire quidem voluissent: & in *Actione III.* quum Theodorum Cariæ Metropolitam, qui *Actione I.* ad communionem jam admissus erat, esse unum ex iis deprehensum, qui una cum Photianis depositioni, & anathemati Nicolai Papæ subscripserat, causam illius fuisse Romani Pontificis judicio reservatam. Tandem neque in memoriam revocabimus, in hac Synodo Legatos Apostolicæ Sedis omnium Episcoporum, & eorum quoque, qui Patriarcharum Orientis vices gerebant, primo loco subscripsisse. Illud ergo tantum monebimus, hujus Concilii Patres in epistola ad Hadrianum aperte fuisse testatos, vicem ejus in Concilio egisse Donatum Episcopum Ostiæ, Stephanum Episcopum Nepesinum, & Marinum Diaconum, atque ab iis, quæ antea a Nicolao, postea ab eodem Hadriano constituta erant, nomine eorum in Concilio annuntiata fuisse (2): " Sicut enim (inquiunt) „ ille Beatissimus, (Nicolaus) & veraciter homo Dei primi„ tus definivit, & promulgavit, & synodice roboravit; ita

 & ipsi

(1) Cit. tomo colum. 511. (2) Cit. tomo colum. 673.

„ & ipsi hæc annuntiaverunt , & egerunt amborum vestrum
„ sanctissimorum , videlicet senioris Romæ Pontificum , no-
„ men , & memoriale , instantibus temporibus , & cunctis
„ generationibus , quæ deinceps futuræ sunt , laudabile “.
Quod ergo nos contendimus , negari a nemine potest , semel ac eorum , quæ in hoc Concilio gesta fuisse legimus , rationem habere velit.

§. XXVI. Synodo VIII. Œcumenicæ alios , præter Legatos Romani Pontificis , præsedisse , Jacobus Basnagius falso tuetur.

Quamvis ergo *Historia Eccles.* lib. 10. cap. 9. num. 7. ipse fateatur , Legatos Apostolicæ Sedis in hoc Concilio plurimum auctoritate valuisse , judiciumque Romæ a Nicolao Papa latum Patres in suis definitionibus , uti quamdam regulam, fuisse sequutos ; tamen huic Synodo tum Imperatorem , tum Orientales Patriarchas præsedisse tuetur. Num. 6. illud 1. observat : Imperatorem hac in Synodo & primum locum habuisse , & dignitatem *Præsidis* obtinuisse : scripta , quæ Legati Apostolicæ Sedis detulerant , eo præcipiente , lecta coram Patribus , atque eumdem etiam in fine Synodi ab Episcopis exquisivisse , utrum libere ea decreta , quæ condiderant , edidissent , atque illa revera probarent . 2. Imperatorem duodecim Senatoribus commisisse , ut , se absente , Synodo præsiderent . 3. Legatos Apostolicæ Sedis , quamvis ægre , in id consensisse , ut munus sibi creditæ Legationis , litteris Hadriani probarent , sicuti Bahanes Patritius nomine Episcoporum , & Senatus ab eis petierant . Num. 8. pro communi præsidendi ratione , quam Patriarchas in hac Synodo habuisse contendit , hæc animadvertenda esse tradit : 1. Theodosium Hierosolymitanum habuisse S. Jacobum uti primum omnium Archiepiscoporum . 2. Archiepiscopum Tyri una cum Legato Hierosolymitano de Photii causa judicasse , eosque censuisse ad cunctos Presbyteros illa verba Christi referri oportere : *Quodcumque ligaveritis super terram , erit ligatum & in cælis* , atque hanc sententiam eorum ab universo Concilio probatam fuisse. 3. Legatum Alexandrinum id quidem prædicasse de

Vica-

Vicariis Summi Pontificis: *Gratia Dei, atque inspiratione Spiritus Sancti duci eos sine errore in via veritatis*; verum in hoc illis etiam Legatos Orientalium sedium sociasse. 4. De æquali dignitate, & potestate omnium Legatorum, qui personam Patriarcharum repræsentabant, ex ea oratione perspectum esse, quam Metrophanes Episcopus Smyrnæ coram Imperatore, & Concilio habuit. In ea enim Patriarchas illis luminaribus, quæ Deus ad illustrandam terram, & distinguenda tempora initio creationis produxit, Metrophanem comparasse, æqualemque eis illuminandi terram, præsidendi nocti dieique, & separandi lumen a tenebris potestatem tribuisse, Basnagius observat. Ex quibus esse sibi colligendum arbitratur, Synodo VIII. Œcumenicæ omnes Patriarchas præsedisse.

At illud nos ab eo primo quærimus, qua ratione Imperator, quave Patriarchæ huic Synodo præfuerint: vult enim ipse, ut tum ille, tum isti præfuerint. Dum de ea præsidendi ratione agit, quam habuit Imperator, talem illam fuisse contendit, ut etiam Legatos Apostolicæ Sedis Imperator sibi subjecerit. Ex quo sane constat, Patriarchæ Occidentis, cujus illi personam gerebant, ac propterea etiam aliis; quum omnes sibi æquales Basnagius faciat, Imperatorem præfuisse, multoque magis aliis Concilii Patribus. Quando vero loquitur de illa præsidendi ratione, quam Patriarchæ omnes, sicuti ipse contendit, æqualiter habuerunt, cunctis Patriarchis æqualem in Concilio, & in his, quæ in Concilio discutienda, & definienda erant, præfecturam tribuit. Quare, ipso sentiente, Imperator præfuit sane omnibus Patribus, ne Patriarchis quidem exceptis, ac propterea toti Concilio præfuit: eidem tamen Concilio etiam omnes Patriarchæ præfuerunt, quamvis tum illis, tum aliis Patribus Imperator præfuerit. Igitur ne Patriarchas præfuisse, & non præfuisse simul dicere cogatur, ipse quoque fateri debet, ea omnia, quæ quoad præsidendi rationem Imperatori tribuit, referri oportere ad exteriorem quamdam dignitatem, & auctoritatem, quæ in Concilio discutienda, & definienda non respiceret, sed circa alia omnino exteriora consultationibus, atque definitioni-

tionibus faciendis omnino versaretur (1). Quo semel posito, nihil contra nos Basnagius concludit, quum hanc præsidendi rationem Imperatoribus convenire posse fateamur (2). Revera autem omnem eam præsidendi rationem, quæ Imperatori tribui potest, referri oportere ad exterius quoddam regimen comparatum ad rectum ordinem servandum, tumultus amovendos, & curandum felicem exitum illius cœtus, qui a Patribus simul unitis habebatur, inde constat, quia Imperator & censuram Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ præstolabatur, & juxta Decretum Sanctissimi Papæ Hadriani voluit, ut a Patribus & pestiferæ Photianæ tergiversationis scandala propellerentur, & diutius optata tranquillitas restauraretur (3). Illud quidem Imperator a Patribus quæsivit, utrum in ea omnia consentirent, quæ in Synodo constituta fuerant; verum id non fecit, quasi judicium super Episcopos sibi tribuerit, sed ut (4) " Qui in mente haberet (quemadmodum ipse „ inquiebat) quid ambiguum de his, quæ decreta fuerant ab „ hac sancta Synodo, hoc in medium exhiberet, & suscipe„ ret satisfactionis salubre remedium ". Nam peracta Synodo, eum, qui adhuc contradicere auserit, pœnas a se laturum esse his verbis, uti sacrorum Canonum defensor, protestatus fuit: " Nam soluta sancta, & universali Synodo, qui „ apparuerit Ecclesiæ Dei contradicens, aut non communi„ cans ei, sive Episcopus sit, sive absolute Sacerdos, sive „ dignitate aliqua præditus, vel aliter conversatus, veniam „ ab imperio nostro minime consequetur; sed juste condem„ nabitur, & a civitate nostra pelletur, ut corruptor, & „ pestilens, & membrum putridum, & inutile, & commune „ corpus Ecclesiæ violans ". Semper tamen Imperator *judicium Synodicum*, uti proprium illorum jure Divino, Episcopis tribuit: quemadmodum ex ejus Epagnostico habemus, quod *Actione I.* lectum fuit, in quo ita inquit (5): " At „ vero

(1) Vide §. 2. & seqq. hujus capitis. (2) Cit. loco, & ejusdem cap. §. 21. (3) Vide in præced. §. Anastasii locum. (4) Tom. 10. Concil. edit. Venet. colum. 659. (5) Cit. tomo colum. 488.

„ vero & ad vos ipſos acclamationem imperii noſtri pro-
„ ponimus, quippe qui poteſtatem Synodici judicii divinitus
„ accepiſtis “.

Quod vero Baſnagius ſuperaddit de petitione facta Legatis, ut commiſſi ſibi muneris certa monumenta proferrent; nullius momenti eſt. Nam, ſicuti jam monuimus (1), id ab eis petitum fuit, non in contemptum auctoritatis Apoſtolicæ Sedis, ſed ſicuti inquit Chriſtianus Lupus tom. 3. *Synodorum General. Diſſert.* de VIII. Synodo cap. 10. “ Ad evadendos nu-
„ peros Rhadoaldi, & Zachariæ Epiſcoporum a Nicolao Pon-
„ tifice miſſorum dolos, & de præſentis Synodi legitimitate
„ certificandam omnem Eccleſiam fieri proteſtatus “ fuit Bahanes Patritius. Hinc vero eſt, ut Legati in id aſſentiri, quod ab eis petebatur, primo reſtiterint, inquientes (2): “ Hoc
„ nos uſque nunc non invenimus in Univerſali Synodo fa-
„ ctum, ut Vicarii ſenioris Romæ a quolibet perpendantur,
„ utrum talem exiſtimationem habeant “. Verum quum poſtea perſpexiſſent, id peti ab eis non in contemptum Apoſtolicæ Sedis, ſed ut omnis prorſus ſuſpicio ejus mali, quod paulo ante contigerat, a cunctorum animis averteretur, petitioni acquieverunt. Quid vero ex hac petitione facta Legatis colligere pro ſe Baſnagius poſſit, ſane non video. An ex ea fortaſſe conſequitur, ut Synodi Patres in Legatis eam perſonam, quam gerebant, agnoſcere noluerint? ut Hadriani auctoritatem vel non in eo, quo debebant, vel non in alio, ac ceterorum Patriarcharum, pretio habuerint? At eo ſemel perſpecto, quod volebant, eam, quæ in Legatis inerat, poteſtatem agnoverunt, atque venerati fuere. Cetera proſequamur.

Theodoſius Patriarcha Hieroſolymitanus in epiſtola ad Ignatium (3) Jacobum primum Archiepiſcoporum dixit, non quaſi ille ſuper omnes Præſules dignitate, atque auctoritate præfulſerit; alioquin Patriarcha Hieroſolymitanus totius Eccleſiæ caput eſſe debuiſſet, ſed habita ratione eorum, qui Eccleſiæ

(1) Præced. §. (2) Tom. 10. Concil. edit. Venet. colum. 489.
(3) Cit. tomo colum. 496.

clesiæ Hierosolymitanæ præfuerant, sicuti ex ea ratione constat, ob quam Jacobi mentionem fecit. Nonnulla enim Sacra insignia B. Apostoli, quibus tum sui Prædecessores, tum ipse, Sacerdotio fungentes, uti consueverunt, ad Ignatium se transmisisse testatur, ut *sanctifica suavitate* etiam ille perfrueretur. Ad se ergo, suosque prædecessores Theodosius respexit, dum Jacobum primum Archiepiscoporum vocavit.

In definitione autem Thomæ Metropolitæ Tyrii lecta *Actione I.* Concilii hæc habentur (1): " Quisquis ergo a noti-„ tia præceptorum Beatissimi Papæ Nicolai, & hoc se judicio „ nostro ausus fuerit reprobare aliquid eorum, quæ hic pro-„ feruntur, vel molestiam afferre auditibus potentum ad ali-„ cujus reprobationem, vel receperit hujusmodi; iste, quis-„ quis sit, sive Sacerdos, sive Laicus, sive quicumque Mo-„ nachus, sive cujusvis Ordinis Clericatus, anathema sit a „ Patre, Filio, & Spiritu Sancto, & privatus gloria Dei, & „ hæres æterni tormenti, & cohæres diaboli, atque aliena-„ tus a Christianorum gratia, tamquam qui irridet Christi „ veri Dei nostri munificentiam, quam dedit Sacerdotibus „ dicens: *Quemcumque ligaveritis super terram, erit ligatus & „ in cœlis; & quemcumque solveritis super terram, erit solutus „ & in cœlis*. Qui enim verax esse Christi verbum existimat, „ & annuntiat, creditque quod ea, quæ super terram ligata „ sunt, ligantur & in cœlis, quæ a Sacerdotibus ligata sunt, „ quomodo putas audebit solvere, aut solutum ligare "? Legerat sane Thomas Metropolita Tyrus, legerat cum eo Legatus Hierosolymitanus decreta, quæ a Nicolao Papa edita fuerant. Quia vero non putabant, ut ab Ecclesia Romana contra Photianum schisma Constantinopolim Legati mitterentur; idcirco antequam ad hanc ipsi civitatem advenirent, hujusmodi definitionem ediderunt, omnino sequuti decretum; quod Nicolaus fecerat. Hac vero de causa præcepta Beatissimi Papæ Nicolai in sui decreto primo loco ponunt, & suum judicium deinde subjiciunt, atque anathema dicunt iis, qui obtem-

(1) Tom. 8. Concil. colum. 993. editionis Labbeanæ, quam Basnagius citat.

obtemperare recusaverint. Ad eos autem Sacerdotes prædicta Christi verba referunt, qui Apostolis in Episcopali jurisdictione succedunt: nam de eo agunt, quod sua auctoritate ligaverant. Thomas autem erat Metropolita Tyrius, Elias autem Presbyter; tamen hoc in judicio Patriarchæ Constantinopolitani vices gerebat.

Joseph autem Monachus, & Archidiaconus, ac Vicarius Alexandrinæ Sedis, quæ in Concilio decreta fuerant, dum se amplecti, atque venerari profitetur, Legatis tum Sedis Apostolicæ, tum aliarum Sedium Divinum lumen affulsisse tradit in definitionibus, quas ediderunt. Anne fortasse omnibus Divinum lumen non affulserat, semel ac omnes in veritate consenserant? De Legatis tamen dum loquitur, Legatos Apostolicæ Sedis aliis semper præponit.

In *Actione VI.* Concilii duobus prædictis luminaribus quinque Patriarchas Metrophanes quidem comparavit (1), eisdemque datum dixit, ut suum lumen effunderent super omnes: verum hac in oratione Metrophanes eos Patres, qui primum locum in Concilio tenuerunt, nulla eorum distincta habita ratione, qui inter primos superiorem locum habuerunt, laudibus celebrare sibi proposuit; idque dum faceret, illud solummodo observavit, ut Legatos Apostolicæ Sedis ante alios recenseret. Quamvis autem ab omnibus Patribus simul congregatis lumen affulgeat, si tamen illud potiori quodam modo ab eis affulgere dicatur, qui magis dignum in Concilio locum tenent, nihil rectæ rationi contrarium dicitur. Quapropter mirandum non est, si Metrophanes in oratione habita coram Patribus, atque Imperatore, quinque Patriarchis munus effundendi lumen super alios singulari quadam ratione tribuerit, neque distinxerit, quinam inter eos primum locum teneret. Ex hac ergo omissione Theophanis tunc fortasse colligere quispiam posset, omnes Patriarchas huic Synodo eodem modo præfuisse, quando aliunde multa non suppeterent nobis, quæ de suprema præsidendi ratione, quam in ea Legati habuerunt, neminem dubitare sinerent.

(1) Cit. tomo colum. 553.

At hujus generis multa sane habemus, deque iis etiam Basnagius, uti in præcedenti §. monuimus, mentionem fecit. Nimis ergo futili argumento ille utitur, dum ex prædicto testimonio Metrophanis omnes Patriarchas Synodo VIII. Œcumenicæ præfuisse colligit.

CAPUT III.

DE EO JURE CONFIRMANDI ETIAM DECRETA CONCILIORUM ŒCUMENICORUM, QUOD EST PENES SUMMUM PONTIFICEM.

§. I. Confirmationis varia divisio aperitur.

Quadruplex genus confirmationis attendi potest, semel ac sermo sit ea de confirmatione, de qua nunc loquimur, hoc est, de illa, qua lex, aut decreta semel edita comprobantur. Alia est ergo confirmatio, quæ super legem, aut decreta cadit, eorumque firmitatem respicit; alia, quæ super exequutionem decretorum: rursus alia est confirmatio legis, seu decretorum, quæ habetur a subditis, dum sibi propositæ legi, aut editis decretis, prout debent, morem gerunt, alia, quæ ab æquali potestate proficiscitur, ac illa fit, a qua lex, vel decreta prodierunt. Primum genus confirmationis in eo positum est, ut potestate confirmantis plenam auctoritatem ipsa lex, aut decreta acquirant, ultimumque complementum quoad vim obligandi assequantur: alterum vero genus confirmationis auctoritatem legis, aut decretorum non solum non attingit, sed etiam uti certam præsupponit, indeque ad illud tendit, ut quæ lege, vel decreto constituta fuerint, exequutioni mandentur. Confirmatio, quæ habetur a subditis in quodam testimonio ejus obedientiæ consistit, seu in quadam assensione, quam ipsi præstare debent: confirmatio autem, quæ proficiscitur ab æquali potestate, ac illa fit, a qua lex, vel decreta prodierunt, legi, vel decretis semel latis, jam in se habentibus omnem vim ad obligandum, totamque plenitudinem auctoritatis, approbatio quædam adjungitur.

§. II.

§. II. Ea eſt vere, & proprie dicta confirmatio, qua fit, ut lex, vel decreta plenam auctoritatem acquirant, ultimumque complementum quoad vim obligandi aſſequantur.

Confirmatione proprie dicta fit, ut firmetur, quod ſemel conſtitutum eſt, atque id ſtabilitatis acquirat, quod in ſe antea non habebat (1). Hoc vero eſt, quod confirmatio illa facit, qua ipſa lex, vel decreta plenam auctoritatem acquirunt, ultimumque complementum quoad vim obligandi aſſequuntur, uti ex ſe manifeſtum eſt: hæc ergo eſt vera, & proprie dicta confirmatio.

§. III. Confirmatio reſpiciens exequutionem eorum, quæ lege, vel decretis ſancita ſunt, vera, & proprie dicta confirmatio non eſt, dici tamen poteſt confirmatio ſecundum quamdam ſimilitudinem.

Dum quiſpiam ſua poteſtate, atque auctoritate in id annititur, ut ſerventur, quæ lege, vel decretis jam ſancita fuerint, omnem in eis vim ad obligandum ineſſe ſupponit. Nam ſi hoc non præſupponeret, injuſte procul dubio ageret, dum obſervationem legis, aut decretorum ſua auctoritate apud alios urgeret. Quum ergo tunc alterius auctoritate lex, aut decreta confirmari vere, & proprie dicantur, quando fit ex jure, & auctoritate confirmantis, ut ea veram, & completam obligandi vim habeant (2), conſequens inde eſt, eam confirmationem, quæ ſuper exequutionem illorum, quæ lege, aut decretis conſtituta ſunt, ſolummodo cadit, veram, & proprie dictam non eſſe. Habet ea tamen quamdam ſimilitudinem confirmationis, quatenus dum urgetur obſervatio eorum, quæ ſemel conſtituta fuerunt, ea magis magiſque confirmari, æquo jure dici poteſt.

§. IV. Confirmatio legis, & decretorum, quæ habetur a ſubditis, in quodam debitæ obedientiæ obſequio revera conſiſtit; tamen latiſſimo quodam ſenſu etiam in hujuſmodi obſequio quædam confirmatio continetur.

Prout debent, ſubditi obſequuntur, dum ſervant, quod ſui Principis legitima auctoritate ſibi præcipitur: ſua ergo obſerva-

(1) Præced. §. (2) Præced. §.

servatione legum illud obedientiæ obsequium præstant; a quo sese retrahere nullo modo possunt: in hujusmodi ergo obsequio revera posita est confirmatio legis, & decretorum, quæ habetur a subditis. Quia tamen negari non potest, quin aliquo modo firmetur, quod decretum est, semel ac illud servari consuevit; ideo latissimo quodam sensu etiam in hujusmodi obsequio quædam confirmatio legis, & decretorum continetur.

§. V. Confirmatio, quæ ab æquali potestate proficiscitur, ac illa fit, a qua lex, vel decreta prodierunt, dici quidem aliqua ratione eorumdem decretorum confirmatio potest, ad id tamen ipsa non tendit.

Ut ergo hac in re utamur exemplis, in Synodis Œcumenicis Ephesina, Chalcedonensi, & aliis subsequentibus, Nicæna decreta confirmata fuisse recte dicitur: simili ratione quæ priores Summi Pontifices sanxerunt, a posterioribus confirmata fuisse, dum idem, ac illi, credendum, vel servandum constituere, omnes fatentur. Verum enim vero neque Concilia subsequentia decreta priorum, neque posteriores Summi Pontifices eorum, qui sibi præcesserunt, definitiones ita confirmarunt, quasi illa non omnem antea auctoritatem haberent, eamque plenam; & completam per advenientem acquirerent, sed ut magis magisque adversus hæreticos Ecclesiæ decreta urgerent, eisque repetitum Ecclesiæ judicium opponerent, ut tandem aliquando resipiscerent. Quandoquidem unius Œcumenici decreta Concilii, æque obligant omnes Fideles, vel sint illa aliorum Œcumenicorum Conciliorum auctoritate confirmata, vel nullam talem confirmationem habeant: idemque judicium de definitionibus Summorum Pontificum ferendum est. Quia tamen Ecclesiæ judicio iterum iterumque idem constitutum habetur, quando a sequentibus Conciliis Œcumenicis, vel Summis Pontificibus confirmatur, quod antecedentia Œcumenica Concilia, prioresque Pontifices statuerant; ideo quando hoc fit, suus est confirmationi locus, quæ tantum eo tendit, ut de sua pertinacia magis convincantur, qui in errore sunt. Confirmatio ergo,

ergo, quæ ab æquali poteſtate proficiſcitur, ac illa ſit, a qua lex, vel decreta prodierunt, dici quidem aliqua ratione eorumdem decretorum confirmatio poteſt, ad id tamen ipſa non tendit. Non erat ergo cur Boſſuetius *Defenſionis &c.* lib.8., alias 13., cap. 2., ut vim confirmationis, abſolute elevaret, illud opponeret, a poſterioribus Conciliis Œcumenicis confirmata fuiſſe, quæ in prioribus ſancita fuerant, indeque concluderet, *confirmationis vocem ad argumentum ſuperioris poteſtatis trahi non poſſe*.

§. VI. Jus veræ, & proprie dictæ confirmationis Imperatores quoad ad ea non habent, quæ in Conciliis Œcumenicis conſtituuntur.

Œcumenica Concilia indicendi nullo jure Imperatores ex ſe potiuntur, eamque Patribus ſimul congregatis præſidendi rationem non habent, qua conſultationes, & definitiones eorum æquo jure regere, atque moderari poſſint (1): igitur neque etiam jus veræ, & proprie dictæ confirmationis quoad ea habere poſſunt, quæ in Conciliis Œcumenicis a Patribus ſimul unitis conſtituuntur. Nam ſingularis quædam poteſtas ſupra Patres ab illo exercetur, qui ut in unum ſimul conveniant, proprio jure, atque auctoritate eiſdem indicit; longe potior, dum eorum ſimul unitorum conſultationes, & definitiones regit, atque moderatur; potiſſima ſane, quando quæ Patres ſimul uniti decreverint, ita confirmat, ut illa ex hujuſmodi confirmatione plenam auctoritatem acquirant, ultimumque complementum quoad vim obligandi aſſequantur: quod ſane vera confirmatio, & proprie dicta facit (2): ſi ergo ad illa duo potiora nullum jus eſt penes Imperatores, neque etiam quoad hoc tertium potiſſimum omnium eſſe poteſt.

Et re quidem vera undenam tandem habemus ex Divino verbo vel ſcripto, vel tradito Imperatoribus Eccleſiæ negotia commiſſa fuiſſe? Anne Conſtantinus, qui primus fuit Imperatorum Chriſtianorum, an reliqui deinde eamdem, ac Sacerdotes, poteſtatem a Chriſto ſuper Eccleſiam receperunt? anne ſuperiorem,

(1) In duobus præcedentibus capitibus utrumque evicimus.
(2) Hujus cap. §. 1. & ſeq.

rem, qua Successoribus Apostolorum simul etiam congregatis præessent, eorumque decretis auctoritatem firmitatemque tribuerent? De re nimis certa, & pervulgata loquimur, neque est, cur de ea diutius differamus. S. Theodorus Studita epist. lib. 2. epist. 129. (1) contendens coram Imperatore disputandum non esse de sacris Imaginibus: " Non enim (inquiebat) de rebus seculi carnisque sermo est, de quibus „ judicandi penes Imperatorem potestas est, & judicium seculare; sed de Divinis, ac cœlestibus dogmatibus, quæ „ aliis commissa non sunt, quam iis, quibus Deus ipse verbum dixit: *Quacumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo*. Quinam autem hi sunt, quibus hoc jussum est? „ Apostoli, & eorum Successores..... Penes hos Divinorum „ dogmatum judicia. Imperatorum vere, & Præsidum est „ opem ferre, & comprobare, quæ decreta sunt, & reconciliare, qui carnaliter discrepant, & dissident". Si autem dubium sit, utrum aliquis Successor Apostolorum a veritate deflexerit; " Mittenda est (ait) ad Romanum (Pontificem) ex „ utraque parte legatio, & inde fidei accipienda certitudo".

§. VII. Ecclesiæ valde utile, atque etiam Politico regimini salutare est, ut Imperatores decreta Conciliorum Œcumenicorum ea confirmatione corroborent, quæ ad eorumdem exequutionem refertur.

Hanc non esse veram, & proprie dictam confirmationem, sed per quamdam similitudinem, supra monuimus (2). Nunc quod volumus. Inest quidem in Concilii Œcumenici decretis, quæ Summi Pontificis auctoritate confirmata fuerint, omnis ea auctoritas, quæ in Ecclesiasticis legibus desiderari possit: sunt enim illorum communi judicio constituta, quos posuit Deus Ecclesiam suam regere, ejusque sanctione comprobata, quem Christus universæ Ecclesiæ præfecit. Quare si agatur de ea obligandi vi, quæ inest in hujusmodi decretis, nihil amplius desiderari potest. Quamvis autem nonnulli ducti amore virtutis præcepta sibi proposita servent; tamen longe

(1) Apud Sirmondum *Operum Variorum* tom. 5. (2) Hujus cap. §. 3.

ge plures ad id adiguntur timore pœnarum, atque ea ratione aliqui eorum, ut primo quidem timore solummodo pœnarum concussi, deinde vero etiam amore justitiæ permoti iisdem præceptis cervicem subjiciant, quidam vero propter unicum timorem pœnarum id semper faciant. Utile autem quam maxime esse Ecclesiæ, ut hi, qui ex se ultro, ejus præcepta non servarent, ad præstandam iis illam obedientiam quam debent, pœnis sensibilibus adigantur, nullus sane negaverit. At vero dum Imperatores in id quoque sua auctoritate, atque potestate utuntur, ut quæ ab Ecclesia decreta fuerint, serventur, tunc ii quoque ad id præstandum compelluntur, qui aliunde ex se ultro amore justitiæ non præstarent. Est ergo dicendum, Ecclesiæ quam maxime utile esse, ut Imperatores Œcumenicorum decreta Conciliorum per hoc confirment, quod ea servari sua auctoritate, atque potestate faciant (1). " Principes seculi (sicuti ex S. Isidoro habent „ Patres Concilii VI. Parisiensis lib. 2. cap. 2.) nonnunquam „ intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, ut per „ eamdem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. „ Ceterum intra Ecclesiam Potestates necessariæ non essent, „ nisi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctri- „ næ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ ter- „ rorem ". Hinc S. Leo ad utendum ea potestate, qua muniti erant, in defensionem decretorum Ecclesiæ, Imperatores suis adhortationibus sæpius excitavit (2): " Quantum „ præsidii (inquit ad Pulcheriam Augustam) Dominus Eccle- „ siæ suæ in vestra clementia præparavit, multis sæpe proba- „ vimus documentis. Et quidquid nostris temporibus contra „ impugnatores Catholicæ veritatis industria Sacerdotalis ob- „ tinuit, ad vestram maxime gloriam redundavit: dum, si- „ cut Spiritu Sancto docente, didicistis, illi per omnia pote- „ statem vestram subjicitis, cujus munere, & protectione re- „ gnatis ". Et ad Marcianum (3) inquit: " Profectus chari- „ tatis, & fidei utrorumque armorum potentiam insuperabi- „ lem

(1) Tom. 9. Concil. edit. Venet. colum 751. (2) Epist. 28. juxta editionem Cacciarii. (3) Epist. 63. juxta eamdem edit.

„ lem facit, ut, propitiato per unam confessionem Deo, si-
„ mul & hæretica falsitas, & barbara destruatur hostilitas “.
Tandem ad Leonem Augustum (1): “ Quum clementiam
„ tuam Deus tanta Sacramenti sui illuminatione ditaverit,
„ debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non
„ solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsi-
„ dium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, &
„ quæ bene sunt statuta, defendas, & veram pacem his,
„ quæ turbata sunt, restituas ..... Nec hæreticos homines,
„ & merito suæ perversitatis damnatos, uti sua persuasione
„ patiamini: quum sive impietatem eorum aspicias, sive opus
„ perpetrati furoris attendas, non solum ad Sacerdotii ho-
„ norem admitti nequeant, sed ab ipso Christiano nomine
„ mereantur abscindi. Nam (quod exorata pietatis vestræ
„ venia dixerim) quodam contagio splendorem vestræ sere-
„ nitatis obscurant, quum sacrilegi parricidæ id audeant pe-
„ tere, quod non innocentes liceat obtinere “. Leo au-
tem II. epist. 2. ad Pogonatum (2) errorem sublatum esse gra-
tulatur tum synodali sententia, tum imperiali edicto: “ Sy-
„ nodali igitur sententia, (inquit) & imperialis edicti censura
„ tamquam ancipiti Spiritus Sancti gladio, error expunctus
„ est..... O Sancta Mater Ecclesia, exurge: depone pal-
„ lium mœroris: ecce filius tuus, defensor tuus, adjutor
„ tuus, accinctus est gladio &c. “ Dubitari ergo non potest,
quin Ecclesiæ valde perutile sit, ut Imperatores decreta Con-
ciliorum Œcumenicorum ea confirmatione corroborent, quæ
ad exequutionem illorum refertur.

Est id etiam politico regimini valde salutare. Nam ut subditi omnes in rebus potissimum gravioribus inter se consentiant, ad imperii felicitatem quam maxime conducit; subditorum enim inter se consensio imperia firmat, discordia autem aliquo saltem modo nutare facit. Profecto cuivis homini nihil iis gravius esse debet, quæ religionis sunt, vel ad religionem pertinent: dum ergo Imperatores in observationem Eccle-

(1) Epist. 129. juxta eandem edit. (2) Tom. 7. Concil. edit. Venet. colum. 1151.

Ecclesiæ decretorum sua potestate incumbunt, efficiunt sane, ut omnis de re gravissima inter subditos dissensio tollatur: id ergo quum ad bonum politici regiminis quam maxime conducat, inde consequitur, ut illud promoveant, dum Œcumenicorum Conciliorum decreta servari curant.

Per hoc etiam, quæ sibi debetur, subjectioni prospiciunt. Quum enim Œcumenicorum decreta Conciliorum sint Optimatum Ecclesiæ consensione constituta, & Supremi ejus capitis auctoritate roborata; ex se patet dum hæc decreta contemnuntur, quidquid altioris sublimiorisque potestatis in Ecclesia excogitari potest, contemni. Hoc autem si Imperatores patiantur, quid aliud natum est sequi, quam ut eorum etiam supremæ potestatis subditi eam, quam deberent, rationem revera non habeant; atque ita ipsi suam potestatem in aliquod periculum conjiciant. Nam semel admissa facinora ad alia saltem ejusdem generis perpetranda homines non tardiores, sed alacriores faciunt. Est igitur dicendum, etiam politico regimini quam maxime expedire, ut Imperatores decreta Conciliorum Œcumenicorum ea confirmatione corroborent, quæ ad exequutionem illorum tendit.

§. VIII. Principibus jus veræ, & proprie dictæ confirmationis quoad disciplinæ canones non minus falso, quam aliquo modo sibi contradicens, Petrus de Marca tribuit.

De Concordia Sacerdotii, & Imperii lib. 2. cap. 10. num. 9. ea, quæ sunt fidei, recte distinguit ab aliis, quæ ad disciplinam spectant: illa omnem suam auctoritatem a Patribus in Concilio congregatis habere affirmat, eorumque definitione fieri concedit, ut iisdem nemo non assentiri debeat. At vero, inquit ipse, " Quod attinet ad Canones, qui non quidem
" de fide, aut Sacramentorum ritibus, sed de reliqua disci-
" plina feruntur, quia legum perpetuarum vires obtinere
" debent, & Clericorum, immo etiam sæpissime Laicorum
" personas respiciunt, ex quibus reipublicæ corpus compo-
" nitur, novamque aliquando disciplinæ formam constituunt,
" quam plurimi Principum interest, ut ea decreta mature di-
" scutiant, antequam exequutionem publicam, & forensem

„ lege sua indulgeant, ne fortassis aut publicæ utilitati, aut
„ tranquillitati adversentur. Confirmati autem a Principe
„ Canones vim legis publicæ adipiscuntur: quæ necessaria
„ est, ut per omnes imperii provincias exequutioni tradi
„ possint, & si qui contradicant, auctoritate publica coer-
„ ceantur. Confirmatis de fide decretis, contumacia qui-
„ dem refragantium legibus plectitur, ac si in leges Impera-
„ torias peccatum fuisset, sed non indigent ea decreta im-
„ perio Principis, ut Christianos adstringant, quum jure Di-
„ vino nitantur, quod ceteris omnibus præcellit". Num. 10. & seqq., nulla distinctione facta inter Canones fidei, & disciplinæ, plura ex Ecclesiastica Historia monumenta in medium adducit, quibus etiam decreta Conciliorum Œcumenicorum ab Imperatoribus confirmata fuisse tradit. Eo tamen in sensu hujusmodi confirmationem accipiendam esse num. 14. affirmat, quo nos supra (1) docuimus, & locum Facundi Hermianensis ex libro ejus 12. cap. 3. in medium adducit, in quo idem Auctor Principes, canonicas quæstiones ad suum judicium revocare tentantes, reprehendit, eisque Marciani Imperatoris exemplum proponit, inquiens: "Sciens igitur ille
„ modestissimus Princeps Oziæ Regi non impune cessisse, quia
„ sacrificare præsumpsit, quod licitum est singulo cuique
„ etiam secundi ordinis Sacerdoti, multo magis sibi impune
„ cedere non posse cognovit, vel, quæ de fide Christiana
„ rite fuerant constituta, discutere, quod nullatenus licet,
„ vel novos constituere Canones, quod nonnisi multis, &
„ in unum congregatis primi ordinis Sacerdotibus licet. Ob
„ hoc itaque vir temperans, & suo contentus judicio, Ec-
„ clesiasticorum Canonum exequtor esse voluit, non condi-
„ tor, non exactor". Quibus ipse Petrus de Marca hæc su-
„ peraddit: "Hic est certus limes, quem regiæ auctoritati
„ in his negotiis præfigere oportet, ne inconsulto trahamur
„ ad eam adulationem, qua Principibus suis totius disciplinæ
„ Ecclesiasticæ summam Græci deferebant".

Lib. 6. cap. 2. num. 1. rursus illud urget, definitiones fidei

(1) Hujus lib. §. 6.

fidei confirmari non posse a Principibus, deinde vero hæc superaddit: " Quantum autem ad Canones; quum in legum loco sint, & instituta perpetua, quæ spectant ad subditos " Principum, sive Clericos, sive Laicos, novamque politiam introducant in dispositionem civilem, valde intereft " Principum, ne eorum ante exequutionem permittant, " quam eos consideraverint..... Quare confirmatio horum " Canonum decernenda est a Principe cum cognitione caussæ ". Num. 2. *hanc veterem consuetudinem* probari dicit edictis Constantini, Theodosii, Marciani, & Justiniani Imperatorum, qui confirmaverunt decreta Concilii Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis, & Constantinopolitani sub Agapeto, & Mena. Hac etiam de re satis compertum esse posse dicit ex epistola synodica Concilii Constantinopolitani, Œcumenici II., ad Theodosium Imperatorem, in qua Patres ex sui officii ratione, relationem eorum, quæ in Synodo gesta erant, ad eumdem sese mittere affirmant, illorumque confirmationem ab eo petunt. Num. 3. hac de re *quoad praxim Ecclesiæ Gallicanæ* illustrius exemplum proferri non posse tradit, quam epistolam synodicam Concilii I. Aurelianensis, in qua Patres a se conditos canones Clotarii Regis judicio submittunt, eorumdemque confirmationem ab eo petunt. Num. 4. ad Concilium Constantinopolitanum sub Patriarchatu Menæ redit, atque pro se illud in medium adducit, Patriarcham Constantinopolitanum, quamvis ab Episcopis Patriarchatus Antiocheni, nonnullisque aliis rogatum, noluisse in Concilio a se congregato ferre sententiam damnationis in Severum Episcopum Antiochenum, & aliquos alios, quia in litteris Justiniani pro convocatione Concilii datis solius Anthimi caussa discutienda proponebatur, ideoque petionem illorum Principi referendam esse dixisse. Num. 7. edictum Clotarii Regis profert, in quo & canones Concilii Parisiensis an. 614. confirmantur, & quoad aliqua etiam corriguntur.

Petro itaque de Marca & nos utique damus, quæ sunt fidei, distingui oportere ab iis, quæ ad disciplinam spectant; verum ista non ab auctoritate Patrum, sed a confirmatione

Principum ſuam obligandi vim deſumere, hoc vero eſt, quod ei nullo modo dare poſſumus. Eas rationes nunc primo expendamus, ob quas in hac ipſe ſententia verſatur. Plurimi ergo Principum intereſſe dicit, ut in Conciliis de diſciplina edita decreta mature diſcutiant, antequam obſervationem eorum induci patiantur, " Quia legum perpetuarum vires „ obtinere debent, & Clericorum, immo etiam ſæpiſſime „ Laicorum perſonas reſpiciunt, ex quibus reipublicæ cor- „ pus componitur ..... quia novam politiam aliquando in- „ troducunt in politiam civilem ". At vero quod de hujuſmodi decretorum perpetuitate tradit, id ei nemo unquam concesſerit. Eſt enim omnium conſenſione receptum, & perpetuo Eccleſiæ uſu confirmatum, mutari ea poſſe, temporum, aliorumque circumſtantiarum habita ratione, quæ ad diſciplinam ſpectant. Ex hac ergo parte ratio illa evaneſcit, ob quam Principum plurimum intereſſe Petrus de Marca dicit, ut diſciplinæ decreta maturius expendant, antequam eorumdem exequutionem patiantur. Non ſolum autem Clericos, ſed etiam Laicos iis decretis affici concedimus, quæ ad diſciplinam ſpectant. Verum quotquot ſunt undique Fideles fidei decretis afficiuntur: ſi ergo quia decreta, quæ circa diſciplinam verſantur, Clericorum, immo etiam ſæpiſſime Laicorum perſonas reſpiciunt, Principum plurimum intereſt, ut ea mature diſcutiant, antequam exequutionem illorum patiantur; multo potiori jure ob hanc eamdem rationem Principum quam maxime intererit, ut fidei decreta diſcutiant, antequam exequutionem illorum patiantur. Fidei enim decreta nemo non tenere, & quidem ſemper, debet. Ob nova autem decreta diſciplinæ civile regimen non perturbatur, aut quidquam ei juris detrahitur. Sunt enim illa pro temporum, locorum, & perſonarum conditione comparata ad informandos homines in iis, quæ ad Dei cultum referuntur. Per hoc autem fieri, ut in civili regimine aliqua perturbatio facile oriatur, vel ei aliquid juris adimatur, quiſnam unquam dixerit? Quæ ergo novitas hujuſmodi decretis introducitur, politico regimini officere non poteſt, ſicuti etiam

ea

ea revera non officit, quam fidei decreta secum afferunt.

Non erat ergo, cur Petrus de Marca etiam lib. *6.* cap. 22. num. 1. rem eamdem urgeret, atque in comprobationem ejus id assumeret, quod sine aliqua sui contradictione non poterat. Nam lib. 2. cap. 10. num. 14. postquam mentionem fecit, a Constantino, Theodosio, & Marciano hæc Concilia, Nicænum, Constantinopolitanum, & Chalcedonense, confirmata fuisse, id referendum dicit ad exequutionem decretorum, quam Imperatores faciendam curarunt: quod sane auctoritate Facundi Hermaniensis recte confirmat, atque hac ratione certum limitem Regiæ Majestati præfigendum esse, non minus recte dicit. Attamen in hoc libro *6.* cap. 22., semel ac constituit, confirmationem Canonum disciplinæ decernendam esse a Principe *cum cognitione causa*, statim num. 2. superaddit, *hanc veterem consuetudinem* probari edictis Constantini, Theodosii, & Marciani, qui cofirmarunt decreta Concilii Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis, & Constantinopolitani sub Agapeto, & Mena. Ipso itaque sentiente & ad exequutionem decretorum confirmatio facta ab Imperatoribus referri debet, ut certus limes in his negotiis Regiæ auctoritati præfigatur, atque non trahamur ad eam adulationem, qua Græci totius disciplinæ Ecclesiasticæ summam suis Principibus deferebant, & non ad exequutionem decretorum referatur oportet, sed ad confirmationem Canonum disciplinæ decernendam a Principe *cum cognitione causa*. Nam hæc vetus consuetudo, sicuti ipse dicit, probatur edictis Constantini, Theodosii, & Marciani. Rursus: fidei Canones auctoritate Imperatorum confirmari non posse, ipse quoque assentitur. Nunc ergo ab eo quæro, utrum fidei Canones in Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi Concilio editi fuerint? Quis id unquam negaverit? Igitur ea confirmatio, quam sua potestate Imperatores hisce Canonibus adjecerunt, etiam juxta ipsum vera confirmatio non erat, qua iisdem Canonibus aliquid auctoritatis superadderetur: erat quoque simul etiam juxta ipsum vera confirmatio, ob quam auctoritas ad obligandum superveni-

veniret Canonibus, quia ex ea vetus illa consuetudo ostenditur, sicuti ab eo præfertur, qua confirmatio Canonum disciplinæ decernenda est a Principe cum cognitione causæ. Manifestum ergo est, quod Petrus de Marca aliquo modo sibi contradicens tueatur, confirmationem proprie dictam quoad disciplinæ Canones tribuendam esse Principibus. Reliqua, quæ in hanc rem affert, modo prosequamur.

Constantinopolitani Concilii, Œcumenici II., Patres, tum fidei definitionem a se editam, tum decreta ad Theodosium miserunt, ut constat ex epistola *Synodica* ad eumdem (1). Verum anne ut quæ ipsi decreverant, Imperatoris auctoritate confirmarentur, suamque inde vim ad obligandum acciperent? " Rogamus igitur (inquiunt) tuam clementiam, ut per litteras quoque tuæ pietatis ratum habeatur Concilii decretum: ut sicut litteris, quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosequutus es, ita etiam finem eorum, quæ decreta sunt, obsignes". Nulla autem alia ratione obsignandus erat finis eorum, quæ decreta fuerant, quam eorumdem exequutione. In hanc ergo Imperator ut incumbat, Patres eum rogandum censuerunt, non vero ut quæ ipsi constituerant, sua ille auctoritate confirmaret. Etiam Petrus de Marca id concedere debet, semel ac ipse sibi consentire voluerit. Nam Macedoniana, Eunomiana, & Apollinaristarum hæresis in hoc Concilio damnata fuit, & contraria Catholica veritas asserta, atque definita (2): symbolum quoque editum, Constantinopolitanum propterea dictum, quod uti fidei tesseram semper Ecclesia recepit, atque in eo plura superaddita ad varias hæreses retundendas, quæ in Nicæno non habebantur (3). At, Petro de Marca consentiente, semel ac de fidei Canonibus agatur, non confirmatio eorum, sed exequutio spectat ad Imperatores: exequutionis ergo, non confirmationis Constantinopolitani Patres rationem habuere, dum Imperatorem rogarunt, ut finem illorum, quæ ipsi decreverant, obsignaret. Ex his autem

(1) Tom. 2. Concil. edit. Venet. colum. 1124. (2) Vide Christianum Lupum *Dissertat. De Synodo Constantinop.* cap. 2. (3) Vide Natalem ab Alexandro sec. 4. *Dissertat.* 37. art. 3.

tem iterum constat, quod de contradictione ipsius Petri de Marca supra dicebamus.

Aurelianensis I. Concilii Patres dum a se constituta, atque definita in epistola synodica ad Clodoveum retulerunt, ea quidem illius judicio subjecere, atque ut confirmaret, eumdem rogarunt; verum Patres Concilii Agathensis habiti sub eodem Clodoveo quinque annos ante Aurelianense I. hanc officii rationem cum Clodoveo non servant. Ultimo enim Canoni hunc finem imponunt (1): " Et quia in nomine „ Domini omnibus salubriter constitutis, Synodus cum pace „ dimittitur, gratias Deo primitus, & Domino nostro Regi „ agamus, orantes Divinam clementiam, ut hæc eadem facere, & docere per multos annos in honorem Domini possimus ". Deinde vero subscriptiones sequuntur. An fortasse dicendum, Patres Synodi Agathensis suo erga Regem muneri defuisse? aut sibi tribuisse, quod non poterant? Aurelianensis ergo I. Concilii Patres plus, quam par erat, inde fortasse Regi tribuerunt, ut eum magis magisque accenderent ad promovendam observationem eorum, quæ ipsi decreverant. Illud sane certum est, non exemplum eorum, sed Agathensium Patrum, alios postea fuisse sequutos. Nam Arausicani II. Concilii Patres suorum decretorum confirmationem non a Childeberto, sed a Bonifacio II petierunt (2). Aurelianensis II. Concilii Patres, nulla habita ratione confirmationis a Childeberto expetendæ, ita statuere (3): " Sane qui „ post hanc diligentissimam sanctionem non observaverint, „ quæ sunt superius comprehensa, reos se Divinitatis pari- „ ter, & fraternitatis judicio futuros esse cognoscant ". Eamdem rationem, ut alios omittamus, etiam Patres III. Aurelianensis Concilii sequutos fuisse legimus (4).

Citati lib. 6. cap. 23. num. 1. etiam in Hispania a Regibus Concilia cofirmata fuisse, Petrus de Marca contendit, exem-

(1) Apud Sirmondum tom. 1. Concil. Galliæ an. Christi 506.
(2) Apud Sirmondum cit. tomo ad an. Christi 530. (3) Eodem tomo apud Sirmondum ad an. Christi 553. (4) Eodem tomo apud Sirmondum.

exemplumque Riccaredi Regis proponit. Eodem libro cap. 24. num. 2. & 3. tradit Concilium Liptinense a Carlomanno congregatum, & confirmatum, ficut etiam a Pipino fratre Carlomanni anno sequenti Concilium Svessionense eodem modo convocatum, & confirmatum fuisse. Utrumque autem inde colligit, quia Carlomanni Liptinensia decreta, Pipini autem nomine Svessionensia decreta edita legimus.

At Riccaredus illud quidem sua sanctione præcepit, ut quæ in Toletano III. Concilio decreta fuerant, servarentur; verum res definiendas Episcoporum judicio reliquit, voluitque, ut *immobili constitutione* ab iisdem firmarentur, quæ agenda essent, & quæ non agenda, *firmiori disciplina* prohiberentur. Suam enim ad Episcopos alloquutionem ita concludit (1): " De cetero autem pro inhibendis insolentium „ moribus, mea vobis consentiente clementia, sententiis „ terminare districtioribus; & firmiori disciplina, quæ fa„ cienda sunt, prohibete; & ea, quæ fieri debent, immo„ bili constitutione firmate ". Quum vero quæ sunt immobili constitutione firmata, & firmiori disciplina constituta, eo sensu confirmari dicantur, ut eorum exequutio urgeatur; ideo Riccaredi confirmatio quoad decreta Concilii Toletani III. ad quamdam exequutionem eorumdem referri debet.

Acta Synodi Liptinensis, & Svessionensis Papebrochius in *Propylæo Antiquario* ad Tom. 2. mensis Aprilis par. 1. num. 30. fictitia esse putavit, quia Principem laicum, sicut ipse inquit, „ Faciunt conventui Ecclesiastico præsidere, eaque ordinare, „ quæ disciplinam, & correctionem Cleri, ac Monachatus „ concernunt ". Verum nimis multa sunt, quæ de veritate horum Actorum dubitare non sinunt, ut Mabillonius *De Re Diplomatica* lib. 2. cap. 25. num. 11., & Pagius ad an. Christi 744. num. 7. animadvertit. Est ergo primo attendendum, Reges in Conciliis non præfuisse judiciis, sed *ordini judiciorum*, sicuti etiam Petrus de Marca lib. 6. cap. 25. num. 7. concedit. Hinc est, ut Liptinensi Concilio S. Bonifacius præfue-

(1) Tom. 6. Concil. edit. Venet. colum. 704.

fuerit (1), quamvis etiam Carlomannum ei præfuisse legatur. Sicuti autem Imperatores Conciliis Œcumenicis eo titulo honoris aliquando præfuerunt, ut constituerint, quæ in iisdem discutienda, & decernenda forent (2); ita etiam eamdem prærogativam dignitatis Reges in Conciliis Nationalibus habere potuerunt. Ad hanc autem prærogativam referri debent, quæ in Liptinensi, & Svessionensi Concilio Carlomannus, & Pipinus constituisse dicuntur. Horum ergo duorum Conciliorum Acta vera, & genuina esse, non erat, cur Papebrochius negaret.

Carlomanni quidem nomine Liptinensia, Pipini autem Svessionensia decreta edita fuerunt; vera id referri debet ad quemdam honorem, quem Patres illis Principibus detulerint, non vero ad confirmationem proprie dictam, ob quam decreta Conciliorum, quam non habebant, auctoritatem acquisiverint. Nam Carlomannus in Præfatione Concilii Liptinensis Episcopos, & eorum Presbyteros se in unum simul congregasse dicit, ut sibi consilium darent (3), " Quomodo lex Dei, „ & Ecclesiastica religio recuperetur, quæ in diebus præte„ ritorum Principum dissipata corruit ". Zacharias autem Papa epistola 3. ad Francos, & Gallos (4), affirmat Synodum congregatam juxta suam *commonitionem* a Principibus Pipino, & Carlomanno, *peragente* etiam in ea *vicem suam* Bonifacio. In Svessionensi autem Concilio canone 10. decretum latum fuisse dicitur non a Pipino, sed a 23. Episcopis cum aliis Sacerdotibus, & Servis Dei (5). Cujusdam ergo tantum causa honoris, vel etiam ut promptius exequutioni mandarentur, quæ constituerant, Patres passi fuere, ut sua decreta Carlomanni, & Pipini nomine ederentur.

In Synodo Constantinopolitana sub Mena anno Christi 536. habita multa occurrunt, quæ contra Petrum de Marca faciunt, nihil vero, ex quo colligi possit, quod ipse vel-

(1) Vid. epist. 3. Zachariæ ad Francos, & Gallos, & epist. 14. ad Bonifacium Archiepiscopum apud Sirmondum tom. 1. Concil. Galliæ ad an. Christi 743. & 751. (2) Superiori cap. §. 5. (3) Apud Sirmondum tom. 1. Concil. Galliæ ad an. Christi 743. (4) Cit. loco, (5) Apud Sirmondum cit. tomo ad an. Christi 744.

let. Non negamus ergo post condemnationem Anthimi, qui in Sedem Constantinopolitanam irrepserat, *Actione IV.* (1) eos, *qui de Oriente erant*, & nonnullos alios Episcopos, sicut etiam Monachos, & Clericos a Mena petiisse, ut Petrum, Zoaram, & Severum anathematizaret, eisque Menam ita respondisse: " Putamus charitatem vestram non ignorare vo„ luntatem, & zelum pii Imperatoris nostri, quem habet ad „ orthodoxam fidem nostram, & nihil eorum, quæ in San„ ctissima Ecclesia moventur, convenit fieri præter opinio„ nem, & jussum ejus. Rogamus itaque vestram charitatem „ in præsentiarum quiescere, & nos tempus accipiemus ad„ ducere ad ipsas suas aures ea, quæ a vobis exclamata fue„ runt ". Verum aliud est Imperatorem, Patribus aliquando ea determinasse, de quibus ipsi simul uniti agerent, aliud vero semel definita a Patribus sua auctoritate confirmasse. Illud factum fuisse legimus, & quidem citra ullam usurpationem ejus potestatis, quæ Summis Pontificibus, atque Episcopis solummodo convenit (2): istud autem neque factum, neque fieri posse novimus, semel ac Imperatores Episcopis, dum suo munere, & auctoritate funguntur, præesse nolimus. Quapropter mirandum non est, si Menas, ut Imperatori complaceret, nihil aliud præter id, quod Imperator ipse proposuerat, a Patribus discutiendum censuit, & tunc solum consensit, ut in Concilio de Petro, Zoara, & Severo judicium institueretur, quando Imperatori id placere intellexit. Est tamen advertendum, Menam, dum repugnavit de Petro, Zoara, & Severo in Concilio judicium fieri, ne plus quam par erat, in hoc negotio Imperatori tribuere videretur, se in causa illorum stare judicio Apostolicæ Sedis hisce verbis declarasse: " Nos enim, sicut scit vestra charitas, Apostolicam „ Sedem sequimur, & obedimus: ipsius communicatores „ habemus, & condemnatos ab ipsa & nos condemnamus ". Quod ergo nullo modo debet, ex iis, quæ in hoc negotio Mena gessit, Petrus de Marca colligit.

Id

(1) Tom. 5. Concil. edit. Venet. colum. 1055. (2) Præced. §. 3. & seqq.

Id autem magis magisque constat ex *Sacra* Justiniani, habito Concilio, edita contra Anthimum, Severum, Petrum, & Zoaram. Ita ergo Justinianus in illius initio habet (1): " Rem non insolitam imperio & nos facientes ad „ præsentem venimus legem. Quoties enim Sacerdotum sen„ tentia quosdam indignos Sacerdotio de sacris sedibus de„ posuit..... toties imperium ejusdem sententiæ, & ordi„ nationis cum Sacerdotum auctoritate fuit. Sicque Divina, „ & humana pariter concurrentia unam consonantiam rectis „ sententiis facere ". Postea vero sententiam in Anthimum, Severum, Petrum, & Zoaram in Concilium latam confirmat indicendo illis, ut a regia civitate, & confinibus illius exularent: " Hæc (superaddit) pro communi pace Sanctissima„ rum Ecclesiarum statuimus, hæc decernimus, sequentes „ Sanctorum Patrum dogmata, ut omne Sacerdotium im„ perturbatum de cetero nobis maneat ". Hæc vero omnia ostendunt, sententiam Imperatoris niti decreto a Patribus jam facto, hujusque exequutionem ab ea urgeri etiam inflictione pœnarum, atque Imperatorem sequi dogmata Sanctorum Patrum, non vero sua confirmatione efficere, ut ea auctoritatem habeant.

Fatemur autem, nonnulla eorum, quæ Patres in V. Parisiensi Concilio constituerant, mutata a Clotario in eo edicto fuisse, quod post habitam Synodum edidit. At quamvis ex jure aliquid recte factum fuisse deducatur, non tamen ex facto jus inferendum est: alioquin etiam quæ præter omnem rationem facta fuerunt, æquo jure facta fuisse, contendi posset. Quod ergo hac in re Clotarius fecit, æquo jure eum fecisse, ostendendum erat. Verum hac in re Clotarium regulas juris prætergressum non fuisse, defendi potest. Nam suam deliberationem Clotarius edidit in *Synodali Concilio* una cum Episcopis, Optimatibus, atque aliis Fidelibus (2): " Qui„ cumque vero (inquit) hanc deliberationem, quam cum „ Pontificibus, vel tam magnis viris Optimatibus, aut Fide-

S 2 „ libus

(1) Tom. 5. Concil. edit. Venet. colum. 1239 (2) Apud Sirmondum tom. 1. Concil. Galliæ ad an. Christi 615.

„ libus nostris in Synodali Concilio instituimus, temerare „ præsumpserit, in ipsum capitali sententia judicetur ". Cur ergo non dicendum, quod erat in Parisiensi V. Concilio constitutum a Patribus, subinde ab aliis Patribus sublatum fuisse, Clotariumque, quod isti decreverunt, non vero quod illi, mandasse, ut servaretur?

§. IX. Patres Conciliorum Œcumenicorum talem confirmationem suorum decretorum ab Imperatoribus petierunt, ipsique Imperatores promulgarunt, quæ ad exequutionem eorumdem decretorum referretur, quemadmodum ex Concilio Nicæno Œcumenico I. novimus.

De hoc ergo, quod modo volumus, auctoritate Nicæni Concilii in isto §. agimus, in sequentibus autem de auctoritate aliorum Conciliorum Œcumenicorum usque ad octavum. Hæc ergo apud Gelasium Gizycenum leguntur in *Hist. Concil. Nicæni* lib. 2. cap. 26. " Referuntur igitur ad pium, „ & illustrissimum Imperatorem quæcumque a Synodo fuerant judicata, & sententia contra Dei hostes lata, & or„ thodoxæ fidei expositio: quam ut divinitus oblatam liben„ ter, & magna cum reverentia excepit, hostes autem ejus, „ tamquam Deo adversantes, exilio multandos censuit". Hinc est, ut, a Concilio lata semel sententia contra Arium, & fidei Symbolo constituto, hæc ad Episcopos, & populos Constantinus scripserit apud Gelasium citato libro cap. 36. „ Si quod autem scriptum ab Ario compositum reperiatur, „ igni tradatur, ut non modo improba ejus doctrina tolla„ tur; verum etiam ne monumentum quidem ejus aliquod „ relinquatur. Illud equidem prædictum volo; si quis libel„ lum aliquem ab Ario conscriptum occultasse deprehensus „ sit, nec continuo prolatum igne absumpserit, morte mul„ tabitur. Illico namque in tali crimine deprehensus pœnam „ capitis luet ". In hisce autem omnibus, quæ apud Gelasium leguntur, illud observatione dignum occurrit, Patres tum judicium contra Arium a se jam prolatum, tum expositionem fidei factam Imperatori obtulisse uti rem jam finitam, de qua amplius ultra quærendum non esset: Imperatorem vero

magna

magna cum reverentia excepisse, quod definitum a Patribus sibi offerebatur, & contradicentes exilio multandos mandasse, atque decrevisse, ut Arii libri comburerentur, punirenturque pœna mortis, qui ejusdem librum aliquem occultarent. Ex iis ergo, quæ tum a Patribus, tum ab Imperatore gesta fuisse legimus, constat Patres, quæ decreverant, eo, quo nos contendimus, genere confirmationis a Constantino comprobari voluisse, ipsumque Constantinum revera rata habuisse.

§. X. Hoc genus confirmationis, etiam Synodi Constantinopolitanæ, Œcumenicæ II., Patres ab Imperatore petierunt.

Dum hujus Synodi Patres de iis, quæ a se decreta fuerant, Imperatorem certiorem faciunt, una simul eumdem rogant, in id anniti, ut suum ea finem consequantur (1): „ Rogamus igitur (inquiunt) clementiam tuam, ut per litteras quoque tuæ pietatis ratum habeatur Concilii decretum: ut sicut litteris, quibus nos convocasti, Ecclesiam honore prosequutus es; ita etiam finem eorum, quæ decreta sunt, obsignes". Finis ergo eorum, quæ decreverant, ille sane erat, quem Patres auctoritate Imperatoris obsignatum volebant. Hoc autem tum profecto habebatur, semel ac Imperator exequutionem decretorum sua auctoritate urgeret, ac propterea hoc genus confirmationis Patres ab Imperatore expetierunt.

§. XI. Confirmationem, quæ respicit exequutionem decretorum, etiam Patres Ephesinæ Synodi, Œcumenicæ III., ab Imperatore petierunt.

Hujus Synodi Patres dum in *Actione I.* Nestorium se damnasse, Imperatorem certiorem faciunt, simul eumdem obsecrant, ut universam Nestorii doctrinam a Sanctissimis Ecclesiis sua auctoritate amoveri faciat, & comburi libros ubicumque locorum repertos (2): inquiunt enim: " Vestram itaque majestatem iterum, atque iterum rogatam cupimus, „ ut

(1) Tom. 2. Concil. edit. Venet. colum. 1124. (2) Tom. 3. Concil. ejusdem edit. colum. 1102.

„ ut universam illius doctrinam e Sanctissimis Ecclesiis submoveri, ejusdemque libros ubicumque locorum repertos flammis tradi jubeat, per quos Dei gratiam, propter suam in nos benignitatem hominis facti, abolere contendit; quam ille non benignitatem, sed Divinitatis ignominiam censuit. Quod si quis vestras sanctiones spreverit, ille vestræ dominationis indignationem formidet. Sic enim Apostolica fides per vestram pietatem munita persistet illæsa ". Clarius ne manifestare poterant, quam tandem sui judicii confirmationem ab Imperatore postularent? *Actione V.* Joannem Antiochenum una cum ejus asseclis a Catholica communione excluserunt, quæque in conciliabulo habito cum suis contra Cyrillum, & Memnonem ab illo statuta fuerant, irrita esse declararunt. De his ergo a se constitutis ita ad Imperatorem habent (1): " Quæ igitur constituta sunt, ad vestram pietatem necessario præscripsimus; quam obnixe quoque rogamus, ne hominum criminibus obnoxiorum conventiculum Synodus esse jubeatur..... Verum jubeat, ut ea, quæ a Sancta, & Œcumenica Synodo ad pietatis præsidium contra Nestorium, impiamque ejus doctrinam sancita sunt, vim suam obtineant, accedente ad robur eorum nutu, & consensu pietatis vestræ ". De eadem re Patres in altera sua epistola ad Imperatorem iterum rogarunt, petieruntque, ut quæ per dolum, & fallaciam contra Cyrillum, atque Memnonem gesta fuerant, irrita esse juberet, quum ea *nullam vim ex Sacris Canonibus* obtinerent (2). Preces ergo Patrum ad Imperatorem eo semper tendunt, ut quæ ipsi decreverant, sua ille potestate exequutioni mandari jubeat. Id vero præstitit Imperator, dum, detectis fallaciis, Synodum ab eis canonico ordine habitam fuisse perspexit (3): " Quare quum Nestorius (ita Imperator in decreto misso ad Isidorum Præfectum Prætoriorum) Catholicæ Ecclesiæ quondam Sacerdos, nunc vero fidei proditor, tantorum scelerum mole oppressus teneatur; necessarium

(1) Cit. tomo colum. 1187. (2) Cit. tomo colum. 1318. (3) Cit. tomo colum. 1578.

„ sarium est, ut nostræ serenitatis sententiæ subjiciatur..... „ Tua proinde celebris dominatio hac pragmatica sanctione, „ sive peculiari auctoritate ostensa, prædictum Nestorium ob „ admissam a se impietatem in perpetuum exilium petras de- „ portari jubeat, omniaque illius bona Ecclesiæ Constantino- „ politanæ addicat". Hæc sane ultima confirmatio fuit, qua Imperator decreta Concilii Ephesini exequutioni demandari jussit.

§. XII. Quod ex Ephesino, idem etiam ex Synodo Chalcedonensi, Œcumenica IV., constat.

Postquam Patres, ut multa alia prætereamus, in *Alloquutione* habita ad Marcianum plura retulerunt de ea fide, quam contra hæreticorum errores exposuerant, ita Imperatores adhortantur (1): " Sed, o vos Christi amantes, & imperio su- „ perno nutu vobis concesso dignissimi, compensate ei fidem, „ qui beneficia tanta concessit; studioque circa purissimam „ confessionem, pro concessis honoribus præstantiam vestræ „ devotionis ostendite, malignorum quidem molimina refræ- „ nantes, omnibus vero piæ confessionis declarantes in uni- „ tate concordiam, ac velut signaculum sacræ doctrinæ, Con- „ cilii hujus a vobis congregati prædicationem Petri sedis „ auctoritate roborantes". Quo tendant preces Patrum, etiam me tacente, nemo non videt. Quid conformiter ad eas Marcianus egerit, nunc attendamus. In eo sane edicto, quod Constantinopoli promulgavit, aliquam amplius de religione quæstionem haberi prohibuit, atque pœnæ subjecit illos, qui id facere auderent, quum nihil esset amplius ultra post ea quærendum, quæ in Synodo Chalcedonensi definita fuerant (2): " Iterata (inquit) hac sancientes nostræ clemen- „ tiæ jussione, ut in futurum a prohibitis omnes abstineant, „ nec conventicula colligant super religione certantes: quia „ in hujusmodi perversitate, & vanitate detecti, & statutas „ dudum suscipient pœnas, & judiciario motu, prout reli- „ giosis temporibus convenit, punientur. Oportet enim „ Chal-

(1) Tom. 4. Concil. cit. edit. colum. 1767. (2) Cit. tomo colum. 1786.

„ Chalcedonensem Synodum sequi, in qua omnibus diligen„ ter quæsitis, ea definita sunt, quæ pridem tres prædicti „ cœtus, Apostolicam fidem sequuti, omnibus observanda „ tradiderunt “. Pœnæ autem in altero præcedenti edicto constitutæ hæ erant (1): “ Igitur si Clericus erit, qui pu„ blice de religione tractare ausus fuerit; a Consortio Cleri„ corùm removebitur: si vero militia præditus sit; cingulo „ spoliabitur: ceteri autem hujus criminis rei de hac regia „ urbe pellentur, pro vigore judiciario etiam competentibus „ suppliciis subjugandi “. Imperator ergo Synodum Chalcedonensem ea ratione confirmavit, ut sua auctoritate, atque potestate quam maxime contenderit, decreta illius exequutioni mandari.

§. XIII. Idem quod ex præcedentibus ex VI. Œcumenica Synodo, Constantinopolitana III., perspectum est.

De V. Œcumenica Synodo non est, cur verba faciamus: eam enim, quamvis in se spectata revera non esset, uti Œcumenicam auctoritate Romanorum Pontificum, eorumdemque confirmatione habitam subinde fuisse, jam monuimus (2). Ex sermone itaque *Prosphonetico* Patrum Synodi VI. ad Imperatorem Constantinum est de eo perspectum, quod nos modo volumus. In hoc itaque sermone, postquam veræ orthodoxæque fidei juxta decreta Summorum Pontificum, præcedentiumque Conciliorum rationem exposuerunt, ita Imperatorem alloquuntur (3): “ Sed, o benignissime Domine, & amator „ justitiæ, ei, qui tibi potentiam largitus est, hanc gratiam „ recompensa: & his, quæ a nobis definita sunt, signaculum „ tribue, vestram in scripto imperialem ratihabitionem, & „ per edicta divalia, atque per pias constitutiones, ex more „ eorum omnium firmitatem, quatenus nullus his, quæ gesta „ sunt, aut contradicat, novamque quæstionem machine„ tur “. Sua ergo potestate, ut Imperator ageret, ne quispiam contradiceret iis, quæ a se definita fuerant, hoc vero est, quod Patres ab eo quærebant, atque hac de causa volebant,

(1) Cit. tomo colum. 1782. (2) Hujus lib. cap. 1. §. 10.
(3) Tom. 7. Concil. edit. Venet. colum. 1091.

bant, ut, lata lege, a se decreta confirmaret. Votis eorum annuit Imperator, atque hoc dum fecit, petitionem Patrum eo spectasse, ut Imperator sua auctoritate urgeret exquutionem decretorum a se editorum, magis magisque declaravit. Nam in edicto, quod affigi jussit in tertio atrio magnæ Ecclesiæ, facta commemoratione eorum, quæ tam juxta hujus, quam quinque præcedentium Synodorum decreta unusquisque orthodoxus credere, firmiterque tenere debet, in fine illius ita statuit (1): " Si quis igitur Christi amator est, & „ metuit Dominum, optatamque salutem desiderat, hanc „ fidem orthodoxam teneat. Nec enim est per aliam fidem „ savari. Si quis vero hominum personis gratiam exhibet, „ charitatis autem in Deum se æmulatorem non demonstrat, „ præsentemque nostram piam constitutionem non recipit; si „ quidem Episcopus est, vel Clericus, aut Monachico cir„ cumdatus est habitu, deportationis pœnam exsolvet (2). „ Si vero in ordine dignitatum insertus est, supplicio proscri„ ptionis multabitur, eique cingulum adimetur. Si autem „ idioticæ sortis est, ex hac regia, omnique penitus nostra „ civitate extorris addicetur: & super hæc omnia etiam ter„ ribilis, atque inexpiabilis judicii non effugiet cruciatum", Quemadmodum ergo eum Patres rogaverant, in id Imperator suam auctoritatem, atque potestatem impendit, ut exequutioni mandarentur, quæ a Patribus definita fuerant, atque ut hoc facilius assequeretur, certas pœnas iis infligendas constituit, qui Patrum definitioni sese submittere recusarent.

§. XIV. Etiam ex Actis Synodi Nicænæ II., Œcumenicæ VII., constat, ab Imperatoribus decreta Ecclesiastica inde confirmata fuisse, quia sua auctoritate in exequutionem eorum incubuerunt.

Hadrianus ea in epistola, quam ad Imperatores dedit, quamque Synodi VII. Patres una cum altera missa ab eodem Pontifice ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, uti

 suæ

(1) Cit. tomo colum. 1135. (2) Pœnam sancitam a Patribus Concilii Act. 18. contra Episcopos, & Clericos, qui suis definitionibus restiterint, Imperator omnibus denunciat.

suæ fidei normam sequuti fuerunt, eis primo quidem exposuit, quid de sacris Imaginibus fides orthodoxa doceret, deinde ut illos moneret, hujus dogmatis non judices, sed exequutores esse debere, orando, & deprecando constituit, ut sacras Imagines in pristinum statum restitui facerent (1): „ Tamquam præsentialiter humi prostratus (inquit), & vestris Deo dilectis vestigiis provolutus, quæso, & coram Deo deposco, & adjuro, ut easdem sacratissimas Imagines in ipsa a Deo conservata regia urbe, & ceteris Græciæ partibus in pristinum statum restituere, & confirmare jubeatis, observantes traditionem hujus Sacrosanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, abjicientes, & respuentes iniquorum, atque hæreticorum calliditates". Tarasius vero Patriarcha Constantinopolitanus, omnesque Synodi Patres in epistola ad Imperatores Spiritus Sancti operatione, & paternis, atque Ecclesiasticis traditionibus munitos, anathema iis se dixisse dicunt, qui aliter, ac ipsi exposuerant, de sacris Imaginibus sentirent (2): " Quisquis (inquiunt) sic se non habuerit, sed disceptaverit, vel etiam clanguerit erga venerabilium Imaginum adorationem; hunc anathematizat sancta nostra, & universalis Synodus, quæ munita est Divina Spiritus Sancti operatione, ac paternis, & Ecclesiasticis traditionibus". Patres ergo post suam definitionem nihil amplius desiderari posse, propter quod suis decretis unusquisque præstare fidem deberet, Imperatoribus denunciant, ac propterea id unum tantum penes eos reliquum esse simul ostendunt, ut curent, quemadmodum ab Hadriano moniti fuerant, exequutioni mandari, quæ decreta fuerant.

§. XV. Habemus tandem Concilii Constantinopolitani IV., Œcumenici VIII., auctoritate confirmatum, quod alia priora Œcumenica Concilia hac de re tradiderunt.

Qua itaque ratione sese gesserint Imperatores in hujus Concilii confirmatione, nunc videamus: ex ea enim perspectum fiet, quamnam ejus decreta confirmandi auctoritatem sibi

(1) Tom. 8. Concil. ejusdem edit. colum. 762. (2) Cit. tomo colum. 1234.

ſibi tribuerint. Hac de re ex ea epiſtola conſtat, quam peracto Concilio, ad omnes Sedes Patriarchales Imperatores miſerunt. In hac ergo Baſilius, Conſtantius, & Leo Imperatores poſtquam ſuæ lætitiæ argumenta manifeſta præſetulerunt, quia pax Eccleſiæ reſtituta foret, ita habent (1): " Incorru-
„ ptæ enim columnæ Eccleſiarum, Sanctiſſimi videlicet Sum-
„ mi Pontifices ſenioris Romæ multo ante arripientes labo-
„ rem pro Eccleſiaſtica ordinatione debitam facultatem no-
„ ſtris contulerunt negotiis, ita ut honoratiſſimi Vicarii San-
„ ctæ Romanæ Eccleſiæ, cum reverendiſſimo loci Servatore
„ Sanctitatis tuæ, & aliarum Patriarchalium Sedium, Dei gra-
„ tia, & cooperatione facilius evellerent nequitiæ zizania ....
„ Nam condemnationis dignos, & turbationis auctores cum
„ horum acephalo capite regulariter, atque ſynodice irre-
„ prehenſibili judicio condemnaverunt, & reprobaverunt: ei
„ autem, qui patenter injuſtitiam paſſus eſt, legitimo ſcili-
„ cet Summo Sacerdoti, & iis, qui circa ipſum ſunt, de-
„ creverunt, & contulerunt triumphum. Subtilitatem præ-
„ terea eorum, quæ acta ſunt in ſuperius declarata ſancta,
„ & univerſali Synodo Sanctitati tuæ expreſſius exhibebit ge-
„ ſtorum ejuſdem Synodi ſeries. Gratias ergo agentes Omni-
„ potenti Deo pro Eccleſiaſtica conſtitutione, ac idonea Sy-
„ nodi terminatione, beatificanteſque, & ſuſcipientes ſince-
„ ram nobis a Chriſto Deo collatam Divinorum Canonum
„ cuſtodiam &c. " Ejus ergo, quod in Concilio peractum fuerat, a Summis Pontificibus facultatem tributam Imperatores affirmant: decreta Concilii *irreprehenſibili judicio* edita tradunt: ex Actis cogniturum unumquemque Patriarcham monent ejuſdem Concilii decreta: gratias Deo agunt & *de Eccleſiaſtica conſtitutione*, & *de idonea Synodo terminatione*: tandem æquo animo ſuſcipiunt *ſibi a Deo collatam Divinorum Canonum cuſtodiam*. Hæc vero omnia illud ſane demonſtrant, in eo ſibi tribuiſſe Imperatores auctoritatem confirmandi Canones, ut eorum cuſtodiam ſibi a Deo demandatam agnoverint, ac propterea ad ſe ſpectare viderint, ſua poteſtate effi-

T 2 cire,

(1) Tomo 10. Concil. ejuſdem edit. colum. 675.

cire, ut exequutioni mandarentur, quæ essent in Conciliis Œcumenicis constituta.

§. XVI. Decretorum quoque Concilii Œcumenici confirmatio, quæ in assensione consistit, ab Episcopis singulariter, Clero, & Catholica plebe haberi potest.

Hoc genus confirmationis spectare ad subditos, dum quod debent, obedientiæ obsequium præstant, & latissimo quodam modo confirmationem vocari posse, jam animadvertimus (1). Episcoporum ergo est decreta Conciliorum Œcumenicorum, iisdem assentiendo, confirmare, atque ita ut Ecclesiæ Doctores ipsius Ecclesiæ doctrinam publice profiteri, eamque suis ovibus sequendam proponere. Hac vero de causa Synodum Chalcedonensem numero, auctoritate, & consensione Patrum celeberrimam, ut subscriptione omnium Orientalium Episcoporum confirmaretur, Leonem Imperatorem curasse apud Facundum Hermianensem *Pro defensione trium Capitulorum Concilii Chalcedonensis* lib. 12. cap. 3. legimus. Quod sane illi fecerunt, dicentes: " Neque jota, vel unum apicem possumus aut commovere, aut commutare eorum, " quæ apud illam definita sunt ". Triginta septem epistolæ datæ ab Episcopis in confirmationem Concilii Chalcedonensis in parte 3. ejusdem Concilii leguntur. Episcopi quoque Hispaniarum a Leone II. quæsiti VI. Œcumenicæ Synodi auctoritatem in Concilio Toletano XIV. cap. 3. hisce verbis confirmarunt (2): " Licet in unum generaliter colligi per idem " tempus Hispanorum omnium Præsulum societas nequivisset, sparsis tamen sedibus, atque locis, præfatas gestorum " regulas pertractandas suscepimus, susceptas perlegimus, " approbantes in his, de utrarumque Jesu Christi Filii Dei " naturarum, qua gemina in eo voluntas, & operatio prædica- " tur, recti dogmatis sensum, inculpandæ disputationis edi- " ctum, Apostolicæ traditionis stylum ". Qua autem ratione Leo II. Hispaniæ Episcopos monuit; ut quæ in VI. Synodo decreta fuerant, consentiendo confirmarent, idem ab Episco-

(1) Hujus cap. §. 1. & 4. (2) Tom. 7. Concil. edit. Venet. colum. 1490.

ſcopis Galliæ Martinus I. petiit quoad hæreſim Monothelitarum, quæ in Synodo Lateranenſi *Apoſtolico mucrone*, *& Patrum definitionibus uno ore*, *unoque ſpiritu* condemnata fuerat (1): " Idcirco (inquit Summus Pontifex) ſtudeat fra-
" ternitas tua omnibus eadem innoteſcere, ut tam abomi-
" nandam hæreſim nobiſcum execrentur, & Synodali con-
" ventione, ſcripta una cum ſuſcriptionibus veſtris, no-
" biſmet deſtinanda concelebrent, confirmantes, atque con-
" ſentientes eis, quæ pro orthodoxa fide ſtatuta ſunt ". Hæc autem Concilia Epiſcoporum ea confirmatione profecto non indigebant, qua iiſdem ad obligandum auctoritas conciliaretur. Uti enim recte habet Thomaſſinus *Diſſertatione 6.* in *Synodum Conſtantinopolitanam* num. 7. " An Chalcedonenſis Sy-
" nodus a ſexcentis amplius Epiſcopis habita, a Leone Papa
" confirmata, Occidenti, Orientique univerſo approbata,
" in ſuſpendio tamen adhuc per aliquot annos fuit, donec
" Leo Imperator Orientalium Epiſcoporum novis ſejunctim
" ſubſcriptionibus confirmari curaret. Cui niſi vehementer
" inſano tam delira in mentem venient? Quæ enim poſthac
" Synodus Œcumenica non nutabit, ſi retractari a poſteris,
" ſi novis ſemper ſuffragiorum corrogationibus confirmari in-
" digeat? Idem de VI. Synodo, & aliis id genus pronuncian-
" dum. Ergo peractæ ſemel Synodo ceteri per orbem Epi-
" ſcopi ſuæ magis confeſſionis, quam approbationis, vel con-
" firmationis teſtimonium ſubſcribebant ". Id vero conſtat ex ipſis ſubſcriptionibus Epiſcoporum, quibus decreta Synodi Chalcedonenſis ſe amplecti proteſtati fuere (2): profitentur enim iiſdem decretis nihil addi, aut demi poſſe, eorumque diſcutiendorum nullum locum eſſe. Hinc Leo II. in epiſtola 2. ad Epiſcopos Galliæ eoſdem monet, ut VI. Synodo ſubſcribant, non quidem ut illi auctoritatem adjiciant, ſed ut ſibi conſulant (3): " Ab omnibus reverendis Epiſcopis
" (inquit) una vobiſcum ſubſcriptiones in eadem definitione
" ve-

(1) Cit. tomo colum. 391. epiſt. ad Amandum Epiſcopum Trajectenſem. (2) Vide Facundum ſupra citatum. (3) Tom. 3. Concil. edit. Venet. colum. 1456.

„ venerandi Concilii ſubnectantur, ac ſit profecto in libro
„ vitæ properans unuſquiſque Chriſti Eccleſiarum Antiſtes
„ ſuum nomen adſcribere; ut in unius Evangelicæ, & Apo-
„ ſtolicæ fidei conſonantia, nobiſcum, & cum univerſali
„ ſancta Synodo per ſuæ ſubſcriptionis confeſſionem, tam-
„ quam præſens ſpiritu conveniat: quatenus Chriſto quum
„ ad judicandum venerit, cum titulo orthodoxæ confeſſionis
„ occùrrens, conſortem ſe traditionis Apoſtolicæ per manus
„ ſuæ demonſtret ſignaculum". Ad eumdem modum etiam Martinus I. quæ *Apoſtolico mucrone*, *& Patrum definitionibus uno ore*, *unoque ſpiritu* condemnata fuerant, vult Galliæ Præſulibus innoteſcere, non quidem ut ea expendant, ſed ut tam abominandam hæreſim execrentur, atque hujus rei ſubſcriptiones ad ſe mittant (1). Eſt igitur ſemper magis magiſque manifeſtum, ſicuti inquit Thomaſſinus, peractæ ſemel Synodo ceteros per orbem Epiſcopos ſuæ magis confeſſionis, quam approbationis, vel confirmationis teſtimonium ſubſcripſiſſe, ac propterea decretorum quoque Œcumenici Concilii eam confirmationem iiſdem tribuendam, quæ in aſſenſione conſiſtit.

Hujuſmodi autem confirmatio ſpectat etiam ad Clerum, & Laicos. Ab Evagrio enim *Hiſtor. Eccleſiaſt.* lib. 2. cap. 9. & 10. traditum habemus, Leonem Imperatorem, ut magis magiſque eos refelleret, qui Chalcedonenſi Concilio contradicebant, pro confirmatione ejus ſcripſiſſe non ſolum ad Epiſcopos, ſed etiam ad Monachos, & præ ceteris ad Simeonem Stylitam, qui quidem reſcripſit, ſe *confirmatum* in fide auctoritate Patrum Chalcedonenſium. Joannes II. in epiſt. ad Senatores (2), in qua fidem de Chriſti Divinitate, & Incarnatione confirmat, Monachoſque Neſtorii ſectatores vitandos monet, ita habet: " Olim quidem illuſtres, & magnifici fi-
„ lii, ab hoc ſententiæ meæ ſumma conſtiterat, ut ante juſ-
„ ſionem veſtram, poſtquam epiſtolæ, vel dogmatis tenorem
„ cuncta Eccleſia, hoc eſt, Sacerdotum, Senatus, & populi
„ probavit adſenſus, ſub paginali alloquio veſtris etiam ſenſi-
„ bus

(1) Vide locum ejus ſupra. (2) Tom. 5. Concil. edit. Venet. colum. 896.

„ bus intimanda dirigerem “. Non solum ergo Episcoporum, sed etiam Monachorum, immo & Laicorum confessio, atque expressa quoque subscriptio requisita fuit, non quidem ad cofirmationem, sed ad confessionem decretorum jam editorum etiam ab Œcumenicis Conciliis, illaque etiam confirmationis aliquam imaginem præseferebat. “ Hæc est enim „ Ecclesia Catholica (inquit Thomassinus in citata Dissertatione num. 8.) toto orbe diffusa, hoc semen Abrahæ stellis „ cœli, & arenis pelagi numerosius, huic Christus inconcussam stabilitatem, puramque ab errorum sordibus fidem „ pollicitus est. Ergo consensus ille Ecclesiæ Catholicæ explicatissimus, & a Monachis etiam, Laicisque veluti ad redundantiam quamdam veritatis elicitus, non aspernandæ „ confirmationis instar habet. Ita Chrysostomus adversus „ quartodecimanorum reliquias supra urgebat consensum „ orbis universi. Ita Leo Imperator per sanctissimorum etiam „ Monachorum subscriptiones sperabat suffundi posse Chalcedonensis Synodi allatratores “. Unde post nonnulla alia, quem in rem eamdem in medium adducit, hoc recte colligit: “ Ita ergo confirmatur, & authoratur fides ab iis, qui „ authoritatis expertes quum sint, contestantur tamen hanc „ esse avitam, & sibi a majoribus instillatam fidem “.

Non erat ergo sane cur Bossuetius *Defensionis &c.* lib.8., alias 13., cap. 2., ut vim, & auctoritatem confirmationis absolute elevaret, atque ostenderet, *ex approbatione, confirmatione, corroboratione etiam validissima, quantaque verbis exprimi potest, inferri non posse superiorem potestatem*, plura ex Ecclesiastica Historia deprompta in medium adduceret, atque inter illa etiam nonnulla eorum, quorum nos mentionem modo fecimus, quibus compertum habemus, a potestate cum ea æquali a qua condita erant, aliquando jam antea decreta confirmata fuisse, & quandoque etiam a minori. Nam confirmatio, quæ ab æquali potestate proficiscitur, ac illa sit, a qua decreta prodierunt, dici quidem aliqua ratione eorumdem decretorum confirmatio potest, ad id tamen ipsa non ten-

tendit (1) : quæ autem ab inferiori poteſtate prodit, in quodam debitæ obedientiæ obſequio revera conſiſtit, quamvis latiſſimo quodam ſenſu etiam in hujuſmodi obſequio, quædam confirmatio contineatur (2), eamque etiam ad Epiſcopos ſingulariter, Clerum, & Catholicam plebem pertinere poſſe, modo oſtendimus. Quæ eſt ergo confirmatio proprie dicta, quaque fit, ut lex, vel decreta plenam auctoritatem acquirant, ultimumque complementum quoad vim obligandi aſſequantur (3), ea profecto in confirmante ſuperiorem poteſtatem ineſſe convincit. Jus autem hujuſmodi confirmationis in Summo Pontifice ineſſe, habita etiam ratione Conciliorum Œcumenicorum, nunc oſtendemus.

§. XVII. Summo Pontifici tribui jus veræ, & proprie dictæ confirmationis in ea debet, quæ in Conciliis Œcumenicis decreta fuerint, ſemel ac ad ſupremam Præfecturam attendamus, quam ipſe ſuper univerſam Eccleſiam habet.

Quænam ſit vera, & proprie dicta confirmatio, jam explicavimus (4). Oſtendimus quoque (5), & Catholici omnes fatentur, auctoritatis, & juriſdictionis eam ſupremam Præfecturam eſſe, quam Summus Pontifex ſuper univerſam Eccleſiam habet. Quare Summus Pontifex univerſam Eccleſiam ſub ſua auctoritate, & juriſdictione continet. Patres autem in Concilio Œcumenico congregati non conſtituunt aliquod corpus, quod ſit extra univerſam Eccleſiam, ſed quod univerſa Eccleſia complectitur: igitur etiam hujuſmodi corpus Summi Pontificis auctoritati, atque juriſdictioni ſubeſt: quod ergo ab hoc corpore agitur, & decernitur, auctoritati, & juriſdictioni Summi Pontificis ſubeſſe debet. Quandoquidem Concilium Œcumenicum vel quid ſupremum eſt, quod univerſam Eccleſiam ſub ſua poteſtate, & juriſdictione continet, vel ipſum quoque eſt Eccleſiæ pars, ea quidem præſtantiſſima, atque potiſſima omnium, quæ dari poſſint: ſi prius dicamus; tunc Eccleſia duo ſuprema capita habebit, hoc eſt, Summum Pontificem, & Œcumenicum Concilium: quod ſane nemo umquam

(1) Hujus cap. §. 5. (2) Hujus cap. §. 4. (3) Hujus cap. §. 2.
(4) Hujus cap. §. 2. (5) Lib. 18. cap. 2.

umquam affirmare auserit : si alterum ; igitur etiam Œcumenicum Concilium in Ecclesia continetur : igitur qui universæ Ecclesiæ cum auctoritate, & jurisdictione præest, etiam Concilio Œcumenico cum auctoritate, & jurisdictione præesse debet. Hæc vero auctoritas, & jurisdictio complectatur oportet, quæ a Concilio Œcumenico decernuntur : sunt enim ista ejus generis, ut obligent omnes Fideles, quibus universa Ecclesia componitur : illa ergo auctoritati, judicio, atque confirmationi ejus subesse debent, qui supremam Præfecturam super omnes Fideles, universamque Ecclesiam habet.

Et re quidem vera quæ pro aliquo cœtu, populo, atque republica leges feruntur, nunquam profecto, quam debent, vim ad obligandum ex ipsa legislatione habent, quousque ad confirmationem earum non accedat auctoritas illius, qui supra cœtum, populum, aut rempublicam Supremam Præfecturam pro diverso regimine cum jurisdictione habet: alioquin hanc simul haberet, & non haberet. At vero Summus Pontifex super universam Christianam Rempublicam Supremam Præfecturam cum jurisdictione habet : ejus ergo auctoritas accedat oportet ad illas leges confirmandas, quæ pro universa Christiana Republica conduntur.

§ XIII. Si eam Supremam legislativam potestatem spectemus, quam Summus Pontifex super universam Ecclesiam habet, omnino constat illi tribui debere jus veræ, & proprie dictæ confirmationis in decreta Conciliorum Œcumenicorum.

Repugnat poni decreta, quæ universam Ecclesiam obligent, eo licet non confirmante, qui Supremam in universam Ecclesiam potestatem legislativam habet. Ea enim Supremi ratio est, ut in eo genere, in quo est Supremum, & supra se nihil habeat, sibique omne, quod est inferius, subjectum sit (1). Œcumenicorum autem decreta Conciliorum pro tota, qua late patet, Ecclesia feruntur : ergo, eo confirmante, ferantur oportet, qui Supremam super universam Ecclesiam legislativam potestatem habet. Hujus ergo Supremæ legislati-

(1) Lib. 20, cap. 3. §. 1. & seqq.

væ poteſtatis, quæ eſt penes Summum Pontificem (1), ſi ratio habeatur, Œcumenicorum Conciliorum decreta ab eo confirmentur oportet.

§. XIX. Ipſa quoque ratio Monarchici regiminis, quod Summus Pontifex ſuper univerſam Eccleſiam habet, ejus eſſe Œcumenicorum decreta Conciliorum confirmare, omnino ſuadet.

Formam Monarchici regiminis talem eſſe debere, ut unus tantum præſit omnibus, ſive ſeorſim acceptis, ſive ſimul unitis, abunde jam confecimus (2): atque illud etiam oſtendimus, perfecte Monarchicum eſſe illud regimen, quod Summus Pontifex ſuper univerſam Eccleſiam habet (3). Semel ac autem admittatur, Œcumenicorum decreta Conciliorum, etiamſi a Summo Pontifice confirmata non fuerint, vim obligandi omnes Chriſtifideles in ſe habere, hujuſmodi Supremum Monarchicum regimen omnino pervertitur. Tunc enim cum Suprema regendi poteſtate, quæ una tantum eſſe poteſt, ex eo quod Suprema ſit, altera vel omnino æqualis, vel inferior quidem nomine, non tamen auctoritate, ſimul conjungitur, atque Eccleſiæ regimen in duas poteſtates æque dividitur. Supremum ergo, atque abſolute Monarchicum regimen, quod Summus Pontifex ſuper univerſam Eccleſiam habet, neceſſario exigit, ut ejus auctoritate ſint confirmata Œcumenicorum decreta Conciliorum, atque ita hæc vim obligandi omnes Chriſtifideles in ſe contineant.

§. XX. Ex Concilio Nicæno perſpectum eſt, ſpectare ad Summum Pontificem decretorum in Conciliis Œcumenicis editorum eam confirmationem, quæ ad firmitatem, & auctoritatem eorumdem referatur.

Triplici ratione hujuſmodi confirmatio a Summis Pontificibus haberi poteſt, atque revera habita fuit: 1. Dum ipſe Summus Pontifex Concilio præſens ea confirmat, quæ, ſe præſidente, a Patribus decreta fuerint: 2. Dum decreta, abſente ſe, ſemel edita a Patribus, ſibi oblata, ſua expreſſa auctori-

(1) Lib. 19. cap. 3. §. 1. & ſeq. (2) Lib. 20. cap. 3. §. 1. & ſeq.
(3) Cit. lib. cap. 4. §. 1. & ſeqq.

ctoritate probat, atque confirmat: 3. Dum ad Concilium Legatos mittit, qui vice sui præsideant, suamque sententiam, atque definitionem de re controversa coram Patribus proferant. Nam uti monet Cl. Orsius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib. 1. cap. 3. art. 1. juxta communem Theologorum opinionem, atque doctrinam " Si Legatis certam habentibus, " & sequentibus Romani Pontificis instructionem Synodus " universa consentiat; non est opus nova Pontificis confir- " matione, ut edita in hac Synodo definitio firma sit, & in- " concussa fidei Catholicæ regula. Quod tamen (sicuti ipse " inferius ostendit) minime prohibet, quin Pontifex Supre- " ma sua auctoritate ejusmodi Concilii Acta examinet, & re- " tractet, ut illi constet, an omnia adamussim Apostolicæ do- " ctrinæ fuerint exacta: idque ubi ipsi constiterit, eadem " rursus Apostolica auctoritate confirmet ".

Dici autem nullo modo potest Acta Concilii per suos Legatos a Summo Pontifice confirmata fuisse, semel ac Legati una cum Patribus decernant de iis, quæ sibi a Romano Pontifice constituta non fuerint, multoque minus si aliquid statuant, contra ac Romanus Pontifex iisdem præscripserit. Nam si prius contingat; certa firmitas in Concilii decretis esse non potest. Quandoquidem, sicuti Bellarminus ait *De Concil. Auctoritate* lib. 2. cap. 11. " Firmitas Concilii nascitur " ex consensione, & conjunctione corporis cum capite: at " caput nondum aperuit sententiam suam: etsi enim Legati " præsunt nomine Pontificis, tamen non sunt revera Pontifi- " ces, nec sciunt, quæ sit mens Pontificis, nec habent illud " privilegium non errandi, quod habet Pontifex ". Si autem alterum accidat; tunc Legati, uti Melchior Canus monet lib. 5. *De Locis Theologicis* cap. 5. " Non censentur ex potesta- " te delegata agere, atque adeo non est, cur eo modo acta " superioris auctoritate probata esse credantur ". Quare, " sicuti inquit Bellarminus (1), " Tunc Legati non agunt, " ut Legati, quum non agant nomine Pontificis: diserte " enim Leo in epistola 45. ad Pulcheriam, & Agatho in epi-

V 2 " stola

(1) Cit. loco.

„ stola ad Imperatorem, quæ lecta est in VI. Synodo Actione 4., affirmant se non dare auctoritatem Legatis, nisi agant secundum sibi traditas regulas". Tamen, uti monet Melchior Canus (1), "Nullum hujusmodi exemplum proferetur, nisi forte ex Concilio sub Michaele Imperatore, ubi Radoaldus, & Zacharias Michaeli, & Photio consenserunt adversus Nicolai instructionem, atque mandata, ut videre est in epistola Nicolai ad Patriarchas, Metropolitas, & reliquos Episcopos". Est enim advertendum cum eodem Auctore, sicuti rerum gestarum experimento constat, „ Summi Pontificis Legatos non solere ad Concilium accedere, ubi quæstio de fide agitanda est, nisi instructos prius, & monitos de Ecclesiæ Romanæ fide circa ea, quæ sunt in Concilio finienda. Solere, inquam, non item oportere. Nam Legati in Concilium Tridentinum non potuere commode de quæstionibus differendis ante instrui, quoniam erant propemodum infinitæ. Sed cetera fere Concilia ad unam, aut alteram fidei tractandam causam coacta sunt; ideoque Legati de Apostolicæ Ecclesiæ fide prius instructi accesserunt".

Hisce præmissis, nunc de Synodo Nicæna quoad rem istam, de qua agimus, videamus, de reliquis postea visuri non aliter, ac fecimus, dum disputaremus de ea auctoritate, quam habet Summus Pontifex Concilia Œcumenica indicendi, eisdemque præsidendi. "In primo illo Concilio (sicuti inquit Bossuetius *Defensionis &c.* lib. 8., alias 13., cap. 3.) tres maxime quæstiones, quæ Ecclesiam conturbarent, communi decreto terminatæ: 1. Arianorum de consubstantiali Filio: 2. Paschatis: 3. Rebaptizationis". At vero, quemadmodum Cl. Orsius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib. 1. cap. 7. art. 2. recte animadvertit, "De his tribus quæstionibus quænam esset Ecclesiæ Romanæ mens, atque traditio, non modo Sedis Apostolicæ Legati, sed nemo ex Patribus ignorabat. Nam & Pascha non more Judaico, sed Dominica post lunam decimamquartam primi mensis esse „ ce-

(1) Loco supra cit.

„ lebrandum ; & ratum esse habendum , ac validum hæreti-
„ corum baptisma ; & Filium esse , ac dici debere Patri con-
„ substantialem , longe ante Nicænum Concilium Romani
„ Pontifices constituerant : notaque erant , & in Oriente
„ perinde , atque in Occidente pervulgata, Victoris ad Aria-
„ nos , Stephani ad Africanos , & Dionysi ad cognominem
„ Alexandrinum Episcopum hisce de rebus rescripta “ . Quin ergo Legati Apostolicæ Sedis circa hæc doctrinæ capita instructi juxta Romanæ Ecclesiæ præcedentes definitiones ad Nicænam Synodum accesserint , dubitari non potest . Modo vero ita : Nicæno Concilio S. Sylvester in persona suorum Legatorum cum auctoritate præfuit (1) : Legati igitur Sylvestri personam in Concilio Nicœno egerunt : ita autem egerunt , ut ab eo receperint *potestatem assentiendi Actis* , quemadmodum a Theodorito traditum accepimus lib. 1. *Histor. Eccles.* cap. 6. Actis autem , quæ consensione multorum edita sunt , cum peculiari quadam sibi collata potestate assentiri , est tantum agentis vices alterius , qui confirmandi facultatem habet , quod ab illis multis constitutum fuerit . Nam si de assensione communi loquamur , non solum nulla ad eam peculiaris potestas requiritur , sed etiam eamdem nullus justa sine causa denegare potest . Si autem ii , quos Sylvester ad Synodum Nicænam misit , in se , atque omni sibi singulariter collata potestate destituti spectentur , quam maxime sane æquum erat , ut tantorum , tamquam multorum Patrum decretis assentirentur . Dubitari ergo non potest , quin Legati S. Sylvestri , & quidem Ecclesiæ Romanæ sequuti doctrinam , de qua instructi erant , Synodi Nicæni Acta confirmaverint : quo semel posito , uti supra monuimus , a S. Sylvestro Nicænam Synodum confirmatam fuisse , dicendum est . Hinc Damasus , & Patres Romani Concilii in epistola Synodica ad Episcopos Illyrici fidei formulam Nicænam *Apostolorum* , sive *Apostolica auctoritate* firmatam tradunt , ex eo quod auctoritate Legatorum Sedis Apostolicæ stabilita fuerit . Nam formulam Ariminensem, & Nicænam invicem conferunt ; priorem , quamvis multorum Epi-

(1) Hujus lib. cap. 2. §. 13.

Episcoporum auctoritate probatam, ideo potissimum rejiciunt, quia absque sententia Romani Pontificis condita foret; Nicænam autem perpetuo retinendam inde statuunt, quoniam τῶν Ἀποστόλων *Apostolorum*, id est Apostolicæ Sedis, seu Romani Pontificis sententia, atque auctoritate probata fuerat: „ Siquidem (ita apud Theodoritum *Histor. Ecclesiast.* lib. 2. „ cap. 22.) numerus Episcoporum, qui erant Arimini in „ unum congregati, præjudicii vim habere non debet; præ„ sertim quum formula illa composita sit, neque Episcopo „ Romano, cujus sententia præ ceteris expectanda erat, ne„ que Vincentio, (Legato Romanæ Sedis) qui tot annis Epi„ scopatum integre gesserat, neque aliis eidem consentienti„ bus ..... Itaque vestra integritas manifesto videt, hanc fi„ dem solam, quæ auctoritate Apostolica Nicææ stabilita est, „ firme perpetuo tenendam esse ".

§.XXI. Bossuetius falso putat Nicænam Synodum ab Apostolica Sede confirmatam non fuisse.

Defensionis &c. lib. 3., alias 7., cap. 7. hunc titulum apposuit: " Concilii Nicæni I. decreta adversus Arianos, ipsa „ Patrum consensione valuerunt, nullo ante gestam, nullo post „ gestam Synodum Sedis Apostolicæ speciali decreto &c. " Hoc autem, quod sibi proponit, inde probat, quia falsa esse constat, quæ de Nicæno Concilio confirmato acta referuntur (1), deinde vero quia tum a Rufino *Histor. Ecclesiast.* lib. 1. cap. 5., tum ab Eusebio *De Vita Constantini* lib. 3. cap. 14., traditum habemus, Constantinum *Sacerdotalis Concilii sententiæ* acquievisse, atque esse acquiescendum Alexandrinæ Ecclesiæ scripsisse, sicuti apud Socratem *Histor. Ecclesiast.* lib. 1. cap. 9. legimus, atque ex Severo Sulpitio lib. 2. didicimus, a Patribus Arianam hæresim damnatam fuisse.

Defensionis &c. lib. 8., alias 13., cap. 3. iterum affirmat, hac in Synodo *De Romani Pontificis confirmatione nihil actum esse*. Denuo hoc loci reponit, falsas esse eas litteras, quæ sacræ Synodi, & S. Sylvestri nomine circumferuntur de hujus Synodi con-

(1) Id urget etiam Febronius *De Statu Ecclesiæ* cap. 6. *De Conciliis Generalibus* §. 5. num. 2.

confirmatione, atque a se jam ostensum commemorat (1), „ Prolatam a Patribus sententiam, nullo alio expectato de„ creto, statim apud omnes cœlestis instar oraculi valuisse “.

At vero licet ob inopiam veterum monumentorum distincte non habeamus, quæ S. Sylvestri in Nicæna Synodo partes fuerint, quaque singillatim ratione ille confirmaverit decreta ejus; tamen, quemadmodum nunc superius ostendimus, Synodum Nicænam a S. Sylvestro per suos Legatos confirmatam fuisse, abunde perspectum habemus, quamvis, sicuti revera sunt, suppositititias esse admittatur illas epistolas, quæ Synodi Nicænæ, & S. Sylvestri nomine hac de re circumferuntur. Si ergo ad probandam confirmationem Nicænæ Synodi a S. Sylvestro factam solæ hujusmodi supposititiæ epistolæ suppeterent; tunc sane quod vult Bossuetius, consequeretur: at alia suppetunt, quæ uti falsa rejici a nemine possunt. His accedit, aliunde perspectum esse (2), jus confirmandi decreta Conciliorum Œcumenicorum cum ea auctoritate omnino conjunctum esse, quam Summus Pontifex ex Divina institutione super universam Ecclesiam habet.

Quamvis autem decreta Conciliorum Œcumenicorum Summi Pontificis auctoritate confirmata sint, ea tamen ab hoc, vel illo Concilio Patrum edita revera dicuntur; tribuunturque hujus, vel illius Concilii Patribus. Rem omnibus manifestam, atque comprobatam loquimur. Ex quo sane nemo non videt, quam nullius momenti ea sint, quæ Bossuetius ex Rufino, Eusebio, & Severo Sulpitio ad ostendendum Nicænum Concilium a S.Sylvestro confirmatum non fuisse, in medium adducit.

§. XXII. Jacobus Basnagius Nicæni Concilii confirmationem Imperatori falso tribuit.

Historia Ecclesiæ lib. 10. cap. 2. num. 9. hanc a Constantino Synodum confirmatam existimandum esse dicit, quia, uti apud Eusebium legitur lib. 3. *De Vita Constantini* cap. 24., ipse Constantinus ad Ægyptios scribens, ut ad communem eos

(1) Loco supra citato. (2) Hujus cap. §. 10. & seq.

eos pacem revocaret, *confirmavit*, *& sancivit ea*, *quæ a Synodo decreta fuerant*.

Verum quo sensu dici debeat, Synodum Nicænam a Constantino cofirmatam fuisse, est jam auctoritate Gelasii Gizyceni explicatum a nobis (1). Constantini namque confirmatio non ad aliquam auctoritatem, qûam ab ea Nicæna decreta acceperint, sed ad exequutionem eorumdem decretorum, referri debet. Id vero etiam ex Eusebio colligitur. Facta enim ab eo in citato libro cap. 16. commemoratione eorum munerum, quibus unumquemque Patrum *pro meritis*, *ac dignitate* Constantinus donavit, affirmat eos, qui Synodo non interfuerant, de rebus in ea gestis ab eodem Constantino certiores factos fuisse: " Eos quoque (inquit) qui huic Synodo „ minime interfuissent, de rebus in ea gestis certiores fecit „ per litteras, quas in hoc opere, tamquam in tabula qua„ dam, incisas proponam ". Inter eas vero, & hanc quoque refert, quam ad Ægyptios dedit. Constantini ergo confirmatio exequutionem decretorum Nicæni Concilii spectabat, quum ea profecto de causa etiam illos, qui Synodo non adfuerant, de Synodi decretis Constantinus certiores fecerit, ut ea servarent. Et re quidem vera qua ratione Constantinus dixerit in epistola ad Ægyptios, se decreta Nicæni Concilii confirmare, aperte colligitur ex altera epistola, quam ad omnes dedit, de tempore in Synodo constituto celebrandi Paschatis: " Quæ quum ita sint, (inquit Constantinus apud „ Eusebium in citato libro cap. 20.) cœlestem gratiam, & „ plane Divinum mandatum suscipite. Quidquid enim in „ sanctis Episcoporum Conciliis geritur, id omne ad Divi„ nam referendum est voluntatem ". Post hæc vero, & nonnulla alia, quæ sequuntur, ita Eusebius habet: " Hanc epi„ stolam Imperator eodem exemplo scriptam in omnes pro„ vincias direxit, ut suæ erga Deum pietatis sinceritatem, „ tamquam in speculo quodam aspiciendam legentibus præ„ beret ". Divini ergo ratione mandati, quod a Patribus simul congregatis manifestatum esset, voluit Constantinus, ut omnes

(1) Hujus cap. §. 9.

omnes Synodi decretis obtemperarent; ea vero ita confirmando, suæ erga Deum sinceritatis pietatem omnibus prodidit.

§. XXIII. Cælestinus Summus Pontifex Synodum Ephesinam, Œcumenicam III., per Legatos sua auctoritate confirmavit.

De Synodo Œcumenica II. non est, cur verba faciamus: ea enim in sui institutione Œcumenica non fuit, sed Summorum consensione Pontificum, quæ subinde ad eam accessit, contigit, ut Œcumenica haberetur (1). Actione itaque I. Synodi Ephesinæ sententia depositionis in impium Nestorium lata fuit. Huic Actioni Projectus, & Arcadius Episcopi, atque Philippus Presbyter, Legati Apostolicæ Sedis, maris jactati tempestatibus interesse non potuerunt. Hac ergo Actione peracta, pervenere Ephesum, atque in II. Actione una cum aliis Patribus considentes, Cælestini Summi Pontificis locum tenuerunt. Tunc Projectus de eo, quod sibi, & aliis Legatis, Cælestinus commiserat, hoc est, ut definita *ad firem numeris omnibus absolutum* deducerent, Patres commonefecit (2). Arcadius vero petiit, ut sibi exponerentur, quæ præcedenti Actione decreta fuerant: " Quapropter (inquit) vestram „ Beatitudinem rogatam cupimus, ut quæ a vestra Sanctita„ te decreta sunt, ea nobis exponi jubeatis ". Tandem Philippus Presbyter: " Gratias agimus (ait) sanctæ venerandæ„ que Synodo, quod, litteris Sancti Beatique Papæ nostri „ recitatis, sancta membra sanctis vestris vocibus sancto ca„ piti sanctis etiam vestris exclamationibus vos adjunxeritis. „ Non enim ignorat vestra Beatitudo, totius fidei, vel etiam „ Apostolorum caput esse Beatum Apostolum Petrum. Pro„ inde quum nostra mediocritas multis tempestatibus jactata, „ & vexata serius accesserit, rogamus, ut ea nobis patefieri „ manderis, quæ ante adventum nostrum in sancta hac Sy„ nodo acta sunt; quo juxta B. Papæ nostri, præsentisque „ hujus sancti cœtus sententiam, nos quoque confirmemus, „ con-

(1) Hujus lib. cap. 1 §. 7., & cap. 2. §. 15. (2) Tom. 3. Concil. edit. Venet. colum. 1147.

„ conformiter eorum depositioni " (1). Ad hæc Theodorus Ancyræ Episcopus ita reposuit (2): " Quoniam vero justa „ ratione permota vestra Beatitudo, ex ipsis Actorum com„ mentariis intelligere quæsivit de Nestorii depositione; ju„ stam sententiam, sanctæque Synodi zelum, & consensum „ in fide, quam sanctissimus, & piissimus Cælestinus magna „ voce deprædicat, vestra reverentia plane certoque cogno„ scet, quod fiet, ubi hoc etiam, quod vobis satisfactum „ sit, præsenti Actioni addetur ". Utraque deinde Cælestini ad Theodosium, & Cyrillum epistola lecta fuit, atque ita Actio II. finem accepit. Postera die, eodem in loco considentibus Patribus, Juvenalis Episcopus Hierosolymorum Legatos Apostolicæ Sedis ita alloquutus fuit (3): " Hesterna die, „ considente hac, & magna Synodo, quum vestra pietas „ adesset, post lectas litteras sanctissimi, ac beatissimi ma„ gnæ Romæ Episcopi Cælestini, postulavit, ut commentarii „ Acti in depositione hæretici Nestorii legerentur, idque „ consequenter sancta Synodus fieri præcepit. Sanctitas igi„ tur vestra docere dignetur, num legerit, ac perceperit „ vim eorum ". Tunc Philippus *omnia canonice, & ex Ecclesiastica disciplina judicata esse* pronuntiavit, ac ista superaddidit: " Ac nunc quoque petimus a corona vestra, quamvis „ supervacaneum sit, ut quæ in vestra Synodo lecta sunt, „ rursum nobis etiam eadem legantur; ut sequentes formu„ lam Sanctissimi Papæ Cælestini, qui hanc curam nobis „ commisit, & vestræ etiam Sanctitatis judicia vestra confir„ mare possimus ". Idemque etiam alii duo Legati petierunt. Ad hæc Memnon Episcopus Ephesiorum (4): " Nihil „ prohibet, (inquit) quominus ex postulato sanctissimorum „ Episcoporum Arcadii, & Projecti, & Reverendissimi, ac „ Deo amabilissimi Philippi Presbyteri, Legatorum Apusto„ licæ Sedis magnæ Romæ, iterum etiam legantur in Nesto„ rii hæretici depositione. Rursus ergo legantur ". Iis perlectis, Philippus sententiam latam a Patribus in Nestorium per

(1) Cit. loco. (2) Cit. tomo colum. 1150. (3) Cit. tomo colum. 1151. (4) Cit. tomo colum. 1154.

per hæc verba confirmavit (1): " Firmum ergo est juxta
„ omnium Ecclesiarum decretum ..... quod in ipsum pro-
„ nuntiatum est, qui impio ore, & hostili spiritu blasphemas
„ voces depromere contra Dominum Nostrum Jesum Chri-
„ stum non est veritus ". Idem per hæc verba Arcadius fe-
cit (2): " Cognoscat Nestorius se Episcopali dignitate exu-
„ tum, atque a tota Ecclesia, & communione omnium Sa-
„ cerdotum alienum esse ". Projectus vero (3). " Propterea
„ & ego quoque (inquit) auctoritate legationis Apostolicæ
„ Sedis, una cum fratribus sententiæ exequutor existens,
„ definio memoratum Nestorium veritatis inimicum, fidei-
„ que corruptorem, tamquam iis, de quibus accusatus est,
„ obnoxium, a gradu Episcopalis honoris, & ab omnium
„ præterea Sacerdotum Orthodoxorum communione remo-
„ tum esse ". Hisce peractis, Cyrillus Alexandriæ Episcopus
petiit, ut eorum, quæ illa die, & antecedenti gesta fuerant;
commentaria Actis præcedentibus connecterentur, atque
subscribenda offerrentur Legatis Apostolicæ Sedis, ut de
consensione illorum cum Patribus Synodi constaret (4):
„ Quare (inquit) quum ea, quæ a Cælestino Sanctissimo,
„ Deoque dilectissimo Episcopo dicta jam fuerant, exequu-
„ ti sint, (Legati Apostolicæ Sedis) sanctæque Synodi, quæ
„ in hac Ephesiorum Metropoli convenit, sententiæ contra
„ hæreticum Nestorium latæ adstipulati sint; consequens est,
„ ut eorum, quæ hesterno, hodiernoque die acta sunt, com-
„ mentarii superioribus Actis attexantur, ipsorumque pieta-
„ ti offerantur, quo propria obsignatione, ut moris est, pla-
„ nam faciant, & manifestam cum omnibus nobis canoni-
„ cam assensionem ". Quod sane præstitum fuit. Hæc vero
si non ostendunt, Synodi Ephesini decretum contra Nesto-
rium a Cælestino per suos Legatos confirmatum fuisse, atque
ita quidem, ut illud ab hujusmodi confirmatione suum ulti-
mum complementum acceperit, non video sane, quidnam
tandem ad rem aliquam certam ostendendam afferri possit.

X 2 1. Le-

(1) Cit. tomo colum. 1155. (2) Cit. tomo colum. 1158.
(3) Cit. colum. (4) Cit. colum.

1. Legati, quæ ante suum adventum gesta fuerant, ut illa confirmarent, sibi exponi petierunt. 2. Petitionem eorum Theodorus Episcopus Ancyranus coram omnibus Patribus, & eorum nemine reclamante, justam esse pronuntiavit, illudque simul cavendum censuit, ut Synodi Actioni etiam hoc insereretur, quod illis satisfactum esset. 3. Legati quum rogati essent, quid de iis sentirent, quæ in depositione Nestorii peracta fuerant; omnia illa *canonice*, *& ex Ecclesiastica disciplina judicata* fuisse definierunt. 4. Quum illud quoque Legati petiissent a Patribus, ut quæ antequam ipsi advenirent in Synodo lecta fuerant, coram se quoque legerentur, ut suam eis confirmationem adjungerent, Memnon Episcopus Ephesiorum, nemine Patrum reclamante, in id consentit. 5. Tandem a Legatis sententia condemnationis, quam Patres in Nestorium tulerant, rata habita fuit, atque, considentibus Patribus, iidem edixerunt, Nestorium & a gradu Episcopalis honoris esse dejectum, & omnium Sacerdotum Orthodoxorum communione privatum. Hæc autem quod volumus, tam manifeste ostendunt, ut quamvis alia in eamdem rem afferre in medium possemus; omnino tamen ab eis supersedendum esse censeamus.

§. XXIV. Bossuetius frustra contendit ostendere Synodum Ephesinam, Œcumenicam III., a Sede Apostolica confirmatam non fuisse.

Defensionis &c. lib. 8., alias 13., cap. 3. quamvis fateatur, quæ hac in Synodo Actione I. gesta legimus, confirmata fuisse a Legatis Apostolicæ Sedis; tamen confirmationem eorum in quadam *consensione* reponendam esse contendit. Hæc vero, ut quod vult, suadeat, deinde superaddit: " Ephesini „ Patres mittunt rei gestæ relationem ad Cælestinum, nulla „ unquam confirmationis petitæ mentione. Ita vero respon„ det Cælestinus, ut se nihil amplius de eo negotio desidera„ re significet, quum id tantum agat, ut de plena rei exequu„ tione Patribus gratuletur ".

At vero hic Præsul affirmat, non vero ostendit, confirmationem Legatorum in quadam consensione, & quidem

dem simplici, uti ipse putat, reponendam esse. Nam ille quoque in aliena decreta consentit, qui sua auctoritate ea confirmat; verum hujusmodi consensio non est simplex, qua tam inferior superiori, quam superior inferiori assentitur; sed rei, in quam quispiam assentitur, auctoritatem, firmitatemque tribuit. Talem autem consensionem fuisse Legatorum, quamque eorum tantum propriam esse, qui sua auctoritate firmant, atque muniunt, quæ ab aliis statuta fuere, evidenter ostendunt, quæ modo superius disseruimus. Ex iis enim constat, Legatos Apostolicæ Sedis auctoritate sibi a Cœlestino demandata, quæ gesta erant a Patribus, suo judicio confirmasse, atque sententiæ latæ a Patribus suam adjecisse, publice decernentes coram eis, Nestorium & a gradu Episcopalis honoris dejectum esse, & omnium Sacerdotum Orthodoxorum communione privatum. Hæc vero omnia ostendunt, confirmationem Legatorum non in quadam simplici assensione, sicuti Bossuetius vellet, sed in hujusmodi assensione reponendam esse, qua judex superior sua auctoritate, atque potestate confirmat, quæ ab inferiori decreta fuerint. Id autem magis magisque confirmatur, si advertamus, Cælestinum de eo quoque suos Legatos monuisse (1), ut *Sedis Apostolicæ Auctoritatem* tuerentur, & *ad disceptationem si ventum* fuisset; *de eorum sententiis judicare* deberent, *non subire certamen*. Quapropter ita paucis: Summus Pontifex Cælestinus munus judicis hoc toto in negotio suis Legatis commisit: Legati illud diligenter exequuti fuere, atque in persona judicum ultimam sententiam tulerunt de iis, quæ a Patribus jam definita erant: ergo quum Summus Pontifex etiam per suos Legatos Œcumenicorum decreta Conciliorum confirmet, nullus subesse potest dubitandi locus, quin decreta Ephesini Concilii confirmaverit (2).

Mirandum ergo non est, si in ea *Relatione*, quam Patres, peracta Actione V., ad Cælestinum miserunt, nullo modo ab eo petiere, ut confirmaret, quæ ipsi decreverant. Nam (3) *coacti*

(1) In Commonitorio tomo cit. colum. 560. (2) Hujus cap. §. 20.
(3) Tom. 3. Concil. edit. Venet. colum. 1078.

coacti per sacros Canones, *& epistolam Cælestini* sententiam condemnationis in Nestorium protulerant, latamque ab iisdem sententiam Legati Apostolicæ Sedis tenentes Cælestini locum, agentesque personam judicis, confirmaverant. Non erat ergo, cur alteram Cælestini confirmationem requirerent. Multo erat minus, cur Cælestinus in sua epistola, quam, Synodo peracta, ad Patres dedit, novam confirmationem superadderet, sed suam in eo totam operam recte posuit, ut cum Synodi Patribus adgratularetur, quod fortes in vera confessione fidei errorem profligassent. Ex his vero constat, Febronium *De Statu Ecclesiæ &c.* cap.6. *De Concil. Gener.* §.5. num.3. falso putasse, suæ sententiæ, quam cum Bossuetio tuetur, illud favere, quod Synodi Patres nullam confirmationem a Summo Pontifice petierint, atque etiam Cardinali Orsio præter omnem rationem objecisse, quod ex auctoritate Commonitorii Cælestini Papæ ad suos Legatos, *argumentum pro absoluta Romani Pontificis potestate in hoc Concilio exercita* frustra collegerit.

Neque est, cur Bossuetius illud commemoret, de Charisio Presbytero, ac Messalianis condemnatis nullam mentionem fieri *in sacra Synodi*, *ac Cælestini mutuis epistolis*. Nam utrum Charisius a Synodo damnatus fuerit, merito dubitari potest, quemadmodum etiam ipsius Bossuetii Adnotator in editione Amstelodamensi an. 1745. animadvertit. Quod vero spectat ad Messalianos Actione VII. Patres nihil aliud contra eos decreverunt, quam ut *solida* haberentur, quæ *in Alexandria acta* fuerant. De utroque ergo non erat, cur ad Cælestinum scriberent: & quamvis esset, cur scriberent, ex eo quod id facere omiserint, inde non consequeretur, ut quod Legati Cælestini auctoritate in Concilio revera gesserunt, nullo modo gesserint.

Ceterum si quid Patres decreverunt, de quo neque a Cælestino antea quæsiverant, neque aliquid a Legatis nosse poterant, quia de eo nullam isti instructionem a Cælestino acceperant, & de sententia a se lata Cælestinum certiorem fecerunt, & eam judicio illius subjecere. Nam quoniam de

tur-

turbis per Joannem Antiochenum, & Episcopos Orientales præter expectationem omnium concitatis, Legati nihil a Cælestino sibi constitutum habebant, atque Patres, ab eodem Cælestino intelligere non potuerant, qua ratione contra Joannem, & Orientales Episcopos agendum esset, Actione V. suum judicium de Joanne, & Orientalibus ad Cælestinum retulere, ejusque senténtiæ per hæc verba subjecerunt (1): „ Indignitate itaque rei commoti, ejusmodi in illum, & in „ alios sententiam legitime proferre deliberavimus, cujus„ modi ille tulerat illegitime contra eos, qui de nullo crimi„ ne condemnati fuerant. Verum, quo illius temeritatem „ longanimitate vinceremus, etiamsi illam justissime legitime„ que subivisset, pietatis tuæ judicio hoc reservavimus ".

§. XXV. Constat etiam ex Concilio Chalcedonensi, Œcumenico IV., id juris confirmandi decreta Conciliorum Œcumenicorum, quale nos contendimus, esse penes Summum Pontificem.

Hic de eo a nobis disputandum non est, utrum S. Leo omnes Canones Concilii Chalcedonensis, uno 28. excepto, probaverit, aut tacita consensione admiserit, sicuti inter alios Natalis ab Alexandro in *Histor. Ecclesiast.* seculi 5. *Dissert.* 15. art. 4. contendit; an vero 9., 17., & 28. solummodo Canonem reprobaverit, nullum vero de ceteris aliis judicium tulerit, uti Christianus Lupus in *Dissertat. de Synodo Chalcedonensi* cap. 4. contendit in tomo 2. *Synodorum Generalium &c.* Nam S. Leonem conceptis verbis confirmasse, quæ de fide in Synodo Chalcedonensi definita fuerunt, ad rem nostram sufficit. Hoc vero est, quod nunc ostendendum aggredimur. Atque illud quidem primo animadvertendum esse puto, S. Leonem in epistola data ad Patres hujus Concilii, quando adhuc Nicææ morabantur, quod ab eis constituendum erat, uti rem certam a se antea definitam proposuisse (2). " Unde, (inquit) Fratres charissimi, rejecta penitus „ audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, va-

„ na

(1) Cit. tomo colum. 1194. (2) Epistola 73. juxta editionem Cacciarii.

„ na errantium infidelitas conquiescat ; nec liceat defendi,
„ quod non liceat credi ; quum secundum Evangelicas au-
„ ctoritates, secundum Propheticas voces, Apostolicamque
„ doctrinam, plenissime, & lucidissime per litteras, quas ad
„ sætæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit de-
„ claratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis Domini
„ Nostri Jesu Christi pia, & sincera confessio ". Qui autem alicui coetui jus determinandi habet, quod, uti rem certam, utpote a se antea definitam, sequatur; confirmandi quoque jus habere debet, & sua auctoritate roborandi, quod ab eodem coetu constitutum fuerit. Hoc autem jure S. Leonem usum fuisse in confirmanda definitione fidei edita a Chalcedonensibus Patribus, ea epistola dubitare non sinit, quam, Synodo peracta, dedit ad eosdem Patres. Ita ergo in ea habet (1) : " Ne ergo per malignos interpretes dubitabile vi-
„ deatur, utrum quæ in Synodo Chalcedonensi per unanimi-
„ tatem vestram de fide statuta sunt, approbem ; hæc ad
„ omnes fratres, & Coepiscopos nostros, qui prædicto Con-
„ cilio interfuerunt, scripta direxi, quæ gloriosissimus, &
„ clementissimus Princeps, sicut poposci, in notitiam vestram
„ mittere pro Catholicæ fidei amore dignabitur; ut & frater-
„ na universitas, & omnium Fidelium corda cognoscant,
„ me non solum per fratres, qui vicem meam exequuti sunt,
„ sed etiam per approbationem gestorum Synodalium pro-
„ priam vobiscum iniisse sententiam in sola videlicet fidei
„ causa (quod sæpe dicendum est) propter quam generale
„ Concilium, & ex præcepto Christianorum Principum, &
„ ex consensu Apostolicæ Sedis placuit congregari ". Hinc est etiam, ut in epistola ad Maximum Episcopum Antiochenum (2) se rescindere declaraverit, quod ad fidem non spectans etiam a suis Legatis in Concilio gestum fuerat : " Si
„ quid sane ab his fratribus (inquit) quos ad sanctam Syno-
„ dum vice mea misi, præter id, quod ad causam fidei per-
„ tinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus fir-
„ mi-

(1) Epistola 89. juxta eamdem editionem. (2) Epistola 94. juxta eamdem editionem.

„ mitatis : quia ad hoc tantum ab Apostolica Sede directi „ sunt, ut, excussis hæresibus, Catholicæ essent fidei defen- „ sores “. Quibus verbis a sui judicii auctoritate pendere firmitatem eorum, quæ in Concilio decreta forent, Sanctissimus Pontifex evidentissime præsefert. His omnibus accedit, Patres Concilii in sua *Relatione* ad Leonem, eum rogasse, ut suo judicio confirmare dignaretur eas prærogativas, quas Constantinopolitanæ Sedi ipsi detulerant (1): “ Rogamus igi- „ tur (inquiunt) & tuis decretis honora nostrum judicium, „ & sicuti nos capiti in bonis adjecimus consonantiam; sic & „ summitas tua filiis, quod decet, adimpleat “. Hoc vero est, cui suam confirmationem adjungere Leo semper renuit, uti ex ejus epistola ad Anatolium Constantinopolitanum Episcopum (2), ad Marcianum Augustum, & Pulcheriam Augustam (3), ad omnes Synodi Episcopos (4), & ad Maximum Episcopum Antiochenum (5) constat. Hisce vero omnibus desiderari argumenta luculentiora non possunt, quibus constet etiam ex Concilio Chalcedonensi, Œcumenica IV., id juris confirmandi decreta Conciliorum Œcumenicorum, quale nos contendimus, esse penes Summum Pontificem.

§. XXVI. Eam confirmationem, qua res fidei in Synodo Chalcedonensi constitutas Leo Summus Pontifex sua auctoritate roboravit, in quadam assensione positam fuisse, Bossuetius frustra probare nititur.

Defensionis &c. lib. 8., alias 13., cap. 5. tuetur, eam confirmationem, qua S. Leo fidei definitionem in Synodo Chalcedonensi editam sua auctoritate roboravit, haud aliam ab illa fuisse, quam Occidentales, peracta Synodo, adhibuerunt; quæ in quadam assensione posita fuit. Hoc, quod vult, inde adstruere contendit, quia Patres Chalcedonenses in sua *Relatione* ad Leonem nullam confirmationem petierunt (6),

 satis

(1) Tom. 4. Concil. edit. Venet. colum. 1779. (2) Epistola 81. juxta editionem Cacciarii. (3) Epist. 79. (4) Epist. 80. (5) Epistola 89 juxta eamdem editionem. (6) Id opponit etiam Febronius *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. 6. §. 5. num. 2., qui etiam ex confirmatione petita a Patribus quoad 28. Canonem contrarium colligit, ac ipsa rei veritas præsefert, sicuti jam ostendimus.

satis esse rati, " Quod Leonis epistolam prælucentem, ipsum-
" que sibi, *ut membris caput*, *præsidentem*, *ac spiritu præsen-*
" *tem*, ac pene in Legatis visum habissent ". Quum ergo
post hæc, prosequitur Bossuetius, nihil amplius desideraretur,
Imperatores, absoluto Concilio, " Statim ut re explo-
" rata, atque confecta, contentionem omnem de fide prohi-
" bent: Clerus, ac plebs in ea fide, ac Dioscori condemna-
" tione, ubique acquiescit ". Quum vero nonnulli sparsissent
in vulgus, Chalcedonensem Synodum a Leone non probari,
quia Canonem 28. ille rejecerat, hac occasione Leonem inductum,
Bossuetius animadvertit, ad confirmationem impertiendam
rebus fidei in Synodo Chalcedonensi definitis, quam
tamen nullus ab eo petierat. Istam autem confirmationem
non eo spectare arbitratur, " Ut incerta firmentur, sed ut
" certa, summaque, & indeclinabili auctoritate facta, ma-
" gis magisque asserantur, & inculcentur "; indeque illam
ejusdem rationis facit, ac ea fuerit, quam Occidentales adhibuerunt.

Verum illud a Bossuetio nos modo quærimus, qua de causa nullam eorum quæ contra Eutychetem definierant, Patres Chalcedonenses a Leone confirmationem petierint, confirmati autem ab eo illam prærogativam postulaverint, quam Patriarchæ Constantinopolitano ipsi detulerant. Hujus rei rationem ipsi Patres per se produnt. Nam de Eutychetis causa dum agerent, Leo *B. Petri* illis erat *constitutus interpres*: Leone ut *inchoatore bonorum ad utilitatem utentes Ecclesiæ filiis hæreditatem*, *sortemque veritatis* ostendebant: *per litteras Leonis* Christus præparaverat *illis invitatis spirituales delicias*: Leo *sicut membris caput* illis præerat in iis, qui *ejus ordinem tenebant*: Leo *præsens spiritu* fuerat (1). Hæc ergo omnia quum in sua ad Leonem *Relatione* Patres habeant, inque ea protestentur, sibi illum præsedisse, sicut caput membris præest, spirituque sibi præsentem fuisse in iis, qui ordinem ejus tenebant; non erat profecto, cur ulteriorem de fidei decretis a se editis confirmationem ab eo peterent. Dum enim quispiam omnino sequi-

(1) Tom. 4. Concil. edit. Venet. colum. 1775.

ſequitur ; quod ſibi a ſuperiori poteſtate conſtitutum , quodque eſt etiam confirmatum auctoritate ejus poteſtatis , quæ illius ſuperioris vicem gerit , fruſtra alteram confirmationem ab eadem poteſtate quærit . Quia vero Patres & nullum a Leone præceptum habebant , ut ſecundum Conſtantinopolitano Patriarchæ locum darent , atque hoc dum ſtatuerunt , Legatos Apoſtolicæ Sedis ſibi repugnantes experti fuere ; ideo in eadem Relatione Leonem rogarunt , ut confirmare dignaretur in favorem Patriarchæ Conſtantinopolitani illum gradum honoris , quem eidem ipſi tribuerant . Dum ergo quæ ſunt a Pontifice antea ſibi conſtituta , & per ejus Legatos confirmata , ipſi poſtea illius auctoritate ducti decernunt ; ulteriorem a Pontifice confirmationem non requirunt : neque enim erat, cur requirerent : dum vero ipſi ſua auctoritate ſecundum inter ceteros Patriarchæ Conſtantinopolitano locum tribuendum conſtituunt ; hujus rei confirmationem a Summo Pontifice petunt . Ex ipſa ergo ratione , ob quam Patres de fidei definitione a ſe facta nullam a Summo Pontifice confirmationem petierunt , ab eodem autem confirmari rogarunt eam prærogativam , quam Conſtantinopolitano Patriarchæ tribuerant , eſſe unicuique perſpectum poteſt , Patres exiſtimaſſe , Supremo judicio Summi Pontificis , cuncta , quæ ipſi ſimul congregati decernerent , ſubjecta eſſe debere .

Quod autem , peracto Concilio , ſententiæ illius omnes acquieverint , nihilque ultra expectandum eſſe putaverint , non eſt , cur Boſſuetius opponat . Ea enim de definitione Concilii agebatur , quæ non tam Concilii , quam Summi Pontificis erat , quum in ea Patres B. Petri interpretem ſequuti eſſent . Quapropter ſicut ob hanc cauſam nulla ratio fuit , cur Patres Concilii de fidei definitione alteram confirmationem a Leone poſtularent ; ita multo minus omnes alii eamdem a Leone confirmationem expectare debebant .

Ex eo tamen quod Boſſuetius commemorat , certo colligitur , omnibus perſuaſum fuiſſe , decreta Œcumenici Concilii a Summo Pontifice confirmari oportere . Nam mentionem facit , nonnullos ſparſiſſe in vulgus Synodum Chalcedonen-

ſem a Leone non probari, quia ejus 28. Canonem ille rejecerat. Niſi enim certum fuiſſet apud omnes decreta Œcumenici Concilii a Summo Pontifice probari, & confirmari debere, fruſtra, & irrito prorſus conatu, ſicuti etiam Cl. Orſius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib. 2. cap. 5. art. unico animadvertit, Chalcedonenſi Concilio defectum Apoſtolicæ confirmationis ipſius hoſtes objeciſſent.

Ea quidem ratione S. Leo ductus fuit ad confirmandam fidei definitionem in Synodo Chalcedonenſi editam, quia nonnulli in vulgus ſparſerant, totam ab ea Synodum reprobari, idque inde effutierant, quia 28. Canonem ejus rejecerat. At S. Leo hoc dum fecit, tradidit, ſe per ſuos Legatos, in ſola tamen cauſa fidei, approbaſſe, & confirmaſſe, quod in Synodo Chalcedonenſi definitum fuerat (1). " Ne ergo (inquit) per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum, quæ in Synodo Chalcedonenſi per unanimitatem veſtram de fide ſtatuta ſunt, approbem, hæc ad omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros, qui prædicto Concilio interfuerunt, ſcripta direxi ..... ut omnium Fidelium corda cognoſcant, me non ſolum per fratres, qui vicem meam exequuti ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium, propriam vobiſcum iniiſſe ſententiam in ſola videlicet fidei cauſa ". Falſum eſt autem, S. Leonem hujuſmodi confirmationem *etiam non petitam*, ſicuti Boſſuetius affirmat, miſiſſe. De ea enim ipſum Marcianus in hunc modum rogaverat (2): " Idcirco pietas tua emittere litteras dignetur, queis omnes & Eccleſiæ, & populi cognoſcant, acta Synodi a Beatitudine tua approbari ". Et in fine epiſtolæ: " Quapropter veneranda dignitas tua iſtud quam primum per litteras ubique ſignificet, quibus pleniſſime oſtendat, Synodum Chalcedonenſem te ratam habere, ne diſſidiorum, diſcordiarumque cupidis de judicio Sanctitatis tuæ ulla relinquatur ſuſpicio ". Marciani petitioni S. Leo ſatisfecit, atque hæc ad eum ſcripſit, quibus magis magiſque ſemper conſtat, eſſe

(1) Epiſtola 89. juxta editionem Cacciarii. (2) Juxta eamdem editionem poſt epiſt. 90. S. Leonis.

esse a se jam confirmatam definitionem fidei in Synodo etiam S. Leonem professum fuisse (1): " Quum vestro (inquit) præcipuo opere effectum sit, ut per Synodale Concilium, damnatis impii dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegus error amitteret; ad ejusdem devotionis pertinet palmam, si malum, quod in suis ducibus est oppressum, etiam in quibuscumque reliquiis deleatur. Quod facilius clementia vestra arbitratur implendum, si per universas Ecclesias definitiones sanctæ Synodus Chalcedonensis Apostolicæ Sedi placuisse doceantur. De quo quidem ratio non fuit ambigendi, quum ei fidei omnium subscribendo consensus accesserit, quæ a me secundum formam Apostolicæ doctrinæ, ac paternæ traditionis emissa est..... Quia vero omnibus modis obediendum est pietati vestræ, religiosissimæque voluntati, constitutionibus Synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei Catholicæ, & hæreticorum damnatione placuerunt, lubens adjeci sententiam meam: quæ ut in notitiam omnium Sacerdotum Ecclesiarumque perveniat, vestræ clementiæ præceptio ordinare dignabitur ".

Hac autem occasione S. Leonem confirmasse, quæ *certa, summa, & indeclinabili auctoritate* facta fuerant, Bossuetio assentimur, quamvis in ea ratione cum ipso non conveniamus, ob quam *certa, summa, & indeclinabili auctoritate* facta fuisse, censeri debet. Ea enim erant *certa, summa, & indeclinabili auctoritate* facta, tum quia Patres in iis condendis Romano Pontifici, veluti membra capiti, adhæserant, ejusque Catholicæ fidei formulam expresserant, tum quia S. Leo per fratres, qui vicem ejus exequuti fuerant, gesta Synodalia spectantia ad fidem jam probaverat. Unde certam, summam, & indeclinabilem auctoritatem ex Supremo Ecclesiæ capite, prout debet, nos repetimus, Bossuetius autem, contra ac etiam ipsa ratio suadet, ex membris.

Confirmationem autem a S. Leone adhibitam fuisse ejusdem generis, ac alteram, quam, peracta Synodo, Episcopi

(1) Juxta eamdem editionem epist. 91.

ſcopi Occidentales adhibuerunt, qua tandem ratione Boſſuetius affirmare potuit, ſi S. Leo ille fuit, qui Patribus regulam decretorum dedit, quid ab eis definiendum erat, præſcripſit, eum Patres, uti ſuum caput, ſequuti fuere? Si Marcianus, ut alia omittamus, ad tuendam auctoritatem Synodi Chalcedonenſis, omniaque diſſidia comprimenda a S. Leone petiit, ut Synodus ab eo confirmaretur, datis in hanc rem litteris ſingularibus, quæ quidem juxta mandatum S. Leonis in notitiam omnium Sacerdotum, atque Eccleſiarum deducendæ erant? Anne quid ſimile in eam confirmationem cadit, qua Epiſcopi Occidentales ſicuti legitur in epiſtola Agapiti ad Leonem Imperatorem (1) Patribus Chalcedonenſibus ſeſe aſſentiri declararunt? Suæ quidem conſenſionis, uti par erat, certa quidem argumenta in ea præbent, auctoritatis vero ejus, qua hoc toto in negotio S. Leo uſus fuit, omnino nulla.

§. XXVII. Eſt perſpectum etiam ex Synodo Œcumenica VI., Conſtantinopolitana III., de eo jure confirmandi Œcumenica Concilia, quod nos Summo Pontifici tribuendum eſſe tuemur.

De V. Œcumenica Synodo non eſt, cur modo verba faciamus: eam ſiquidem, ſi in ſe ipſa ſpectetur, Œcumenicam non fuiſſe, ſed confirmatione Romanorum Pontificum talem ſubinde habitam fuiſſe, eſt jam oſtenſum a nobis (2). Peracta itaque Synodo VI., de ea *Synodicam Relationem* ad Agathonem Summum Pontificem Patres dederunt, eamque una cum Synodi actis Summo Pontifici reddendam Legatis tradidere, atque illum, quæ a ſe decreta eſſent, ut confirmaret, hiſce verbis rogarunt (3): " Orthodoxæ autem fidei ſplendi-
" dam lucem vobiſcum clare prædicavimus: quam ut iterum
" per honorabilia veſtra ſcripta confirmetis, veſtram oramus
" Paternam Sanctitatem ". Quod ergo una vice jam confirmata a Summo Pontifice fuiſſent, quæ ipſi ſimul congregati decreverant, Patres contenti non fuerunt, ſed etiam voluere, ut *per honorabilia ſcripta ejus* iterum confirmarentur. Eſſe autem jam

(1) To.4. Concil. edit. Venet. col. 189. (2) Hujus lib. cap. 1. §. 10.
(3) Tom. 7. Concil. edit. Venet. colum. 1109.

jam confirmata a Summo Pontifice, quæ ipsi petebant, ut confirmarentur, inde recte deducebant, quia Summus Pontifex suos Legatos ad Concilium miserat, qui a se una cum Occidentalibus Episcopis definita, *ut certa, atque immutabilia compendiosa definitione proferre* deberent, atque jam ex illo tempore Summus Pontifex declaraverat, *ut consacerdotes, ut comministros ejusdem fidei, ut spirituales fratres, ut Coepiscopos* se suscipere eos, qui amplecterentur, quæ ipse definiisset; contra vero alios, qui id facere renuerent, *ut infestos Catholicæ, atque Apostolicæ confessioni* se habere (1). Œcumenici autem VI. Concilii Patres *orthodoxæ fidei splendidam lucem* cum Agathone *prædicaverant*, quatenus *fautorem, & Divini Sacramenti mysterium illustrantem per litteras* in suis definitionibus eum sequuti fuerant, easdemque litteras receperant, *ut a Summo Apostolorum vertice divine præscriptas, per quas exortam nuper multiplicis erroris sectam depulerant*, atque *anathematibus interfecerant ex sententia per sacras Litteras ejus de iis prius lata Theodorum Episcopum Pharan &c.* (2) Nullus sane, hisce semel positis, erat dubitandi locus, quin auctoritate Summi Pontificis jam confirmata forent, quæ Patres decreverant: ipsi tamen in argumentum suæ subjectionis erga Supremum Ecclesiæ Caput alteram de iisdem ab eo confirmationem postularunt.

Contigit mors Agathonis, dum Legati, qui litteras ei reddendas receperant, ob varia negotia in aula Imperatoris adhuc morarentur, ac propterea confirmationem, quam petierant, ab eo Patres obtinere non potuerunt. Attamen postea perlato nuntio Constantinopolim de inauguratione Leonis II. ad Summum Pontificatum, tunc Constantinus epistola ad ipsum data per Legatos deferenda, eumdem rogavit, ut confirmaret, quæ in Concilio gesta fuissent. Id statim præstitit Leo II., atque in hunc modum Synodi dectetis suam confirmationem adjecit (3): " Igitur gestorum Synodalium seriem „ recensentes, curiosaque diligentia singula, quæ gesta sunt, „ flagitantes, eadem, quæ Apostolicæ Sedis Legati narrave- „ runt,

(1) Vide loca hujus libri cap. 2. §. 20. (2) Vide cit. §. cae. 2.
(3) Tom. 8. Concil. edit. Venet. colum. 1151.

„ runt, scriptis consonantibus convenire reperimus. Co-
„ gnovimus enim, quod sancta, & universalis, & sexta Sy-
„ nodus eadem, quæ universa Synodus sanctæ, & Apostoli-
„ cæ huic Sedi adjacens senserit, atque decreverit sub or-
„ thodoxæ fidei integritate, regulisque majorum, atque
„ concorditer nobis confessa est, unum esse de Trinitate
„ Christum..... Per quæ revera probavimus, hanc sextam
„ Synodum Apostolicam prædicationem inoffenso pede fuisse
„ sequutam, sanctorumque, & universalium quinque Con-
„ ciliorum definitionibus in omnibus consentientem". Et
infra: " Hanc rectæ, & Apostolicæ traditionis normam præ-
„ decessor meus Agatho cum sua Synodo prædicavit: hanc
„ scriptis percurrentibus in suæ suggestionis pagina vestræ
„ pietati per suos Legatos misit ..... quam sancta Synodus
„ suscepit, & nobiscum amplexa est..... Idcirco & nos, &
„ per nostrum officium hæc veneranda Sedes Apostolica, con-
„ corditer, & unanimiter his, quæ definita sunt ab ea, con-
„ sentit, & B. Petri auctoritate confirmat, sicut supra soli-
„ dam petram, qui Christus est, ab ipso Domino adeptis fir-
„ mitatem. Propterea sicut suscepimus, atque firmiter præ-
„ dicamus sancta quinque universalia Concilia, Nicænum,
„ Constantinopolitanum, Ephesinum I., Chalcedonense, &
„ Constantinopolitanum; quæ omnis Christi Ecclesia appro-
„ bat, & sequitur: ita & quod nuper in regia urbe pio vestræ
„ serenitatis annisu celebratum est, sanctum sextum Con-
„ cilium, ut eorum pedissequum, & ea interpretans, pari
„ veneratione, atque censura suscipimus, & hoc cum eis
„ digne connumerari, tamqûam una, & æquali Dei gratia
„ congregatum decernimus: & qui in eo convenerunt Chri-
„ sti Ecclesiæ Sacerdotes, inter Sanctos Ecclesiæ Patres, at-
„ que Doctores adscribendos æque censemus". Non poterat
sane Leo II. majori efficacia verborum sua auctoritate con-
firmare, quæ Patres decreverant: majorem quoque solli-
citudinem de hac confirmatione Patres gerere non poterant.
Tam vero ab illo, quam ab istis ejus quidem confirmationis
habitam fuisse rationem, quæ vim, firmitatemque decreto-
rum

rum respiceret, etiam me tacente, nemo non videt. Est ergo perspectum etiam ex Synodo Œcumenica VI., Constantinopolitana III., de eo jure confirmandi Œcumenica Concilia, quod nos Summo Pontifici tribuendum esse tuemur.

§. XXVIII. Bossuetius præter historiæ veritatem contendit, Synodum VI. ea confirmatione, quam nos tuemur, a Summo Pontifice roboratam non fuisse.

Defensionis &c. lib. 8., alias 13., cap. 6. & ipse quoque concedit, V. Synodum, si in se ipsa spectetur, Œcumenicam non fuisse; *consensione* vero *Occidentalis Ecclesiæ, ac Sedis Apostolicæ approbatione, pro Synodo Œcumenica valuisse* tradit. In quo sane ei consentimus, dummodo eam pro Œcumenica inde primum valuisse concedat, quia ab Apostolica Sede probata fuit. Nam intra eumdem annum, quo habita fuit, eam Vigilius approbavit (1). Eodem in capite Bossuetius ad quamdam consensionem revocat eam confirmationem, qua Leo II. Synodi VI. definitiones firmavit. Observat ergo ipse, fidei definitionem semel editam, & Patrum Imperatorisque subscriptione signatam Actione VIII. missam fuisse ad quinque Sedes Patriarchales, utpote *quæ certissima auctoritate constaret*. In eadem autem Actione Patres, in sua observatione Bossuetius ultra pergit, ad Agathonem Papam Relationem mittunt, in qua quidem illud asserunt: " Se Spiritu Sancto illustratos, & „ Agathonis doctrina institutos, infesta dogmata depulisse "; subdunt tamen: " Et corde nos, & lingua, & manu convenientes, omnis erroris expertem, certamque, nec fallentem definitionem vivifici spiritus ope edidimus ". Argumento autem esse hæc omnia debent, inquit Bossuetius, Patres existimasse, " Satis illustratam, roboratam, confirmatam fidem, quam ipsi tradidissent, & ad inculcationem majorem pertinere eam, quam postulabant, confirmationem novam ". Hinc factum autumat, ut Imperator decreta Synodi, non expectata responsione Apostolicæ Sedis, exequutioni mandari præceperit, & confirmationem, qua postea Leo II. decreta Synodi roboravit, pro quadam con-

(1) Vide quæ hac re disseruimus hujus lib. cap. 1. §. 10.

ſenſione habendam dicit. Poſtremo illud a ſe omittendum non eſſe tradit, Macarium Epiſcopum Antiochenum ob hæreſim a Synodo depoſitum, non propterea, ſicut nonnulli dicunt, ad Sedem Apoſtolicam miſſum fuiſſe, ut apud eam, ſicuti Concilio ſuperiorem, illius cauſa iterum ageretur, ſed ut Sedes Apoſtolica in recta fide illum inſtitueret, vel pœnitentem abſolveret, ſicuti ex litteris Leonis, & Imperatoris conſtare contendit.

Boſſuetii obſervationes nunc expendamus. Mirandum ergo non eſt, definitionem fidei, ſemel ac edita fuit, & Patrum, ac Imperatoris ſubſcriptione ſignata, ad quinque Sedes Patriarchales miſſam fuiſſe: illa namque, ut inquit Boſſuetius, *certiſſima auctoritate* conſtabat, quia Patres, & quidem jure merito, tenuerunt, uti paulo ante oſtendimus (1), auctoritate Summi Pontificis eam confirmatam eſſe, indeque *ut iterum per honorabilia ſcripta* eamdem comprobaret, Summum Pontificem deprecati fuere.

Satis quidem *illuſtratam*, *roboratam*, atque *confirmatam* eam fidem, quam ediderant, Patres eſſe putabant: verum itane fortaſſe arbitrabantur de ſuo judicio confiſi, & non potius quia per litteras Agathonis, *ut a ſummo Apoſtolorum vertice perſcriptas exortam nuper multiplicis erroris hæreticam ſectam* depulerant (2)? Hinc Patres in ſermone Proſphonetico ad Imperatorem (3) " Proinde (inquiunt) inſpiratione Sancti „ Spiritus conſpirantes, & Agathonis ſanctiſſimi Patris no„ ſtri, & Summi Papæ dogmaticis litteris ad veſtram fortitu„ dinem miſſis conſentientes, nec non & ſuggeſtioni ſanctæ, „ quæ ſub eo eſt Synodi CXXV. Patrum concordantes, unum „ de Sancta Trinitate Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum „ etiam incarnatum prædicamus in duabus naturis indiviſe, „ inconfuſe laudandum ". Poſt hæc autem affirmant, ſucceſſorem Principis Apoſtolorum ſe habuiſſe *fautorem*, *& Divini Sacramenti myſterium illuſtrantem per litteras*. Ad eam ergo fidem, quæ ab Agathone ibi manifeſtata, & conſtituta fuerat,

(1) Super. §. (2) Vide locum hujus libri cap. 2. §. 21. (3) Tom. 7. Concil. edit. Venet. colum. 1086.

rat, ſuam Patres expreſſiſſe affirmant: Agathonem Divini Sacramenti myſterium ſibi illuſtraſſe profitentur: litteras ejus ut a Summo Apoſtolorum vertice divine ſcriptas agnoſcunt. Per hoc ergo *ſatis illuſtratam*, *roboratam*, atque *confirmatam* eſſe ſuam fidem Patres tenuerunt, quia doctrinæ Agathonis innixa erat, & ab ea profluxerat, Agathoniſque auctoritate confirmata erat. Quare *ad inculcationem majorem*, ſeu ad *novam approbationem*, uti *De Statu Eccleſiæ* cap. 6. *De Conciliis Generalibus* §. 5. num. 2. Febronius contendit, pertinebat ea nova confirmatio, quam petebant, quatenus id, quod Summi Pontificis auctoritate præeunte, atque confirmante, conſtitutum fuerat, ejuſdem Summi Pontificis auctoritate iterum confirmari exorabant.

Qua vero ratione Patres, eadem etiam Imperator ſibi perſuaſum habuit, fidei definitionem, quæ in Concilio edita fuerat, non tam Concilii eſſe, quam Agathonis. Id enim noſſe neceſſario debebat tum ex litteris, quas Agatho ad ipſum dederat, tum ex ſermone Proſphonetico Patrum, quem ad illum, peracta Synodo, habuerunt (1). Unde mirandum non eſt, ſi Imperator, non expectato reſponſo Apoſtolicæ Sedis, curavit, ut Synodi decreta exequutioni mandari inciperent.

A Leone autem II. decreta Synodi VI. ita confirmata fuiſſe, ut nullus dubitandi locus ſuperſit, quin auctoritatem, & robur, non vero ſimplicem aſſenſionem ſua confirmatione iiſdem decretis adjecerit, modo oſtendimus (2). Unde non video ſane quomodo Boſſuetius ad quamdam ſimplicem aſſenſionem referri velit hujuſmodi confirmationem Leonis II.

Miſſum Macarium Antiochenum Epiſcopum a Synodo jam depoſitum Romam fuiſſe, non quidem, ut Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjiceretur, ejuſque cauſa Romæ iterum ageretur, ſed ut errans inſtrui, & pœnitens abſolvi poſſet, ex litteris Imperatoris, & Leonis compertum eſſe, Boſſuetius confidenter affirmat: “ Quod (inquit) adeo clarum eſt ex Impe-

Z 2 „ rato-

(1) Utrumque hac de re locum vide hujus libri cap. 2. §. 21.
(2) Superiori §.

„ ratoris, & Leonis litteris, ut his immorari pudeat“. Itane vero? Hæc ſane Imperator de Macario ad Leonem habet (1): “ Sanctum, & univerſale Concilium inſanum Macarium cum illius hæreſeos ſociis Pontificali habitu nudavit. Omnes vero, ſcriptis precibus, ſerenitatem noſtram precati ſunt, ut eos ad veſtram Beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eoſque ad vos miſimus, veſtro Paterno judicio omnem ipſorum cauſam permittentes“. Dum vero alicujus rei jam condemnati cauſa alterius *judicio* permittitur, in arbitrio ejus reponi intelligitur quidquid jam decretum fuerit. Leo autem II. in epiſtola ad Imperatorem de Macario aliiſque cum eo ſentientibus mentionem faciens, & eorum erroribus commemoratis, ait (2): “ Idcirco digne anathematis ſtylo percuſſi ſunt, & æternis vinculis colligati, pœnitere nolendo, & inſolubiliter tenentur obſtricti: ne rurſus in effrænatam præſumptionis audaciam concitati, ſuæ doctrinæ contagio quempiam fœdarent; qui etiam nunc uſque in ſua obſtinatione pervicaciter perſeverare maluerunt..... Nam quod per divalia ſcripta veſtra pietas noſtram exiguitatem commonere dignata eſt, ut ſalutari doctrina, atque orthodoxæ fidei dogmatibus imbuerentur, quatenus ad ſanæ fidei ſcientiam pervenirent, ut ægrotis, & naufragantibus circa fidem, ſedulo eis manum ſpiritualis doctrinæ porreximus, ut ad portum veritatis pertingerent“. Illud ergo Leo de Macario ſociiſque ejus primo definit, telo anathematis fuiſſe digne percuſſos, & eodem inſolubiliter obſtrictos teneri, quoniam a ſuo errore, non reſipuerant. Imperatorem deinde monet, ſedulo eis manum ſpiritualis doctrinæ ſe porrexiſſe. Quapropter Imperator, prout Patres petierant, Leonis paterno judicio Macarium cum ſociis remiſit: Leo Macarium, & ſocios telo anathematis digne percuſſos pronuntiavit, & eodem inſolubiliter teneri conſtrictos definivit. Cum his autem non pugnat, quod Leo orthodoxæ fidei dogmatibus Macarium, & ſocios imbui curaverit.

(1) Tom. 7. Concil. edit. Venet. colum. 1139. (2) Cit. tomo colum. 1155.

rit. Ex his constat non fuisse, cur Bossuetius citato loco de hoc negotio ita absolute pronuntiaret: " Macarium Antio-„ chenum..... ad Sedem Apostolicam missum, non quem-„ admodum nescio qui cavillantur, ut ejus causam tamquam „ superior retractaret, sed ut errantem instrueret, pœniten-„ ti, si forte, indulgeret: quod adeo clarum est ex Impera-„ toris, & Leonis litteris, ut his immorari pudeat ".

§. XXIX. Fidei definitionem in Synodo Œcumenica VII., Nicæna II., editam Hadrianus I. sua auctoritate probavit, atque confirmavit.

Id constat ex Hadriani I. testimonio in epistola ad Carolum Magnum, in qua non solum refutat illos, qui fidei definitioni in hoc Concilio editæ sese opponebant, sed etiam & Synodum *secundum suam ordinationem* celebratam fuisse dicit, atque ipsam Synodum se suscipere. Narrat enim in ea (1), se duos Petros misisse Constantinopolim, qui, uti ipse inquit, " Statim Concilium fieri jusserunt: sed ab hæreticis seditio-„ ne facta, in Sicilia insula missi nostri sine responso reversi „ sunt: & demum post eos mittentes, iterum Constantino-„ polim eos ascendi fecere. Et sic Synodum istam secundum „ nostram ordinationem fecerunt, & in pristino statu sacras, „ & venerandas Imagines erexerunt ". Ita factum dicit, ut hæretici sacrarum Imaginum eversores " Ad fidem orthodo-„ xam sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ reversi sint. „ Et ideo ipsam suscepimus Synodum. Nam si eam minime „ recipissemus, & ad suum vomitum erroris fuissent reversi, „ quis pro tot millium animarum Christianarum interim ha-„ buit reddere rationem ante terribile tremendum Divini Ju-„ dicii examen, nisi nos solummodo "? Affirmat ergo Hadrianus Synodum a se probatam, & confirmatam quoad definitionem cultus sacrarum Imaginum. " Id ipsum (inquit Christia-„ nus Lupus tom. 3. *Synod. General. in Differt. de VII. Synodo* „ cap. 14.) assidue successores ejus attestantur. Quod Leo IV. „ præsentem Synodum ut plene irrefragabilem, & authenti-„ cam, aliis sex Generalibus appingi in Ecclesia Vaticana „ cu-

(1) Extat tomo 8. Concil. edit. Venet. colum. 1553.

„ curarit; asserit in Benedicti III. vita Anastasius Bibliothe-„ carius".

Pro confirmatione tamen Synodi nullum adhuc responsum se Imperatori Græcorum reddidisse in eadem epistola ad Carolum Magnum testatur. Cujus rei, uti monet Christianus Lupus, " Adjungit causam agens de ablatis Romanæ Ecclesiæ „ patrimoniis, & diœcesibus: *Quæ tunc abstulerunt, quando* „ *sacras Imagines deposuerunt, & nec responsum quodlibet exinde* „ *dederunt*. Hac ergo de causa, ac item ob non relictum „ *Episcopi Universalis* nomen indignatus Hadrianus quidem „ confirmavit Synodi fidem, & restitutas sanctorum Imagi-„ nes, attamen Apostolicis litteris noluit Principes honora-„ re". Huc usque Lupus, qui etiam observat, ab Hadriano Synodi Canones fidem non respicientes confirmatos non fuisse, quia in illis quidam nævi inerant nullo sane modo confirmandi, sicuti in scholiis ad prædictos Canones ipse ostendit.

§. XXX. Synodum Œcumenicam VII. ad Hadriano non fuisse confirmatam, Bossuetius falso contendit.

Defensionis &c. lib. 8., alias 13., cap. 6. hæc habet: „ Septima Synodus, Nicæna II., nullam ab Hadriano rebus „ gestis specialem confirmationem periisse, nullam accepisse „ legitur; neque eo confirmior visa est aut Græcis, aut aliis: „ neque nostri, quum eam non susciperent, confirmationem „ defuisse causati sunt". Etiam Febronius *De Statu Ecclesiæ* cap. 6. *De Conciliis Generalibus* §. 5. num. 2. illud opponit, nullo modo probari, " Concilium ab Hadriano rogasse suorum de-„ cretorum confirmationem".

At a confirmatione petenda Patres abstinere poterant, quia *secundum ordinationem* Hadriani de colendis sacris Imaginibus decretum ediderant; quia lectis coram Synodo Hadriani epistolis tum ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, tum ad Imperatores, Patres clamaverunt: *Tota sacratissima Synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat*; quia demum in subscriptionibus nonnulli se credere potestati fuere, *sicut honorabiles litteræ sanctissimi Papæ continent*, alii *secundum litteras sanctissimi Papæ senioris Romæ Hadriani*, nonnulli demum

mum Hadriani epiſtolas *Nitidiſſimum Orthodoxiæ terminum* vocarunt. Hinc Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſtola, quam, peracta Synodo, ad Hadrianum dedit, ita habet (1): " Et quum perlatæ primitus veſtræ fraternæ Sanctitatis litteræ legerentur, præſtolabantur omnes, ſpiritualibus eduliis tamquam in regalibus cœnis fruentes, quæ Chriſtus per litteras ſuas epulantibus præparabat: & ſicut oculus totum corpus ad rectitudinis, & veritatis ſemitam oſtendebat. His itaque geſtis prædicabatur a nobis omnibus, qui beneplacito Dei congregati eramus, recta, & irreprehenſibilis confeſſio, quæ nobis miſſa eſt a vobis " (2). Fatemur autem, (ut cum Cl. Orſio loquar *De Romani Pontificis Auctoritate* lib. 2. cap. 6.) per ſe valere, & nova, ac ſpeciali confirmatione non egere, quæ ad hanc normam exacta in Conciliis Œcumenicis decernuntur ". Cum ipſo in citato lib. cap. 9. " Addimus tamen, opus eſſe aliquando clara, & diſerta Romani Pontificis confirmatione, ut contra malignos interpretes omnibus Fidelibus conſtet, Synodum & Œcumenicam, & legitimam fuiſſe, legeſque ſervaſſe, quæ in definiendo ſervandæ ſunt; ac potiſſimum eam nequaquam in ſuis decretis ab Apoſtolicæ Sedis regulis, & dogmatibus deflexiſſe ".

Quum vero *Noſtri* illi, de quibus loquitur Boſſuetius, non oppoſuerint, Synodum VII. a Summo Pontifice confirmatam non fuiſſe; id argumento eſſe debet de confirmatione Pontificis non dubitaſſe, alioquin id pro ſe in medium afferre non omiſiſſent, quod ad ſuam agendi rationem tuendam valde conducebat.

§. XXXI. Auctoritate Hadriani II. Œcumenica VIII. Synodus, Conſtantinopolitana IV., confirmata fuit.

Ea peracta, hujus Synodi Patres epiſtolam ad Hadrianum dederunt, in qua præter alia illud commemorant, Deum per *ſolertiam ejus, interventionem, & judicium, ſeu Synodicam expoſitionem, tam magnam, & univerſalem Synodum congregare* di-

(1) Tom. 4. Concil. edit. Venet. colum. 1275. (2) Vide §. 23. cap. 2. hujus libri.

dignatum fuisse, & *tantum opus ad finem prosperum perducere* (1). Ea propter ut quæ in Concilio decreverant, confirmare dignaretur, hisce eum verbis rogant: " Igitur libenter oppido, & gratanter, imitatrice Dei Sanctitate vestra, omnium " nostrum conventuum, & universalis hujus, atque Catholicæ Synodi consensum, & consonantiam recipiente, prædica eam magis, ac veluti propriam, sollicitius confirma coangelicis præceptionibus, & admonitionibus vestris, ut " per sapientissimum magisterium vestrum etiam aliis universis Ecclesiis personet, & suscipiatur veritatis verbum, & " justitiæ decretum ". Hadrianum vero II. id præstitisse, quod Patres ab eo petierant, ex illa responsione patet, quam ad epistolam ab Imperatore sibi missam dedit. Imperator itaque nomine Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani, inter alia de eo Hadrianum rogaverat, ut laicorum numero non haberentur, qui a Photio ordinati fuerant. In hunc ergo modum Hadrianus ad Imperatorem respondit (2): " Ab illis sacratissimis Constitutis, quæ vel Apostolicæ memoriæ prædecessor " noster Nicolaus ante salubriter sanxit, vel nos postea dispensatorie protulimus, nulla motione, vel mutatione discedemus, aut ad dexteram, aut ad sinistram quoquo modo declinabimus. Quæ videlicet jam dudum probavit Ecclesia, & immutilata servanda nuper gestum universale " Concilium statuit. Neque enim nobis mos est, ut paternis sanctionibus pro libitu abutamur ". Et postea: " Nihil " possumus ab eo, quod jam constitutum est, ordinare diversum, maxime de Photii consecratione. Non enim est " in nobis est, & non est. Et si quæ destruximus, eadem " reædificamus, prævaricatores legis nos esse constituemus ". Sua ergo auctoritate Hadrianus II. confirmavit, quod in VIII. Œcumenica Synodo juxta priora ejus decreta constitutum fuerat, quamvis ut contra faceret, tum Patriarcha Constantinopolitanus, tum Imperator anniterentur. Ex eo autem quod nomine Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani Imperator

(1) Tom. 10. Concil. edit. Venet. colum. 674. (2) Cit. tomo colum. 679.

tor Hadrianum rogaverit, ut eos in numero laicorum haberi non vellet, qui a Photio ordinati fuerant, certum argumentum habemus ejus auctoritatis, quam inesse in Summo Pontifice nunc tuemur. Nam ut ii in numero laicorum haberentur, Actione X. constitutum fuerat. Si ergo Imperator nomine Ignatii Patriarchæ Hadrianum rogavit, ut non pateretur eosdem haberi in numero laicorum, evidenti argumento id esse debet, utrique persuasum fuisse, eam Summo Pontifici supra decreta Conciliorum Œcumenicorum auctoritatem convenire, quam nos tuemur.

Tandem ab Hadriano II. Synodum VIII. Œcumenicam confirmatam fuisse, testem habemus Gregorium VII. in epistola ad Hugonem Diensem Episcopum, & suum Vicarium in Galliis. In ea enim contra investituras laicas agens, ita habet (1): " Eadem sententia, & animadversionis censura, " quam B. Papa Hadrianus in VIII. Synodo (cui utique non " interfuit, sed quam confirmavit) de hujusmodi præsumptoribus statuit, se adstrictum cognoscat ".

§. XXXII. Falso contendit Bossuetius ad promulgationem, & exequutionem decretorum referendam esse eam confirmationem, quam Patres Synodi Œcumenicæ VIII. ab Hadriano II. petierunt.

Defensionis &c. lib. 8., alias 13., cap. 6. " Octava Synodus (inquit) Constantinopolitana IV., Nicolai I., & Hadriani II. judicium exequuta adversus Photium, ut firmitatem " obtineret, nulla procul dubio Sedis Apostolicæ nova con- " firmatione indigebat ". Igitur, ipso sentiente, ut ex ejus loquendi ratione constat, indiguisset, quum Œcumenica esset, si præcedens Nicolai I., & Hadriani II. judicium non habuisset, quod sequeretur: igitur semel ac Œcumenica Concilia in suis definitionibus non habeant præcedens judicium Apostolicæ Sedis, confirmanda illa sunt ab Apostolica Sede: quod tamen Bossuetius non admittit.

Damus ei tamen, necesse non fuisse, ut hæc Synodus

 ab

(1) Lib. 4. epist. 22. tom. 12. Concil. edit. Venet. colum. 398.

ab Apoſtolica Sede confirmaretur, quia ea Nicolai I., & Hadriani II. ſententiam & ſibi prælucentem habuit, & ſequuta fuit (1). Tamen VIII. Œcumenicæ Synodi Patres, non ſecus ac Patres VI. Œcumenicæ Synodi cum Agathone fecerant, licet in iis, quæ decreverunt, eumdem Agathonem *fautorem, & Divini Sacramenti myſterium illuſtrantem per litteras* habuiſſent (2), confirmationem ſuorum decretorum ab Hadriano II. ipſi quoque petendam cenſuerunt, ut de judicio Apoſtolicæ Sedis ſemper magis magiſque conſtaret, & ab omnibus Eccleſiis ſuſciperetur veritatis verbum, & juſtitiæ decretum. Nam hæc verba Patrum ad Agathonem: " Itaque Sanctitate veſtra „ omnium noſtrum, & univerſalis Synodi conſenſum, & „ conſonantiam recipiente; prædica eam magis, ac veluti „ propriam, ac ſollicitius confirma coangelicis præceptioni- „ bus veſtris; ut per ſapientiſſimum magiſterium veſtrum „ etiam aliis univerſis Eccleſiis perſonet, & ſuſcipiatur veri- „ tatis verbum, & juſtitiæ decretum ": referenda eſſe *ad Conciliarium decretorum promulgationem, atque exequutionem*, ſicuti Boſſuetius opinatur, nihil magis ab ipſo ſenſu verborum alienum eſſe poteſt. Nam Patres recipere Synodi conſonantiam in Hadriani arbitrio reponunt, atque illam ideo coangelicis præceptionibus ejus confirmari rogant, ut per hujuſmodi ſapientiſſimum magiſterium univerſis Eccleſiis perſonet, & ſuſcipiatur veritatis verbum, & juſtitiæ decretum. Tam vero recipere, quam non recipere aliquis poteſt, quod ſibi eſt ab inferiori auctoritate conſtitutum: ſicut etiam decreta poteſtatis ſibi inferioris quiſquam recipiendo confirmare poteſt: ac eo magiſterio, quo fit, ut veritas ubique perſonet, & ab univerſis Eccleſiis ſuſcipiatur veritatis verbum, & juſtitiæ decretum, nullum ſuperius fingi poteſt. Patres igitur non de promulgatione, & exequutione, ſed de confirmatione, quæ decretis daret plenam auctoritatem, loquutos fuiſſe, nimis comperta res eſt.

Demum quum jam oſtenderimus cujus generis, & in quo

(1) Vide ſuperior. §. 30. (2) Vide ſuperior. §. 27.

quo posita ea confirmatio sit, qua ab aliqua potestate ratum habetur, quod ab altera illi æquali constitutum fuit (1); non est, cur nunc alia Bossuetio respondeamus affirmanti, nihil valere, " Ad vindicandam Papæ superiorem potestatem eam „ confirmationem, quam in Actis primorum Conciliorum „ invenimus ", quia ex hoc sequeretur, unum Pontificem in potestate superare alterum; quum unius decreta Pontificis ab aliis subinde confirmata fuisse legamus. Id ergo unum tantum ei reponimus, idem usuvenisse etiam quoad decreta Conciliorum Œcumenicorum.

Quod spectat ad confirmationem VIII. Œcumenicæ Synodi cum Bossuetio Febronius consentit, & *De Statu Ecclesiæ* cap. *6. De Conciliis Generalibus* §. 5. num. 2. in hunc modum refert ea, quæ ad Hadrianum II. Patres, peracta Synodo, scripsisse leguntur: " Vos autem Conventum omnium „ nostrum, & consonantiam hujus Synodi benevole recipite; „ & precibus apud Deum vestris confirmate ". Certe ex hac loquendi ratione colligi non posse videtur, Patres ab Hadriano petiisse, ut sua auctoritate confirmaret, quæ ipsi decreverant. At vero non ita sane scripserunt, sicut Febronius refert, sed ea ratione, quam nos in superiori §. expressimus. Nam quæ nos exscripsimus, non solum leguntur in cit. edit. Conciliorum Venetensi an. 1729. tom. 10. colum. 674., sed etiam in edit. Pariensi Harduini an. 1714. tom. 5. colum. 935., & in edit. altera Parisiensi an. 1671. tom. 8. colum. 1169. Patrum autem loquendi ratio, quæ exprimitur in his editionibus, nullum dubitandi locum relinquit, confirmationem eorum, quæ decreverant, Patres ab Hadriano petiisse, sicuti jam ostendimus.

§. XXXIII. Summo ergo Pontifici convenit quidem jus confirmandi Œcumenica Concilia, non tamen juxta eam acceptionem, quam Natalis ab Alexandro, Bossuetius, & alii omnes volunt, qui in hoc negotio sunt ejusdem opinionis cum illis.

(1) Hujus cap. §. 5.

Natalis ab Alexandro *in Hist. Ecclesiast.* seculi 15. & 16. *Dissert.* 4. art. 1. num. 45. hac de re Parisiensium Theologorum opinionem exponens, affirmat, quod " Tota auctoritas „ dans robur statutis Conciliorum generalium principaliter „ residet in Spiritu Sancto, & in Ecclesia Catholica, ut do„ cet ab antiquo sacra facultas Parisiensis ". Quapropter confirmationem Summi Pontificis in eo *solum* positam asserit, „ Quod Synodi decretis consentiat, quod ea promulget, „ exequutioni mandari jubeat, ipsemet exequatur ". Id confirmari contendit ex epistola S. Leonis 61., seu 87. Quesnellianæ editionis, atque qua ratione S. Leo in causa fidei Synodi Chalcedonensis gesta confirmavit, etiam ab Episcopis Concilia confirmari contendit, dum decretis illorum subscribunt (1). De illorum autem Episcoporum subscriptione loquitur, ad quos decreta Concilii mittuntur, uti constat ex illis exemplis, quæ hac de re in medium adducit.

Ne tamen auctoritatem Summi Pontificis nimis depressisse videatur, eamque cum auctoritate Episcoporum coæquasse, hæc superaddit: " Quia conditiones quædam ad Syno„ dum Œcumenicam necessario concurrunt, ut scilicet se„ cundum sacras Scripturas, secundum Traditionem Pa„ trum secundum Ecclesiasticas regulas cum plena suffra„ giorum libertate, consentiente regulariter Summo Ponti„ fice, & per se ipsum, vel per Legatos, si voluerit, præsi„ dente, & suffragii prærogativa gaudente, celebretur ab „ Episcopis ex toto Christiano orbe convocatis, nemine, „ qui jus habuerit, excluso, aliquam in Ecclesia auctoritatem „ esse oportere, ad quam spectet judicare, & declarare, „ quod cum harum conditionum concursu Synodus gesta sit: „ qua ex declaratione Christianorum omnium obligatio ad „ ejus decreta quum de fide, tum de morum disciplina reci„ pienda consequitur ". Id ergo muneris a Summo Pontifice exerceri affirmat, " Quum Synodi Generalis decreta pro„ mulgat ". Bos-

(1) Hujus cap. §. 25. & 26. solutum est a nobis, quod Natalis ex S. Leone pro se in medium adducit.

Bossuetius *Defensionis &c.* lib. 7., alias 12., cap. 17. ex Ephesino Concilio totam vim confirmationis, quæ ab Apostolica Sede habeatur, vel a Legatis Apostolicæ Sedis, in eo repositam contendit, ut per illam *plana*, *& manifesta fiat consensio* Apostolicæ Sedis cum iis, quæ a Patribus decreta fuerint. Lib. 8., alias 13., cap. 2. *nihil vanius*, esse dicit, *quam confirmationis vocem ad argumentum superioris potestatis trahere*. Ejusdem autem libri 9. cap. ipse quoque concedit, esse " Illud haud absurdum, confirmatione declarari Synodum & legitime fuisse convocatam, & legitimo ordine processisse, neque quidquam intervenisse, quo nulla sit: qualia multa in Ariminensi, atque Ephesina II. Synodis evenisse legimus ". Paulo vero post hanc confirmationem esse positam in consensione Sedis Apostolicæ conjuncta cum approbatione totius Ecclesiæ hisce verbis tradit: " Hæc ergo est ultima adversus malignos interpretes Synodi bene gestæ testificatio: Sedis Apostolicæ conjunctus cum totius Ecclesiæ approbatione consensus, quam confirmationem dicimus..... Quare haud immerito affirmamus, ultimum, quo Synodi Œcumenicæ asserantur, esse Ecclesiæ universalis consensum cum Apostolicæ Sedis confirmatione conjunctum ".

Primo itaque de hoc consensu Ecclesiæ universalis, seu approbatione videamus, deinde de reliquis. Illud ergo ego quæro, undenam potissimum de consensione universalis Ecclesiæ in rem aliquam nobis constare possit. Ab iis sane, quos Deus posuit suam Ecclesiam regere, hoc est, ab Episcopis. " Nec inficias ibit quisquam tamen (ita recte Thomassinus *Dissert.6. in Synodum Constantinopolitanam* num. 5.) hanc consensionem seu tacitam, seu loquacem Ecclesiæ universæ non plebibus, non Clericis minoribus, sed Episcopis adscribendam. Episcoporum est enim, Apostolis succedentium, & Ecclesiæ magistrorum præire Discipulis suis, & Synodalia statuta condere, authorare, promulgare ". At vero a quibusnam Episcopis hac in re, de qua agimus, Ecclesiæ consensus exquirendus?

Pro-

Profecto non ab illis, qui in unum simul convenientes, hæc, vel illa decreta ediderunt: nam horum sane judicium per Ecclesiæ consensionem suum ultimum complementum accipere debet. De hac ergo consensione Ecclesiæ constare oportebit ex aliis Episcopis (ad hos autem etiam Natalis ab Alexandro appellat) qui vocati ad Concilium venire vel renuerunt, vel ob aliquod impedimentum non potuere. Horum ergo judicium, quamvis ad rem expendendam inter se non convenerint, licet in Spiritu Sancto congregati simul non fuerint, etsi universam Ecclesiam non repræsentent, præferendum erit judicio omnium aliorum Episcoporum, qui simul in Œcumenico Concilio sub uno Supremo Ecclesiæ capite in Spiritu Sancto congregati, atque universam Ecclesiam repræsentantes rem definiendam maturius discusserunt, & ut Ecclesiæ commodis prospicerent, ærumnas longioris itineris subire non detrectarunt. Convenerit ergo sane in Nicæna I., Constantinopolitana I., Ephesina I., Chalcedonensi, Constantinopolitana II., & III., Nicæna II., Constantinopolitana IV., atque in aliis subinde Synodis Œcumenicis, totius propemodum Ecclesiæ flos: Patres non minus doctrina, quam vitæ sanctitate celebres ad Synodos Œcumenicas accesserint, & in aliquibus earum numero quasi mille: maturius omnia discusserint, in errores hæreticorum diligentius inquisierint, ipsosque etiam hæreticos, dum hoc fieri potuit, ad causam dicendam coram se vocaverint, consuluerint diligentissime sacras Litteras, Traditionem Patrum non minus accurate expenderint, vota, preces que suas Supremo Patri luminum obtulerint, ut in suis definitionibus sibi præsto esset; ad hæc omnia illud quoque accedat, ut Summus Pontifex, qui Primatum auctoritatis, & jurisdictionis super universam Ecclesiam gerit, super quem Christus suam Ecclesiam ædificavit, eique in mandatis dedit, ut omnes fratres in fide confirmaret, decreta illorum sua auctoritate confirmaverit; tamen quod est a tanta multitudine Patrum simul in Spiritu Sancto sub Supremo Ecclesiæ capite congregatorum tam maturo judicio

dicio definitum, & ejusdem Supremi capitis auctoritate confirmatum, semper, saltem aliquo modo suspensum, & incertum remanebit, quoad usque reliquos orbis Christiani Episcopos in Spiritu Sancto nullo modo congregatos, sed a se longe dissitos, quorum unusquisque proprio judicio ducitur, in id non consensisse constiterit, quod illi definierunt. Nullo sane modo persuadere mihi possum, vel quemquam sibi persuadere posse arbitror, Spiritum veritatis, quem suæ Ecclesiæ Deus promisit, in Patribus simul in unum in Spiritu Sancto sub Supremo Ecclesiæ capite in Concilio Œcumenico congregatis, quibus idem Supremum Ecclesiæ caput præsederit, & eorum definitiones confirmaverit, in suis decretis deficere posse; non posse vero in quibusdam aliis Episcopis, qui neque in Spiritu Sancto cùm aliis simul congregantur, neque sub Christi Vicario Ecclesiæ capite in unum conveniunt, sed unusquisque eorum proprium judicium sequitur. Quis ergo non videat, in quos tandem scopulos impingere illa nos propositio faciat: *Auctoritas dans robur statutis Conciliorum Generalium principaliter residet in Spiritu Sancto, & in Ecclesia Catholica*, quæ, uti tradit Natalis ab Alexandro apud suos, qui ejusdem, ac ipse, sententiæ sunt, communiter recepta est, atque propugnatur? Hanc enim auctoritatem, de qua loquimur, principaliter residere in Spiritu Sancto, nemo dubitat. At vero auctoritas, quæ ex parte Ecclesiæ requiritur, ab Episcopis in Concilio congregatis repeti non potest, quum hìc requiratur *Auctoritas dans robur statutis Conciliorum Generalium*: ea ergo ab aliis Episcopis, qui Conciliis Œcumenicis non interfuerunt, repetatur, istorumque judicium illorum judicio præferatur oportet.

Quapropter quoad usque de istorum Episcoporum privato judicio non constiterit, ea tota auctoritas deerit, quæ dat *robur statutis Conciliorum Generalium*. Habebunt sane decreta Conciliorum Generalium aliquid auctoritatis etiam juxta Adversarios nostros, tamen robur omne, quod habere possunt, & habere debent, profecto non habebunt. Nam dee-

deerit, *quod dat illis robur*, deerit *ultima teſtificatio Synodi bene geſtæ*, uti ſentit Boſſuetius. Non eſt igitur, cur hoc intervallo temporis decreta Conciliorum Œcumenicorum, quamvis a Supremo Eccleſiæ capite confirmata fuerint, uti omnino certa, & infallibilia habeantur: hæreſes in iis confixæ non omnino proſtratæ erunt: hæretici damnati lato in ſe judicio non erit, cur ſe prorſus ſubmittant: fidei definitiones non omnem certitudinem habebunt.

Immo ſi *tota auctoritas dans robur ſtatutis Conciliorum Generalium principaliter reſidet in Spiritu Sancto* (de quo ſane nemo dubitat) *ut docet ab antiquo ſacræ Facultas Pariſienſis*; ſi, uti habet Boſſuetius, *ultima Synodi bene geſtæ teſtificatio*, *ultimumque*, *quo Synodi Œcumenicæ aſſerantur*, *eſt Sedis Apoſtolicæ conjunctus cum totius Eccleſiæ approbatione conſenſus*; quum hæc auctoritas dans robur; quum approbatio totius Eccleſiæ, quæ cum conſenſu Apoſtolicæ Sedis conjungatur, non ſit expectanda, ſicuti jam animadvertimus, ab Eccleſia Catholica, quam repræſentant Patres in Œcumenico Concilio congregati, ſed a privato judicio quorumdam Epiſcoporum, qui Concilio non interfuerunt; hæretici damnati in Conciliis Œcumenicis ad ſententſam iſtorum appellare poterunt, atque ita latam contra ſe condemnationem ad longum tempus eludere. Ea namque tota auctoritas dans robur ſtatutis Conciliorum, iſtis in Epiſcopis reſidet, ab iſtis totius Eccleſiæ approbatio expectanda eſt, quæ conjuncta cum conſenſu Apoſtolicæ Sedis eſt ultima Synodi bene geſtæ teſtificatio: ergo hanc totam auctoritatem ea majorem eſſe oportet, qua ſtatuta Conciliorum Œcumenicorum edita ſunt: ergo qui ab hac ſe condemnatos ſentiunt, ad illam appellare poſſunt, atque interea non omnem, quam deberent, latæ condemnationis habere rationem.

Quid vero ſentiendum erit, ſi Epiſcopi, qui Concilio Œcumenico non interfuerunt, vel per longum tempus differant lata in Concilio Œcumenico decreta probare, vel in ea nullo modo ſe conſentire velle ſignificent? Anne tunc decre-

ta

ta Concilii Œcumenici vel omnino ſuſpenſa remanebunt? vel eo in pretio habenda erunt, ac ſi edita non forent? Eis enim tunc deeſt illa tota auctoritas, ob quam iiſdem robur accedit, deeſt totius Eccleſiæ approbatio, quæ ſimul unita cum conſenſu Apoſtolicæ Sedis eſt ultima Synodi bene geſtæ teſtificatio. Decreta ergo Conciliorum Œcumenicorum tunc ſine ea tota auctoritate erunt, per quam robur habent: ſuſpenſa ergo ſaltem aliqua ratione remanebunt, quoad uſque hæc tota auctoritas ſuperaccedat; irrita autem evadent, ſi hæc tota auctoritas contradicat. Quid enim eſſe unicuique magis obvium poteſt, quam decreta illa, ſaltem aliqua ratione, ſuſpenſa remanere, quibus deeſt tota auctoritas, a qua robur habent: vel omnino irrita evadere, ſi tota auctoritas, a qua robur habent, illis ſeſe opponat? Rurſus: ſi Epiſcopi, qui Concilio non interfuerunt, vel per longum tempus probare differant lata in Concilio Œcumenico decreta, vel in ea nullo modo ſe conſentire velle ſignificent; tunc decretis Concilii Œcumenici vel ad tempus, vel omnino deerit totius Eccleſiæ approbatio, quæ conjuncta cum conſenſu Apoſtolicæ Sedis eſt ultima Synodi bene geſtæ teſtificatio: ergo deerit eis vel ad tempus, vel omnino prorſus ultima Synodi bene geſtæ teſtificatio: ſuſpenſa autem remanere decreta Concilii Œcumenici, quoad uſque eis deeſt Synodi bene geſtæ teſtificatio; irrita autem evadere, dum a quo haberi deberet, non habetur Synodi bene geſtæ teſtificatio, ſed contrarium ejus, nemo non novit. Quiſnam vero unquam conceſſerit, Œcumenicorum decreta Conciliorum ſuſpenſa, aut irrita hac ratione evadere poſſe?

Neque eſt, quod ad hæc omnia præcavenda Adverſarii noſtri reponant, hanc totam auctoritatem, quæ dat robur ſtatutis Conciliorum Generalium in Spiritu Sancto principaliter reſidere. Id nullus ſane negaverit. Verum quæ ex ſententia eorum conſequi jam oſtendimus, tantum abeſt, ut tollantur, quin potius augentur. Spiritus Sancti virtutem in nobis agentem non videmus; tamen tunc operari in nobis eſt

certissime tenendum, quando revera agimus in nomine ejus, atque ad agendum ea ratione simul convenimus, qua semel ac convenerimus, nobis congregatis sese adfuturum promiserit. Patres sane in Concilio Œcumenico legitime congregati in hunc censum veniunt, quemadmodum etiam Adversarii nostri profitentur, non vero Episcopi, seorsim accepti, qui ad Concilium Œcumenicum vocati venire renuerint: igitur hanc totam auctoritatem, quæ dat robur statutis Conciliorum Generalium, quæque principaliter in Spiritu Sancto residet, esse penes Patres in Concilio Œcumenico legitime congregatos, non vero penes aliquos Episcopos, qui Concilio Œcumenico non interfuerunt, firmissime tenendum est. Et tamen ex sententia nostrorum Adversariorum consequitur, totam auctoritatem, quæ dat robur statutis Conciliorum Generalium, etiam quatenus principaliter in Spiritu Sancto residet, non inesse in Patribus in Concilio Œcumenico legitime congregatis, independenter a quibusdam Episcopis, qui cum illis simul non convenerunt.

Verum enim vero nunc iterum paucis contra Adversarios nostros ex altero doctrinæ capite, quod ipsi tuentur. Ea ergo in opinione ipsi sunt, quam omni contentione defendunt, *Synodum Œcumenicam uti supremum, & ultimum Ecclesiæ tribunal esse* (1). Profecto Synodi Œcumenici nomine omnes Episcopi in eo congregati veniunt, non vero ceteri omnes quaquaversum suas singulares Ecclesias regentes, qui ad Synodum una simul cum aliis non convenerint. Episcopi ergo in Concilio Œcumenico simul uniti hoc *supremum, & ultimum Ecclesiæ tribunal* constituunt. Quomodo autem hujusmodi Ecclesiæ tribunal & *supremum*, & *ultimum* esse poterit, si ei deest auctoritas, quæ dat robur statutis Conciliorum Generalium; & hæc auctoritas, quemadmodum ex sententia Adversariorum consequi ostendimus, peti debet ab Episcopis, qui Concilio non interfuerunt? Quomodo, inquam, hujus-

(1) Vide Natalem ab Alexandro in citata Differt.4. art.1., in quo suorum hac de re opinionem acriter propugnat.

hujusmodi Ecclesiæ tribunal & *supremum*, & *ultimum* esse poterit, si ultima Synodi bene gestæ testificatio, ultimumque, quo Synodi Œcumenicæ asserantur, est Sedis Apostolicæ conjunctus cum totius Ecclesiæ approbatione consensus; & hic consensus totius Ecclesiæ repetendus est ab Episcopis, qui Concilio non interfuerunt? Anne *supremi*, & *ultimi* judicii ratio in Conciliis stare sine ea auctoritate potest, quæ dat robur statutis Conciliorum, starene potest, inquam, sine ultima Synodi bene gestæ testificatione, sine illo ultimo, quo Synodi Œcumenicæ asseruntur? Ex his autem quid consequatur, quoniam nimis perspectum est, nemo non videre potest.

Illud quidem ex Ecclesiastica Historia perspectum habemus, aliquando Œcumenici Concilii Patres, aliquando Summum Pontificem, aliquando etiam Imperatores encyclicas epistolas de iis, quæ in Concilio decreta fuerant, dedisse ad Episcopos, qui Concilio non intervenerant, ut suam isti confirmationem decretis Conciliorum adjungerent. Verum enim vero hanc confirmationem eorum neque talem habitam, neque revera fuisse, ut ab ea penderet illa tota auctoritas, quæ dat robur statutis Conciliorum, inde constat, quod a nemine dubitatum unquam fuit, utrum decreta Concilii Œcumenici a Summo Pontifice confirmata suam omnem vim ad omnes obligandum haberent. Nam statim pro hæretico ille habitus est, cui anathema a Conciliis, Summo Pontifice confirmante, propter ejus doctrinæ falsitatem dictum fuit: uti hæreticam illam sententiam statim explosam fuisse didicimus, in qua contineri hæresim, eodem judicio declaratum fuit: uti Catholica illa definitio fidei statim habita fuit, quæ ex eodem principio prodiit. Ea ergo ab hujusmodi Episcopis confirmatio encyclicis epistolis petita fuit, quæ quamdam solummodo consensionem continebat. Hanc vero tantum ab Episcopis præstitam fuisse, dum Œcumenicorum decreta Conciliorum confirmasse leguntur, est supra jam animadversum a nobis (1).

 Quas

(1) Hujus cap. §. 15.

Quas vero partes in confirmatione Conciliorum Œcumenicorum Adversarii nostri Summo Pontifici tribuendas velint, nunc expendamus. Esse ergo ejus volunt judicare, utrum omnia in Concilio Œcumenico juxta sacros Canones peracta fuerint: ejusmodi tamen judicium tunc ab eo ferri dicunt, quando, sicuti habet Natalis ab Alexandro, *Synodi Generalis decreta promulgat*, *eorumque exequutionem imperat*; vel quando, uti dicit Bossuetius, *Sedis Apostolicæ consensus cum totius Ecclesiæ approbatione conjungitur*. At hæc confirmatio, quæ Summo Pontifici tribuitur, est ejusdem omnino rationis, ac ea sit, quæ ab Adversariis nostris, sicuti jam ostendimus, tribuitur Episcopis, & quidem non in Concilio Œcumenico unitis, sed seorsim acceptis, & tantum iis, quibus se conferendi ad Œcumenica Concilia aut voluntas, aut potestas defuit. Nam omnia in Concilio secundum Canonicas leges peracta fuisse Summus Pontifex sua consensione declarat, eademque etiam urget exequutionem decretorum. Quid? Nonne & prædicti Episcopi sua consensione hæc utraque præstant? Quis enim unquam putaverit, in hujusmodi eos decreta consentire, quæ, non servatis Canonicis legibus, edita crederent? vel dum consentiunt, pro ea potestate, quam habent, exequutionem illorum non urgere?

Neque est, cur dicant, Pontificem sua consensione urgere in tota Ecclesia exequutionem decretorum, Episcopos autem in propriis solummodo diœcesibus, ac propterea istorum, & illius non unam eamdemque rationem esse. Nam juxta Parisiensium Theologorum opinionem, quam refert Natalis ab Alexandro; *Tota auctoritas dans robur statutis Conciliorum Generalium principaliter residet in Spiritu Sancto*, *& in Ecclesia Catholica*; indeque, ut idem Natalis ab Alexandro tradit, confirmatio Pontificis in eo *solum* posita est, *quod Synodi decretis consentiat*, *quod ea promulget*, *exequutioni mandari jubeat*, *ipsemet exequatur*. Rursus dum Bossuetius ea de confirmatione agit, quæ habetur a Summo Pontifice quoad decreta Conciliorum Œcumenicorum, *nihil vanius* esse affirmat,

quam

quam confirmationis vocem ad argumentum superioris potestatis trahere ; ac propterea *est ultima adversus malignos interpretes Synodi bene gestæ testificatio*, *Sedis Apostolicæ conjunctus cum totius Ecclesiæ approbatione consensus* , *quam confirmationem dicimus* . Modo ita . Si confirmatio Pontificis in eo *solum* posita est, quod Synodi decretis consentiat , quod ea promulget , exequutioni mandari jubeat , ipsemet exequatur ; si etiam dum de hujusmodi confirmatione agitur, nihil vanius est, quam confirmationis vocem ad argumentum superioris potestatis trahere ; si Ecclesiæ Catholicæ nomine , quemadmodum jam ostendimus, juxta acceptionem Adversariorum in hac re, de qua agimus , intelligi debent Episcopi seorsim accepti , qui ad Concilium Œcumenicum non convenerunt, & ab hac Ecclesia Catholica pendet ea tota auctoritas , quæ hìc in terris dat robur statutis Conciliorum Generalium; si demum consensus Sedis Apostolicæ conjunctus cum approbatione totius Ecclesiæ , & quidem ita totius Ecclesiæ , ut habeatur tantum ratio illorum Episcoporum , qui Concilio Œcumenico non interfuerunt, sicuti evicimus , est ultima adversus malignos interpretes Synodi bene gestæ testificatio, & in hujusmodi consensu confirmatio reponi debet ; profecto nemo non videre non potest, confirmationem, quæ Summo Pontifici ab Adversariis nostris tribuitur , esse omnino ejusdem rationis , ac eam , quam dant Episcopi , & quidem non in Concilio Œcumenico uniti , sed seorsim accepti , atque tantum ii, quibus se conferendi ad Œcumenica Concilia aut voluntas, aut potestas defuit.

Quum vero de decretis omnium gravissimis hìc agatur, hoc est de iis, quæ circa fidem, mores, aut disciplinam versantur , atque totam Ecclesiam obligant ; non video sane, quomodo confirmandi hujusmodi decreta æqualis potestas tum in Summo Pontifice , tum in quibusdam Episcopis , & quidem seorsim acceptis , stare possit & cum Supremo absoluto Monarchico regimine , & cum Suprema legislativa potestate , atque ut gravius urgeam etiam juxta sententiam Adversariorum, & cum suprema præfectura non solum ordinis , & di-

& dignitatis , sed etiam auctoritatis , & jurisdictionis , quibus Summus Pontifex super universam Ecclesiam præditus est (1). Profecto si ita se res haberet, sicut Adversarii vellent, Patres Conciliorum Œcumenicorum pro confirmatione eorum , quæ decreverant, non Summum Pontificem rogare debuissent , sed Episcopos ubique dispersos, qui secum non adfuerant , aut saltem tum istos , tum illum æquali ratione. Verum non ita sane fecerunt: sed a Summo Pontifice tantum eam suorum decretorum confirmationem petierunt, qua iisdem robur, & auctoritas adjiceretur (2). At ista de re plus quam satis.

LI-

(1) Hujus cap. §. 17. & seq. (2) Hujus cap. §. 20. & seqq.



LIBER XXII.

DE APPELLATIONIBUS.

ALterum in hoc libro explicandum aggredimur, quod ab ea Suprema Præfectura non solum ordinis, & dignitatis, sed etiam potestatis, & jurisdictionis, quam Summus Pontifex super universam Ecclesiam habet, nullo modo divelli potest. Hoc vero est jus Appellationum, quod Supremo Ecclesiæ capiti vindicandum aggredimur. Quemadmodum enim cum Suprema Præfectura tam dignitatis, & honoris, quam potestatis, & jurisdictionis, tum Suprema legislativa potestas, tum regimen absolute Monarchicum, tum auctoritas Œcumenica Concilia indicendi, præsidendi illis, atque confirmationem adjungendi conjunguntur; (de quibus doctrinæ capitibus jam disseruimus) ita etiam ad eamdem Supremam Præfecturam, uti ad primum præcipuumque principium spectat jus Appellationum in eo positum, ut ultimum judicium de Ecclesiasticis causis Summo Pontifici semper reservetur. Eusebiani omnium primi fuerunt qui id juris Summo Pontifici denegarunt, contenderuntque, sicuti ex epistola eorum data ex Philippopolitano conventiculo constat apud Hilarium *Ex Opere Historico* Fragmento 3. immutabilia esse, atque irretractabilia, quæ in Conciliis Orientalibus decreta forent. Acaciani eos deinde sequuti fuere (1). Photius invasor Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & schismatis inter Latinam, & Græcam Ecclesiam parens infaustissimus, Balsamon, Meletius, Zonaras, in Florentino Concilio Marcus Ephesinus, atque Græci omnes Schismatici in eumdem errorem impegerunt (2). Eisdem etiam Calvinus lib. 4. *Instit.* cap.7. §. 9., & Marcus Antonius de Dominis *De Ecclesiast. Republ.* lib. 1. cap. 5. assensi fuere. Ex eo quod isti vel omnem Pri-

(1) Vide Christianum Lupum tom. 8. Operum ejus. *Differt.* 1. *De Gallic. Eccl. Rom. Appellat.* cap. 29. (2) Vide Lupum cit. tomo Differt. 2. cap. 16.

Primatum tam ordinis , & dignitatis , quam auctoritatis , & jurisdictionis , vel Primatum tantum auctoritatis , & jurisdictionis Summo Pontifici contra fidei Catholicæ veritatem denegaverint, in ejusmodi errorem prolapsi fuerunt. Etiam quidam Catholici, quamvis non eodem, ac illi principio, jus Appellationum rem esse defendunt, quæ cum Suprema Præfectura super universam Ecclesiam ex sui natura non conjungatur, sed quæ primum in Concilio Sardicensi instituta fuerit. Id tuentur Petrus de Marca *De Concordia Sacerdotii* , *& Imperii* lib. 7. cap. 1. & seqq., Stephanus Baluzius *in Præfat.* ad Gratiani decretum ab Antonio Augustino emendatum num. 3. & seq., & longe majori , quam par est , ut alios nunc omittam , animi contentione Paschasius Quesnellus *Dissert.* 5., seu *Apologia pro S. Hilario* , in editione Operum S. Leonis , quam ipse faciendam curavit.

Hanc ergo rationem ad istos omnes refellendos, qui contra hoc jus pugnant , quod Sedi Apostolicæ ex sui natura debetur, in ista disputatione servare institui . Capite hujus libri 1. de natura Appellationum agam. Deinde habita ratione facti , in quo sane potissimum Adversarii nostri confidere videntur , rem istam , de qua contra eos disputandum est a nobis, primo expendam, postea descendam ad jus. Quapropter in cap. 2. sermo erit de Appellationibus factis ad Sedem Apostolicam ante tempora Concilii Sardicensis: in 3. de iis, quæ , habita ratione Appellationum, in Sardicensi Concilio decreta fuerunt: in 4. de Appellationibus factis ab Orientalibus Ecclesiis ad Sedem Apostolicam post Sardicense Concilium : in 5. de Appellationibus factis ab Ecclesiis Occidentalibus ad Sedem Apostolicam post Concilium Sardicense, & ante Trullanum: in 6. de eo fundamento , quod Appellationes factæ ad Sedem Apostolicam in jure Divino : in 7. quod in jure etiam Civili habent.

CA-

CAPUT I.

DE NATURA IPSARUM APPELLATIONUM.

§. I. Appellatio eſt provocatio a judicio unius ad judicium alterius.

Appellatio tunc habetur, quando quiſpiam unius ſententia judicis, vel revera, vel ſecundum exiſtimationem ejus, nimis, quam par eſt, gravatus ad judicium alterius provocat, ejuſque ſe decreto ſubiicit: appellatione ergo provocatio fit a judicio unius ad judicium alterius.

§. II. Appellatio res eſt, quæ ex principiis legis naturæ derivatur.

Naturæ lege unicuique datum eſt, ut ſuum jus debita ratione tueatur. Appellatio autem quoddam medium eſt, quo quis jus ſuum debita ratione tuetur: quum ea fiat, ut ſibi illatum damnum ob ſententiam contra juſtitiæ leges in ſe latam reparare poſſit. Nam a judicio unius ad judicium alterius appellatio inſtituta eſt, ut quod in priori judicio defuit, in altero corrigatur. Appellatio ergo ex principiis legis naturæ proficiſcitur.

§. III. Cum ipſa appellatione neceſſario conjungitur, ut ille, ad cujus judicium provocamus, ſua ſupra alterum, a quo provocatur, quoad illam judicii rationem, de qua agitur, auctoritate valeat.

Dum a judicio unius ad judicium alterius provocamus, quod ab illo definitum eſt, iſtius ſententiæ ſubiicimus. Fruſtra autem, & præter omnia jura id ageretur a nobis, ſemel ac ille, ad cujus judicia, habita ratione rei ab altero judicatæ, provocamus, ſua ſupra iſtum alterum auctoritate non valeret. Tunc enim contingeret, ut unum, qui alteri in ſua judicii ratione nullo modo ſubjectus eſt, ei ſubiiceremus. Hoc autem, & fruſtra omnino, & præter omnia jura fieri nemo non videt. Cum ipſa itaque appellatione neceſſario conjungitur, ut ille, ad cujus judicium provocamus, ſua ſupra alterum, a quo provocatur, quoad illam judi-

judicii rationem, de qua agitur, auctoritate valeat. Hinc recte Justinianus *Novella* 22. cap. 3. " Quum non oporteat (inquit) ad compares judices appellationes referri, sed „ a minore judicio in majus tribunal ascendere ".

§. IV. In sua ergo appellatione provocans ad sententiam ejus, qui nullam auctoritatem supra id judicii genus habet, quod ab altero latum præsupponitur, quantum ex se est, pervertit jura rationis.

Exigunt jura rationis, ut neque plus uni tribuatur, quam debetur, neque quidquam auferatur ab altero, quod illi proprium est: hoc vero est, quod non servatur, dum in appellatione provocatio fit ad sententiam illius, qui nullam auctoritatem supra id judicii genus habet, quod ab altero latum esse præsupponitur. Tunc enim id juris uni tribuitur, quod non debetur, hoc est, potestas supra judicium alterius; & alteri id juris subtrahitur, quod illi proprium est, quia in sui judicii ratione, cui non debet, subiicitur. Dubitari ergo non potest, quin in sua appellatione provocans ad sententiam ejus, qui nullam auctoritatem habet supra id genus judicii, quod ab altero latum esse præsupponitur, pervertit, quantum ex se est, jura rationis.

§. V. Multo magis pervertit jura rationis, qui suscipit hujusmodi appellationes ad se delatas.

Ille, qui revera facit contra jura rationis, eadem magis pervertit, quam alter, qui faciendum aliquid proponit contra ipsa jura rationis. Juribus namque rationis nullum vulnus revera infligitur, sed solummodo infligi tentatur, dum faciendum proponitur, quod eisdem opponitur: quando autem hoc ipsum fit; tunc sane jura rationis pervertuntur. Profecto qui ad eum judicem appellat, qui supra alterum, a quo appellatur, nullam quoad illius judicii rationem auctoritatem habet, vulnus quidem juribus rationis infligere tentat, revera autem non infligit: judex autem dum hujusmodi appellationes suscipit, juribus rationis vulnus revera infligit, quia contra agit, ac illa exigant. Qui igitur eas appellationes, de quibus nunc loquimur, suscipit, contra

tra jura rationis magis præ altero agit, qui easdem defert.

§. VI. Sola etiam acceptatio hujusmodi appellationum opponitur juri rationis.

Duo ex sui natura ad appellationem consequuntur, hoc est, & suspensio exequutionis sententiæ illius, quam tulerit judex inferior, & cognitio totius causæ superiori judici defertur. Hinc Canonistæ, & Jurisperiti appellationi tribui oportere affirmant effectum tum suspensivum, tum devolutivum, quatenus propter appellationem suspenditur exequutio illius sententiæ, a qua appellatur, & cognitio causæ ad superiorem judicem devolvitur. Hæc sane duo ex sui natura appellationi conveniunt. In jure tamen cautum est, ut quoddam genus appellationis effectu suspensivo careat, habeatque solummodo devolutivum (1). Propter utrumque autem effectum consequitur, ut judex, ad quem defertur appellatio, quamdam super alterum judicem, a quo appellatur, auctoritatem exerceat. Neque enim quispiam sine exercitio auctoritatis aut suspensum reddere potest, quod alter decreverit, aut sententiam illius suo judicio submittere. Semel ac ergo aliquis eas appellationes suscipiat, ad quas nullam auctoritatem habet, agit profecto contra principia rationis, quæ prohibent, ne supra alterum aliquid auctoritatis sine ullo certo jure sibi quispiam usurpet.

§. VII. Ipsa natura appellationum non exigit, ut ab uno judice provocetur ad alterum, qui proxime sequitur secundum ordinem auctoritatis, deinde ad alios juxta eumdem ordinem, quousque ad supremum judicem perveniatur.

Cum natura appellationis illud necessario conjungitur, ut judex ad quem appellatur, auctoritate, atque potestate judicem alterum præcedat, a cujus sententia appellatio fit (2): ceterum ut judex, ad quem appellatur, sit ipse quoque alterius judicio subjectus, nullo modo requiritur. Dum enim,

 ser-

(1) Vide Concil. Trident. Sess. 22. *De reformat.* cap. 1., ac etiam Van-Espenium *Juris Canonici* par. 3. tit. 10. cap. 3., in quo plura genera appellationum refert, quæ saltem juxta statuta aliquarum regionpm effectum suspensivum non admittunt. (2) Hujus cap. 5. 3. & seqq.

servato ordine auctoritatis, ab uno ad alterum judicem appellatur, tandemque ad supremum omnium judicum devenitur; tunc sane judicium, quod iste pronuntiat, nullius est amplius discussioni subjectum. Ex eo autem quod hujusmodi judicium discussioni alicujus subjectum non sit, tantum abest, ut factæ appellationi aliquid desit, quin potius ea suum ultimum complementum habeat, atque sit omnino firma, atque immutabilis illa sententia, quæ a supremo judice pronuntiatur. Hoc autem nunquam haberi posset, semel ac in appellationibus exigeretur, ut judex, ad quem appellatur, esset ipse quoque alterius judicio subjectus. Ipsa igitur natura appellationum non requirit, ut ab uno judice provocetur ad alterum, qui proxime sequitur secundum ordinem auctoritatis; deinde ad alios juxta eumdem ordinem, quousque ad supremum judicem perveniatur.

§. VIII. Naturæ ergo appellationum non adversatur, quod hac de re in jure Canonico constitutum habemus.

Ad Summum Pontificem appellari posse, priori intermissa appellatione ad judices inferiores, in jure Canonico cautum habemus (1). Quum ergo ipsi naturæ appellationum non opponatur, ut intermissa priori appellatione ad judices inferiores, ad supremum judicem quispiam statim appellet (2); neque etiam opponi potest, quod hac de re in jure Canonico cautum habemus. In jure Civili illud quidem constitutum est (3). " A judice, quem a præside provinciæ quis acceperit, non recte ad Imperatorem appellatum esse; ideoque eum reverti ad præsidem debere;" indeque interpretes communi suffragio concludunt, in jure civili cautum esse, ne quis ad supremum judicem appellet, omissis iis, qui præsunt tribunalibus inferioribus: verum etiam apud laicos causæ singulares occurrunt, in quibus, intermisso medio ordine judiciorum, ad tribunal supremum appellatur (4).

§. IX. Ap-

(1) *De appellat*. cap. *Ad hac 6*. cap. *sollicitudinem* 54., & alibi.
(2) Præced. §. (3) *Digest*. lib. 49. tit. 1. *De appellat*. l. 21.
(4) Vide Van-Espennium *Juris Ecclesiast. univers.* par. 3. tit. 10. cap. 2. num. 2.

§. IX. Appellationes institutæ potissimum sunt in beneficium ejus, qui sententia judicis se gravatum sentit; hic tamen pro suo arbitrio iisdem tam uti, quam non uti potest.

Multa in lege tum Canonica, tum Civili sancita fuisse legimus, quibus ad propulsandam injuriam, vel damnum, quod accepit, uti quispiam potest; tamen ut utatur iis, nullo præcepto cogitur. Hujus profecto generis sunt appellationes. Ius enim provocandi a judicio unius ad judicium alterius illi tribuitur, qui judicio prioris aliquo modo se gravatum sentit: ceterum si iste ad alterum judicem provocare nolit, contra legem appellationum nullo modo peccat. Verum igitur est, quod nos nunc contendimus. Quare si quis in aliquo judicio nullum appellationi locum ad alterum tribunal fuisse inde contendat, quia nonnulli a judicio semel lato, licet eo gravati forent, ad hujusmodi superius tribunal non appellarunt, colligit sane, quod non potest, neque debet. Ex hoc ergo facto quempiam suum jus, mediantibus appellationibus, persequutum non fuisse, inferri debet, non vero ad id jus non habuisse, sicuti Quesnellus *Dissert.* 5. *Apologetica* pro S. Hilario Arelatensi par. 1. cap. 16. facit, atque inde falso colligit, post Nicænum, & Sardicense concilium appellandi ad Sedem Apostolicam jus in Gallia non obtinuisse, quia nonnulli Episcopi, licet immerito damnati in quibusdam Synodis, ad eam non appellarunt.

CAPUT II.

DE APPELLATIONIBUS FACTIS AD SEDEM APOSTOLICAM ANTE TEMPORA CONCILII SARDICENSIS.

§. I. Circa Christi annum 142., mortuo Hygino Summo Pontifice, ad Romanam Ecclesiam Marcion appellavit.

Utrum ante synodum Sardicensem ad Sedem Apostolicam appellatum fuerit, quæstio est, quam nunc potissimum con-

contra Petrum de Marca (1), ac Quesnellum (2) discutiendam suscipimus. Ipsi enim tuentur appellationes ad Sedem Apostolicam a concilio Sardicensi suam originem duxisse. Ast sæpiùs ante Synodum Sardicensem ad Sedem Apostolicam appellatum fuisse, hoc vero est, quod nunc contra eos ostendendum aggredimur. Marcion ergo ad Romanam Ecclesiam appellavit. Quomodo gesta res ista fuerit, ex S. Ephiphanio *Hæresi* 42. num. 1. novimus. Ab eo enim traditum accepimus, Marcionem propter stuprum, quod commiserat, a patre suo Episcopo ab Ecclesia pulsum fuisse, & nunquam postea precibus obtinere potuisse, ut in eam reciperetur. Quare Marcion quum probra suorum concivium diutius ferre non posset, clam secedens Romam se contulit. Quid vero ibi egerit, hisce verbis S. Ephiphanius exponit: " Eo statim ac Marcion pervenit, ad Seniores adiens, qui ab Apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem admitteretur, ab iis frustra petiit. Quamobrem extimulatus invidia, quod non principem illic locum, ac ne Ecclesiæ quidem aditum impetrasset, ad impostoris Cerdonis hæresim confugere in animum induxit.... Palam eos alloquens: cur me, inquit, recipere noluistis? Responderunt, nobis injussu venerandi Patris tui illud facere non licet. Una siquidem fides est, & animorum una consensio, neque contra spectatissimum collegam Patrem tuum quidquam moliri possumus ". Marcion itaque non ad alias Ecclesias, quæ procul dubio sibi erant viciniores, atque commodiores, sed ad Romanam, quamvis multis aliis remotiorem, accessit: ea igitur de causa, semel ac illum cum certa judicii ratione hac in re egisse dicamus, omissis aliis Ecclesiis vicinioribus, ad Romanam longe dissitam suum iter direxisse, merito coniicimus, quia auctoritate illius, ab ea se sententia solvi posse putavit, quam pater ejus Episcopus contra illum dixerat. Hyginus e vivis jam decesserat, quando Marcion Romam pervenit. Romanus autem clerus in

(1) Vide lib. 7. *De Concordia Sacerd.*, *& Imper.* cap. 3. num.
(2) Vide *Dissert. Apologet.* pro S. Hilario par. 1. cap. 15.

in ſuam eum communionem recipere noluit, atque dixit, nihil ſe contra patrem illius ſtatuere poſſe. Verum poſtea Marcion fraude, atque ſimulatione, uti coniicere licet, ab aliquo illorum Pontificum, qui Hygino proxime ſucceſſerunt, conſequutus fuit, quod petebat. Sicuti ex Tertulliano novimus in libro *De præſcriptionibus* cap. 30.; in quo hæc leguntur: " Conſtat (Marcionem, ac Valentium) neque adeo olim fuiſſe, Antonini fere principatu, & in Catholicam primo Doctrinam crediciſſe apud Eccleſiam Romanenſem ſub Epiſcopatu Eleutherii benedicti. Ob inquietam illorum curioſitatem, qua fratres quoque vitiabant, ſemel, & iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis ſeſtertiis, quæ Eccleſiæ intulerat, noviſſime in perpetuum diſcidium relegati, venena doctrinarum ſuarum diſſeminarunt. Poſtmodum Marcion pœnitentiam confeſſus, quum conditioni ſibi datæ occurrit, ita pacem recepturus, ſi ceteras quoque, quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte præventus eſt". Marcionem rogaſſe ſeniores Eccleſiæ Romanæ, ut ad ſuam communionem ſeſe admitterent, ac *principem locum* ſibi darent, apud Epiphanium citato loco teſtatum habemus, qui etiam affirmat, Marcionem, quia obtinere non potuit, quod volebat, ad impoſtoris Cerdonis hæreſim confugere, in animum ſibi induxiſſe. Admiſſum tamen in Romana Eccleſia ad communionem Marcionem fuiſſe, Tertullianus tradit. Nam eum & *in Catholicam primo doctrinam credidiſſe apud Romanenſem Eccleſiam* affirmat, deinde poſtmodum *ob inquietam curioſitatem ejectum* fuiſſe teſtatur una *cum ducentis ſeſtertiis*, *quæ Eccleſiæ intulerat*. Hæc autem evidenti argumento eſſe debent, Marcionem tandem obtinuiſſe, quod petebat. Quandoquidem Catholicam fidem in ea Eccleſia quis profiteri dicitur, de cujus communione gaudet; ab ejus deinde Eccleſiæ communione ille non ejicitur, qui in ea ad communionem antea admiſſus non fuerit: poſtremo ſemel ac Eccleſia quamdam pecuniæ quantitatem ab aliquo recipiat, illamque ei a ſe expulſo reſtituat, dubitari non poteſt, hujuſmodi homi-

mi-

minem ab illa Ecclesia ad sui communionem admissum fuisse.

At, inquies, quomodo fieri potuit, ut Marcion in Romana Ecclesia ad communionem admissus fuerit, si seniores Ecclesiæ Romanæ, hoc se facere non posse dixerunt injussu Episcopi patris ejus? Quæ post Synodales litteras Concilii Sardicensis subdit S. Hilarius *ex Opere Historico* Fragmento 2. num. 19. de Valente, & Ursacio, deque venia iisdem a Julio data, animadverti debent. Ita ergo habet: „Quam opportunitatem nacti Ursacius, & Valens, Romanæ plebis Episcopum adeunt: recipi se in Ecclesiam deprecantur, & in communionem per veniam, admitti rogant. Julius ex consilio veniam, quam orabant, impertit, ut cum lucro Catholicæ Ecclesiæ vires quoque detraheret Arianis, quum eos, qui veritatem antea turbaverant, consilii hujus, & audaciæ pœnitentes, in communionem Catholicam per veniam reconciliatæ pacis admitteret". Ex his autem Christianus Lupus suorum operum tom. 8. Dissert. 1. *De Romanis appellat*. cap. 18. animadvertit, „Duplicem lapsi, etiam Clerici, ac Episcopi, reparandi formam esse antiquissimam: nempe reparationem per justitiam, & reparationem per dispensatoriam gratiam". Reparationem itaque *per dispensatoriam gratiam* ab aliquo ex Pontificibus, qui Hygino successerunt, Marcion postea consequutus fuit. Unde vel Pius, vel Anicetus, vel Soter, qui Eleutherium, sub quo Marcion ab Ecclesia Romana ejectus fuit, præcesserunt, & Hygino successere, hanc indulgentiam cum Marcione adhibuerunt.

Ex hoc autem constat, quam longe a vero sententia illorum abludat, qui Marcionem ideo a Romano clero rejectum fuisse affirmant, quia Ecclesia tunc temporis usque ad Zephyrinum hæc tria crimina, Idololatriam, Homicidium, & Mœchiam Christi Domini judicio remittebat, eosque, qui illa admisissent, neque in mortis periculo constitutos absolvebat (1). Nam quamvis Marcion Mœchus esset, multo ante Ze-

(1) Præter alios etiam Christianus Lupus supra citatus huic responsioni subscribit.

Zephyrini tempora pacem in Ecclesia Romana receperat. Id modo nos adnotasse sufficiat: neque enim instituti nostri ratio patitur, ut hac de re agamus. Nobis certe, quamvis nonnulli eruditi viri contra sentiant, omnino persuasum est, nullo unquam seculo in Ecclesia beneficium absolutionis denegatum fuisse iis, qui in extremo periculo mortis versabantur, quodcumque tandem crimen admisissent, quemadmodum Cl. Orsius pluribus jam ostendit (1).

§. II. Intra illud spatium annorum, quo S. Fabianus Ecclesiæ præfuit, hoc est, ab anno 236. usque ad annum 251., Privatus Lambesitanus in Numidia Episcopus ad Sedem Romanam appellavit.

„ Per Felicianum significavi tibi, (inquit S. Cyprianus „ epist. 55. ad Cornelium) frater charissime, venisse Cartha- „ ginem Privatum, veterem hæreticum, in Lambesitana co- „ lonia ante multos fere annos ob multa, & gravia delicta „ nonaginta Episcoporum sententia condemnatum, antecef- „ sorum etiam nostrorum Fabiani, & Donati litteris severissi- „ me notatum; qui quum causam suam apud nos in Conci- „ lio, quod habuimus idibus Maiis, quæ proximæ fuerunt, „ agere se velle diceret, nec admissus esset, Fortunatum istum „ sibi Pseudoepiscopum dignum collegio suo fecit ". De hoc Privato Lambesitano hæc habet etiam Romanus Clerus ep. 30. ad Cyprianum: " Quod autem pertinet ad Privatum Lambe- „ sitanum, pro tuo more fecisti, qui rem nobis tamquam „ sollicitam nunciare voluisti. Omnes enim nos decet pro „ corpore totius Ecclesiæ, cujus per varias quasque provin- „ cias membra digesta sunt, excubare. Sed nos etiam ante „ litteras tuas fraus callidi hominis latere non potuit. Nam „ quum antehac quidem ex ipsius nequitiæ cohorte venisset, „ vexillarius Privati futurus, & fraudolenter litteras a nobis „ elicere curaret, nec quis esse latuit, nec litteras, quas „ volebat, accepit ". Privatus ergo Episcopus Lambesitanus ob sua gravia crimina in Lambesitana colonia a nonaginta Episcopis damnatus, ad Donatum Episcopum Carthaginen-

 sem,

(1) Dissertatione Historica singulari.

sem, Primatem totius gentis, primo provocavit, deinde ad S. Fabianum Summum Pontificem: verum, sicuti inquit S. Cyprianus, *antecessorum nostrorum litteris gravissime notatus fuit*, hoc est, Donati, qui sui, & Fabiani, qui Cornelii, ad quem scribebat, antecessor fuit. At vero, sicuti Hallier *de Hierarchia Ecclesiastica* lib. 4. cap. 2. recte animadvertit: „ Ad quid Romani Pontificis judicio iterum damnarentur, „ qui ab Africanis damnati essent, nisi ejus sententia potuis- „ sent absolvi "? Martyrio e vivis sublato S. Fabiano, & nondum altero suffecto in locum illius, Privatus quod a Fabiano obtinere non potuerat, a Clero Romano extorquere tentavit. Id vero quum Cyprianus prænovisset, de causa Privati eum certiorem fecit; Clerus autem Romanus illi respondit, fraudes callidi hominis sibi esse perspectas. Quare semel ac iterum Privatus ad Romanam Ecclesiam appellavit, & quidem jam condemnatus judicio nonaginta Episcoporum, & Donati Episcopi Carthaginensis, Primatis totius illius gentis.

§. III. Ex iis, quæ in causa Fortunati, & aliorum Stephanum inter & Cyprianum contigerunt, Petrus de Marca, & cum eo Quesnellus falso contendunt, judicia ecclesiastica uniuscujusque provinciæ fuisse *supremæ auctoritatis*.

„ Cyprianus (inquit Petrus de Marca *de concord. Sacerd.*, „ *& Imper.* lib. 7. cap. 1. num. 3.) quum ex sententia Conci- „ lii sui e communione rejecisset quosdam Clericos, & quem- „ dam Pseudoepiscopum hæreticorum, irascitur adversus „ Cornelium Romanum Episcopum, quod quum illi Romam „ accessissent, hæsitasset aliquantulum Pontifex, an eos in „ communionem reciperet. Hanc ob rem Cyprianus apud „ Cornelium aperte disserit jura Episcoporum uniuscujusque „ provinciæ, quæ in eo versantur, ut ad eos pertineat discus- „ sio, judiciumque causarum, & regimen gregis, rationem „ administrationis suæ Deo reddituros. Neque licere Romam, „ aliove appellare. Neque enim minorem esse auctoritatem „ Episcoporum Africanorum, quam reliquorum. Damnatos „ porro, si ad Cyprianum accedere voluerint, auditurum se „ lubenter, & pœnitentiam eorum amplexurum, si crimine

„ ullo

„ ullo fuerint involuti “. Hæc vero ex epist. 55. S. Cypriani ad Cornelium in medium adducit. “ Post ista navigare au-
„ dent & ad Petri Cathedram, & ad Ecclesiam principalem,
„ unde unitas Sacerdotalis exorta est, a prophanis, & schisma-
„ ticis litteras ferre. *Infra*. Nam quum statutum sit omnibus
„ nobis, & æquum sit pariter, ac justum, ut uniuscujusque
„ causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis
„ pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat unusquis-
„ que, & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus,
„ oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursa-
„ re, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola,
„ & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam,
„ ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint;
„ nisi si paucis desperatis, & perditis minor esse videtur au-
„ ctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam
„ de illis judicaverunt. *Infra*. Jam causa eorum cognita est:
„ jam de eis dicta sententia est. *Infra*. Si judicium nostrum
„ voluerint experiri, veniant. Denique si qua illis excusa-
„ tio, & defensio potest esse, videamus, quem habeant
„ satisfactionis suæ sensum, quem afferant pœnitentiæ
„ fructum “.

Nonnulla ex istis etiam Quesnellus *Differtat.* 5. *Apologetica pro S. Hilario Arelaten.* par. 1. cap. 16. in medium adducit, ut evincat, saltem tacite, nullum jus Summo Pontifici inesse recipiendi eas appellationes, quæ ab aliis Ecclesiis ad ipsum factæ fuerint. Quemadmodum enim Ballerinii fratres *in Observationibus* in 1. par. citatæ Dissertationis cap. 4. num. 9. animadverterunt: “ Quisquis eam (hoc est istam Dissertatio-
„ nem) attente legerit, non pauca inspersa deprehendet,
„ quibus, dum ille omnem consuetudinem in appellationibus
„ Gallicanis Leoni defuisse ostendere suadet, nullum præ-
„ terea jus Pontifici fuisse non obscure insinuat “.

At vero ex his, quæ intercesserunt Cornelium inter & Cyprianum in causa Fortunati, & aliorum, tantum abest, ut id quod Petrus de Marca, & Quesnellus volunt, colligi possit, quin potius, si non omnino distincte, sicut nonnulli

volunt (1), saltem maxima cum probabilitate contrarium coniiciatur. Rem totam diligentius expendamus. Postquam Fortunatus, unus ex quinque Presbyteris, qui priori anno sententia Episcoporum damnati fuerant, a schismaticis, qui Felicissimo adhærebant, Episcopus Carthaginensis ordinatus fuit, cum suis litteris Felicissimum Romam ad Cornelium misit. Cornelius autem primo quidem Felicissimum *vigore pleno* sicut inquit Cyprianus (2), ab Ecclesia ejecit: postea tamen *minis, atque terroribus eorum, qui venerant, aliquantum commotus fuit* (3). Duas ergo ipse ad Cyprianum epistolas dedit: in priori Felicissimum a se ejectum esse Cyprianum monebat, in altera vero se graviter *commotum minis, & terroribus eorum, qui venerant*, quoniam *cum summa desperatione* comminati fuerant, *quod si litteras, quas attulerant, non accepisset; publice eas recitarent, & multà turpia, ac probrosa, & ore suo digna proferrent*: ultimo tandem cum Cypriano conqueritur, quod de tota causa Fortunati se antea certiorem non fecisset (4). Hic autem, antequam ultra progrediamur, est advertendum 1. Cornelium in duabus epistolis ad Cyprianum nunquam innuere hujus causæ judicium ad se non pertinere: 2. in altera epistola Cypriano significare timorem, qui ob minas sibi intentatas incutiebatur: 3. cum Cypriano conqueri, quod se antea de causa Fortunati certiorem non fecisset. Si autem cognitio hujusmodi causæ ad Cornelium non spectasset; id ipse per se fateri debuisset, neque fuisset, cur aut aliquo timore concureretur ob minas sibi intentatas, aut Cypriano exprobraret, quod de Fortunati causa se antea certiorem non fecisset. Hæc sane in personam illius cadere non poterant, cujus nullo modo erat ferre judicium de ea causa, de qua agebatur. Rursus: qua tandem ratione Fortunatus ad Cornelium scribendum censuit, si ferre judicium de illa sententia, quæ contra se in Africa lata fuerat, ad eum non spectabat? quomodo Felicissimus, & alii tam solliciti fuerunt, ut Cornelius Fortunati litteras reciperet? Nunc de Cypriano videamus. Cypria-

(1) Vide Christianum Lupum *Synod. General.* tom. 8. Differt. 2. c. 17.
(2) Epist. 55. ad Cornelium. (3) Cyprianus cit. loco. (4) Ibid.

Cyprianus itaque in sua responsione ad alteram Cornelii epistolam, nequissimorum hominum audaciam nullo modo timendam esse pluribus Sacræ Scripturæ locis confirmat: deinde quam ob causam de Fortunati condemnatione ad eum antea non scripserit, Cornelio exponit: postremo quæ sua in hoc toto negotio de Lapsis, quæ schismaticorum ratio fuerit, diligenter describit. His autem Cornelium non solum id judicii, quod ei non conveniret, sibi usurpasse nullo modo præsefertur, sed etiam manifeste innuitur, in causa Fortunati illo jure usum fuisse, quo potiebatur (1). Post hæc Cyprianus illis verbis, quæ Petrus de Marca pro se in medium adducit, graviter carpit audaciam eorum, qui ad Petri Cathedram, & ad Ecclesiam principalem navigare auserant, atque ad eamdem ferre litteras a prophanis, & schismaticis sibi datas: nam, uti ipse inquiebat, *si quod fecerant, adhuc illis placebat, in suo scelere perseverabant: si autem non placebat; quo reverti deberent, non ignorabant*. In hoc quoque nihil occurrit, quod faveat adversariis. Nam quum schismatici illi, de quibus S. Cyprianus loquebatur, de suo crimine manifeste convicti fuissent, atque certo judicio condemnati, præter omnem sane rationem ad Romanam Ecclesiam appellaverant. In his ergo, quæ sequuntur, tota difficultas posita esse videtur, hoc est in istis: *Nam quum statutum sit &c.* Verum ea ita accipi debere, ut Cyprianus apud Africanos statutum intellexerit, etiam exclusa Apostolica Sede, crimen illic tantum audiri oportere, ubi commissum fuerit, ea tota ratio non patitur, quam Cornelium, ad Cyprianum dum scriberet, quamque Cyprianum, ad Cornelii difficultates dum responderet, servasse usque modo animadvertimus. Id autem vel maxime inde colligi debet, quia, sicuti est jam explicatum a nobis (2), in hac eadem epistola ad Cornelium S. Cyprianus Privatum Lambesitanum condemnatum commemorat tum a Donato suo prædecessore, tum a S. Fabiano Cornelii prædecessore. Quapropter audacia schismaticorum Cyprianus graviter commotus, eorumque pervicacia vehementer

(1) Vide cit. epist. (2) Præced. §.

ter exagitatus, quod licet de aperto suo crimine omnino convicti, non solum ad Ecclesiam Romanam appellassent, sed etiam, uti ipse inferius subdit, *foris per provinciam circumveniendis fratribus, & spoliandis pererrassent*; illic crimen audiendum esse, ubi commissum fuerit, absolute pronuntiavit: & hac quidem in causa id fieri oportere dixit, quia, uti inquiebat: " Si eorum, qui de illis priori anno judicave-„ runt, numerus cum Presbyteris, & Diaconibus compute-„ tur, plures tunc adfuerunt judicio, & cognitioni, quam „ sunt iidem isti, qui cum Fortunato nunc videntur esse con-„ juncti ". Quemadmodum enim Ballerinii fratres in suis *Observationibus* ad 1. par. 5. Dissertationis Quesnelli cap. 7. num. 10. animadverterunt, hunc Cypriani locum, de quo agimus, expendentes: „ Novum non est in disputationis „ æstu aliqua verba excidere, quæ aliquanto excedunt, & ni-„ mis probant, quam deberent, a quibus illa adhibentur ". Hoc autem ab ingenio Cypriani alienum non fuisse, ex illa tota quæstione novimus, quæ de hæreticis rebaptizandis inter ipsum, & S. Stephanum fuit.

At quænam revera S. Cypriani sententia fuerit in hac re de qua agimus, adhuc diligentius expendamus. Quum Faustinus Lugdunensis Episcopus Cyprianum monuisset, Marcianum Episcopum Arelatensem sese Novatiano conjunxisse, & *sine spe pacis, & communicationis* lapsos relinquendos, atque deserendos esse tueretur, ipse Cyprianus Stephanum rogandum a se esse duxit, ut Galliæ Episcopis scriberet, ne ultra in sua communione Marcianum retinerent, immo ad provinciam, atque plebem Arelatensem litteras daret, quibus Marciano ab Episcopatu deposito, in locum ejus alter substitueretur: " Quapropter (inquit Cyprianus epist. 67. ad Ste-„ phanum) facere te oportet plenissimas litteras ad Coepisco-„ pos nostros in Galliis constitutos, ne ultra Marcianum per-„ vicacem, & superbum, & divinæ pietatis, ac fraternæ sa-„ lutis inimicum, collegio nostro insultare patiantur, quod „ necdum videatur a nobis abstentus.... Dirigantur & in „ provinciam, & ad plebem Arelate consistentem a te litte-

„ ræ,

„ ræ , quibus abstento Marciano , alius in locum ejus substituatur “ . Esse ergo Romani Pontificis pro sua auctoritate Episcoporum judicia moderari , Cyprianum existimasse dicendum est ; alioquin non fuisset , cur Stephanum rogaret , ut in hanc formam ad Galliæ Episcopos , & provinciam , ac plebem Arelatensem scriberet , sed ipse per se rogare eos poterat , ut id facerent , quod faciendum esse putabat : eo vel maxime , quia sicuti in hac epistola ipse testatur , semel , ac iterum de hac Marciani Episcopi perversitate monitus fuerat .

Plura Novatores commentos fuisse , ut ex hoc Cypriani loco haud esse perspectam evincerent supremam illam auctoritatem Romani Pontificis , de qua nunc loquimur , me non latet , atque etiam Fellum in sua editione Operum S. Cypriani in Adnotationibus ad citatam epistolam contendisse , ex Cypriani verbis colligi oportere , Romanum Episcopum Carthaginensi subjectum fuisse : at quod volunt , fingere sibi possunt , non vero ejus , quod dicunt , ullam , vel levissimam conjecturam afferre . Nimis enim ex Cypriani verbis perspectum est , id eum in Romano Pontifice agnovisse potestatis , qua Episcoporum judicia moderaretur .

Id sane etiam Launojum perspexisse videtur ; indeque quem solvere non potuit , nodum secavit . In libello enim hac de epistola scripto id ostendere aggressus fuit , eam revera Cypriani non esse . Verum ejus commenta Pearsonius ad an. Christi 264. num.6. & seq. *in Annalibus Cyprianicis* solide refutavit ; & Stephanus Baluzius in Adnotationibus ad hanc epistolam Cypriani præclare diluit , quæ ille tum ex diversa loquendi ratione a Cyprianica , tum ex silentio veterum opposuit , atque multiplicitate Codicum ostendit , eam non esse Cypriani , nullo modo dubitari posse . Rem ergo ab aliis jam præclare actam , atque etiam ab instituto nostro alienam non est , cur modo agamus .

§. IV. Sub Pontificatu Stephani , hoc est , intra annum 253., & 257. , Basilides Asturicensis in Hispania Episcopus ad Romanam Sedem appellavit .

Hujus

Hujus rei S. Cyprianum testem locupletissimum habemus in *Synodali Rescripto* ad Episcopos Hispaniæ, sicuti in epistola 68. ejusdem Cypriani legitur. "Quum in unum con„ venissemus, (inquit Cyprianus nomine ceterorum Episco„ porum Africanorum) legimus litteras vestras, fratres di„ lectissimi, quas ad nos per Felicem, & Sabinum Coepi„ scopos nostros pro fidei vestræ integritate, & pro Dei ti„ more fecistis, significantes Basilidem, & Martialem libel„ lis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum „ conscientia vinctos, Episcopatum gerere, & sacerdotium „ Dei administrare non oportere; & desiderastis rescribi ad „ hæc vobis, & istam pariter, ac necessariam sollicitudinem „ vestram vel solatio, vel auxilio nostræ sententiæ subleva„ ri". His autem significat Cyprianus Hispaniæ Episcopos certiorem se fecisse de criminibus a Basilide, & Martiali patratis, unaque exquisivisse, utrum illis permittendum esset, ut Episcopatum gererent, & sacerdotium Dei administrarent. Cyprianus itaque, facta prius mentione illorum criminum, ob quæ cum Martiali, & Basilide nulla communio habenda esset, approbat Sabini ordinationem in locum Basilidis, eamque ratam habendam esse dicit quamvis Stephanus malo dolo deceptus Basilidem in Episcopatum reposuisset: „ Nec (inquit) rescindere ordinationem jure perfectam po„ test, quod Basilides post crimina sua detecta Romam per„ gens, Stephanum collegam nostrum longe positum, & ge„ stæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret „ reponi se injuste in Episcopatum, de quo fuerat juste de„ positus. Hoc eo pertinet, ut Basilidis non tam abolita „ sint, quam cumulata delicta, ut ad illa superiora peccata „ ejus fallaciæ, & circumventionis crimen accesserit. Ne„ que enim tam culpandus est ille, cui negligenter obre„ ptum est, quam hic execrandus, qui fraudolenter obre„ psit. Obrepere autem si hominibus Basilides potuit, Deo „ non potest". Basilides igitur sententia suorum ab Episcopatu depositus Romam perrexit, ut Stephani decreto in eum Episcopatum restitueretur, a quo depositus fuerat. Quoniam vero

vero id, justitia sibi patrocinante, consequi non poterat, ad dolum, calumniasque confugit, iisque Stephanum in suam sententiam traxit. S. Cyprianus nullam quidem rationem hujusmodi restitutionis a Stephano factæ habendam esse duxit: verum ita putavit, quia fraudolenter a Basilide Stephano obreptum fuerat. Unde non tam Stephanum esse culpandum dicit, cui negligenter obreptum fuisset, quam Basilidem execrandum, quia fraudolenter obrepsisset. Duo ergo ex hac epistola S. Cypriani simul habemus, hoc est, & Basilidem ab Hispanis Episcopis ab Episcopatu depositum ad Cornelium Romanum Pontificem appellasse, & neque ab Hispaniæ Episcopis, neque a S. Cypriano contra jus appellandi a judicio Episcoporum ad Romanum Pontificem reclamatum fuisse. Nam, sicuti ex citata S. Cypriani epistola novimus, plura sane sunt, de quibus Episcopi Hispani Basilidem apud Cyprianum æquo jure accusarunt; crimini tamen ei dedisse nunquam legimus, quod ad Stephanum appellasset, atque ita judicium eorum subterfugere contendisset. Immo quum Episcopi Hispani Basilidem ab Episcopatu jam deposuissent, elegissentque Sabinum in locum ejus, postea vero accepissent Basilidem a Stephano in pristinum Episcopatum fuisse restitutum, a Cypriano quæsierunt, quemadmodum ex Cypriani responsione constat, utrum Sabini facta ordinatio rescindi oporteret. Id autem evidenti argumento esse debet, jus appellandi a judicio Episcoporum ad Romanum Pontificem, Hispanos Episcopos admisisse, solumque de eo dubitasse, utrum sententiæ Stephani acquiescendum esset; quia illi a Basilide obreptum esse constaret. Simili ratione Cyprianus Basilidi nunquam crimini vertit, quod ad Stephanum appellasset, sed solum propter fraudes, quibus in hujusmodi appellatione usus esset, nullam ejus rationem habendam pronuntiavit. Quid vero Hispanis Episcopis & ad retundendam audaciam Basilidis, & ad magis magisque semper probandam ordinationem Sabini in locum ejus a se factam; quid etiam S. Cypriano, & ad comprobandam tum depositionem Basilidis, tum ordinationem Sabini in locum ejus,

magis obvium, atque etiam ſimul efficax occurrere poterat, quam recogitare, atque ſimul etiam Baſilidi exprobrare: eum in Epiſcopatum eſſe illius auctoritate reſtitutum, qui nulla ad hanc rem contra præcedens judicium auſtoritate valebat? Hoc ergo quum non fecerint, ſed & facinora Baſilidis, & proptes dolos ejus ad deceptionem Stephani ſemper reſpexerint, ne id eos non vidiſſe dicamus, quod nullus non videre non poterat; eſt ſane exiſtimandum, tum Epiſcopos Hiſpanos, tum S. Cyprianum, ut rem certam habuiſſe illud jus, quo & a judicio Epiſcoporum ad Sedem Apoſtolicam Baſilides appellavit, & judicium Epiſcoporum auctoritate Apoſtolicæ Sedis, quamvis injuria propter fraudes ipſius Baſilidis, reſciſſum fuir. Unde etiam ex hac appellatione conſtat, tum Hiſpanos Epiſcopos, tum ipſum Cyprianum, quemadmodum ſupra oſtendimus, Sedi Apoſtolicæ tribuiſſe jus recipiendi appellationes a judicio Epiſcoporum.

§. V. In cauſa Athanaſii ſub Julio Romano Pontifice, antequam Sardicenſe concilium celebraretur, ad Sedem Apoſtolicam appellatum fuit tam ab iis, qui innocentiam Athanaſii calumniabantur, quam ab aliis, qui eam defendebant.

Antequam nunc, & in ſequentibus evincere aggrediamur, in cauſa Athanaſii ex Oriente ad Sedem Apoſtolicam appellatum fuiſſe, eſt illud advertendum a nobis, ad veram appellationem neceſſarium eſſe, ut in ea a judicio inferiori ad ſuperius judicium provocetur: ceterum, ſive hæc provocatio ab eo fiat, qui ab inferiori judice injuriam paſſus eſt, paſſumve ſe eſſe arbitratur, vel a duobus judicibus inferioribus contra ſe invicem ad judicem ſuperiorem, nihil ad veram appellationem refert. Immo hoc alterum dum contingit, præſtantioris appellationis certum argumentum habemus. Tunc enim ad judicium alterius iidem ipſi provocant, quibus judicandi eſt conceſſa poteſtas, ac propterea appellatio præſtantior eſt, appellantium habita ratione. Hinc vero eſt, ut ſi plures Eccleſiæ Præſules ex una parte judicium de re aliqua tulerint, atque ex altera alii Præſules judicio illorum in ſua definitione ſeſe oppoſuerint, tum iſti, tum illi ad ſuperiorem judicem pro-
vo-

vocent, ut ultimam ipse sententiam ferat; talis profecto appellatio tunc habetnr, quæ propter appellantium personarum dignitatem, atque auctoritatem ceteris sit præcellentior. Hujusmodi vero est ea appelllatio, de qua nunc agimus.

Quæ, & quanta sint, de quibus Eusebiani in Tyrio conciliabulo Athanasium insimulaverint, quaque temeritate illum ab Episcopatu deposuerint, ex ea epistola *Synodica* perspectum habemus, quam Alexandrina Synodus cogregata ex Ægyto, Thebaide, Lybia, & Pentapoli, scripsit ad omnes Episcopos Ecclesiæ Catholicæ, quam legere est apud Athanasium in 2. *Apologia*. Sicuti vero ex hac epistola constat Synodum Tyriam, solus Constantinus, suadentibus Eusebianis, convocavit, uti etiam Socrates *Ecclesiast. Hist.* lib. 1. cap. 20., Theodoritus lib. 1. cap. 28. & 29., & Sozomenus lib. 2. cap. 24. referunt; ita etiam certo compertum habemus, Episcopos Ægypti, Thebaidis, Lybiæ, & Pentapolis, Alexandriæ simul in unum convenisse, ut Eusebianorum calumnias contra Athanasium refutarent.

Tam vero Eusebiani, quam Synodi Alexandrinæ Patres post judicium, quod illi contra Athanasium, isti pro Athanasio tulerant, ad Julium scripserunt, eumque de illis, quæ a se decreta fuerant, nulla alia profecto de causa certiorem fecerunt, nisi ut ipse suo judicio ultimam de Athanasii causa sententiam ferret. Eusebiani quidem fucum Julio facere contenderunt, indeque Julius eisdem exprobravit, litteras, qúas ad se dederant, pugnare inter se, & priores cum secundis nulla ratione consentire; verumtamen & ipsi quoque ad Julii judicium appellarunt; alioquin nulla causa fuisset, cur hac de re ad Julium scriberent in defensionem eorum, quæ gesserant. Appellarunt & Alexandrini Patres, & quidem tum isti, tum illi contra se invicem, seu contra oppositum judicium a se latum. Hæc constant ex epistola 1. Julii data ad Eusebianos(1): nam in ea num. 9. ita Julius habet: " Quod autem „ non temere, vel injuste Episcopos nostros Athanasium, & „ Marcellum ad communionem susceperimus, tametsi ex supra-

(1) Apud Coustantium in collect. epist. Rom. Pont. epist. 1.

„ prædictis id satis planum est; operæ tamen pretium fuerit „ paucis verbis vobis demonstrare. Contra Athanasium scripserunt primo Eusebiani, & socii, scripsistis & vos modo. „ Pro Athanasio autem complures Episcopi ex Ægypto, & „ aliis provinciis scripserunt. Primo igitur observandum est, „ vestras adversus illum litteras inter se pugnare, & priores „ cum secundis nulla ratione consentire; sed in multis primas a secundis confutari, & secundas a primis falsi argui. Dehinc si vestris litteris fidem haberi postulatis; consentaneum est & iis, qui pro illo scripserunt, fidem non „ negare: maxime quia vos de iis, quæ quidem procul a vobis gesta sunt, scribitis; illi vero quum in ipsis essent locis, ubi & virum ipsum, & res illic gestas viderunt, scribant, & vitæ ejus probitatem testentur, affirmantes eum „ calumniam in omnibus passum esse". Alia deinde plura recenset, quibus Athanasii innocentiam sibi omnino perspectam esse, & perfidiam accusatorum probe cognitam testatur, posteaque num. 13. ita concludit: "Hæc quum ita dicerentur, & tot testes pro illo starent, totque ipse afferret innocentiæ suæ argumenta, quid, quæso, nobis agendum fuit? aut quidnam aliud postulabat Ecclesiastica regula, nisi ut virum non damnaremus, sed potius reciperemus, & pro vero Episcopo haberemus, quemadmodum „ & habuimus?" Julius igitur postquam mature discussit, quæ ab utraque parte & contra Athanasium, & in favorem ejus afferebantur, Athanasium damnandum non esse censuit, sed recipiendum, & pro vero Episcopo habendum, idque revera fecit. In causa ergo Athanasii ad Julium ii appellarunt, qui judicium de illa tulerant, & tam qui in suo judicio pro Athanasii innocentia steterant, quam alii, qui illam oppugnaverant, suas apud Julium rationes experti fuere. Julius utriusque partis momentis expensis, Athanasium non condemnavit, sicuti Eusebiani fecerant, sed pro vero Episcopo habuit, sicuti Alexandrini Patres habuerant, ac propterea damnavit, quod Eusebiani, approbavit autem, quod Alexandrini Patres in causa Athanasii decreverant.

Quid

Quid ad veram appellationem ultra requiri possit, sane non video, nulloque modo quemquam videre posse arbitror.

§. VI. Quod in Athanasii causa Julius fecit, referri oportere ad quoddam obsequii genus comparatum ad retinendam communionem, non vero esse argumentum Supremæ ipsius Julii jurisdictionis, qua judicia conciliorum Orientalium irrita fecerit, Petrus de Marca contra evidentem historiæ veritatem falso putavit.

Petrus de Marca *De Concord. Sacerd. & Imper.* lib. 7. cap. 4. num. 41. contendit *factum Julii nihil aliud esse, quam velut quoddam obsequii genus ad retinendam communionem*, non vero *a suprema ejus jurisdictione profectum esse, atque illum ea auctoritate cassasse judicia Conciliorum Orientalium*. At in confirmationem eorum, quæ diximus, contra Petrum de Marca, faciunt hæc, quæ leguntur apud Sozomenum *Ecclesiast. hist.* lib. 3. cap. 7. " Quæ quum Eusebius iniquo animo ferret „ (hoc est Athanasium benigne exceptum fuisse) scripsit ad „ Julium, ut ipse judex esse vellet eorum, quæ contra Athanasium decreta fuerant Tyrii. Verum ille priusquam Julii „ sententiam competisset, paulo post Synodum Antiochiæ „ celebratum ex hac luce migravit ". Sozomeno consentit Socrates *Ecclesiast. Hist.* lib. 2. cap. 11. inquiens: " Eusebius „ vero quum quæcumque voluerat, perfecisset, legationem „ misit ad Julium Romanæ Urbis Episcopum, rogans, ut „ causæ Athanasii judex ipse esse vellet, & cognitionem ne„ gotii ad se traheret ". Non solum autem Sozomenus, & Socrates tradiderunt, judicium causæ Athanasii ab Eusebio tributum Julio fuisse; sed etiam ipsum Julium hac in causa Athanasii, & aliorum judicis personam sustinuisse. Nam Sozomenus *Hist. Ecclesiast.* lib. 3. cap. 7. Athanasii, Pauli, Asclephæ, Marcelli, & Lucii facta mentione, ita habet: " Quo„ rum criminationes quum Episcopus Romanus intellexisset, „ & omnes fidei Concilii Nicæni consentientes reperiisset, „ in communionem recepit: & quum propter sedis dignita„ tem cura omnium ad ipsum spectaret, singulis suam Ec„ clesiam

„ clesiam restituit, scripsitque ad Episcopos Orientis, eos-
„ que incusavit, quod, eo inconsulto, de hisce viris judi-
„ cassent, Ecclesiasque perturbassent, quum decretis Nicæ-
„ ni concilii stare nollent". Socrates lib. 2. *Hist. Ecclesiast.* cap. 11. "Athanasius (inquit) post diuturnos labores in Ita-
„ liam pervenit.... Eodem tempore Paulus Episcopus Con-
„ stantinopolis, Asclephas Gazæ, Marcellus Ancyræ, & Lu-
„ cius Hadrianopolis alius ob aliam causam accusati, & Ec-
„ clesiis ejecti, Romæ omnium civitatum facile principis ver-
„ santes, Julium Episcopum Romanum de suo ipsorum sta-
„ tu certiorem faciunt. Ille vero, quoniam Ecclesiæ Roma-
„ næ privilegium præter ceteras obtinebat, litteris suis ad
„ Episcopos Orientis liberius perscriptis, illorum partes tueri
„ studet. In orientem litteras mittit, quo & suus cuique lo-
„ cus restitueretur, & eos, qui illos tenere abjudicaverant,
„ graviter reprehendit. Illi decedunt Roma, litterisque Julii
„ Episcopi confisi ad suas ipsorum Ecclesias redeunt". Judicium ergo de Athanasii causa ab Orientalibus Julio delatum fuisse, ipsumque Julium personam judicis in causa Athanasii, & aliorum Episcoporum revera exercuisse, rescidisseque judicia Orientalium, quatenus Supremi Ecclesiæ capitis jurisdictione pollebat, nimis compertum est.

Quid? Nonne S. Athanasius a Julio vocatus Romam venit, ut suam causam contra Eusebianos, & ipsos quoque a Julio vocatos, ibidem tueretur, idque revera præstitit? Hac sane de re ex Theodorito perspectum est *Ecclesiast. Hist.* lib. 2. cap. 4., in quo ita habet: „Is vero (Julius) Ecclesiasticam
„ legem sequutus, & ipsos (Eusebianos) Romam venire jus-
„ sit, & Athanasium ad dicendam causam evocavit. Et A-
„ thanasius quidem citationi obtemperavit, statim iter arri-
„ puit". Id etiam ipse Julius testatur in citata epist. num. 13. his verbis: "Non enim suo motu, sed accersitus, & litteris
„ nostris acceptis, huc accessit, quemadmodum & vobis lit-
„ teris nostris indicavimus". Ab ipso autem Julio & illud quoqne hoc eodem in loco traditum habemus, Athanasium Romæ degentem strenue suam causam defendisse, ita ut adver-

versarii ejus maximo pudore afficerentur. Profecto non alio jure, quam Supremi Ecclesiæ capitis, tum Athanasium, tum Eusebianos ad causam coram se dicendam Julius vocare potuit: atque hoc quidem jure compulsi Athanasius, & Eusebiani fecerunt, quod sibi Julius constituerat. Quis ergo Febronium *de Statu Ecclesiæ*, cap. 5. §. 9. num. 1. ita absolute pronunciantem feret? " Julius tamquam Judex a partibus „ electus, potuisset Eusebianos ad se vocare, detrectantes „ damnare, atque Athanasium absolvere: neutrum tamen fe„ cit, nec ullum judicium tulit, sed tantum, audita Athanasii „ Apologia, suam cum eo communionem confirmavit, & pro „ Episcopo ipsum habuit ". Mirandum ergo non est, si in hoc Judicio Julius ea potestate, qua pollebat, usus fuerit. Ita enim in fine citatæ epistolæ num. 22. habet. " Nam si „ omnino, ut dicitis, aliqua fuit eorum culpa, judicium „ secundum Ecclesiasticum canonem, nec eo pacto fieri „ oportuit. Oportuit omnibus nobis scripsisse ut ita ab „ omnibus, quod justum esset, decerneretur; Episcopi „ enim erant, qui patiebantur, nec vulgares Ecclesiæ, „ quæ vexabantur, sed quas ipsi Apostoli per se guberna„ runt. Cur autem de Alexandrina potissimum Ecclesia ni„ hil nobis scriptum est? An ignoratis hanc esse consuetu„ dinem, ut primum nobis scribatur, & hinc, quod istum „ est, decernatur? Sane si quæ hujusmodi suspicio in illius „ urbis Episcopum cadebat, ad hanc Ecclesiam scribendum „ fuit. Nunc autem illi, re nobis non indicata, postea„ quam, quod libuit, egere, nos, quibus ea crimina explo„ rata non sunt, sibi demum suffragatores esse volunt. Ne„ quaquam talia sunt Pauli statuta: non hæc fratres tradide„ runt, sed aliena est ista forma: novum hoc institutum. „ Obsecro, bono animo ferte: quæ enim scribo ad publicum „ bonum conferunt. Nam quæ accepimus a B. Petro Aposto„ lo, ea vobis significo, non scripturus tamen, quod nota „ apud omnes ea esse existimem, nisi quæ gesta sunt, nos „ conturbassent ". Anne hic loquendi modus, quo Julius

ad Orientales scribendo utitur, arbitri est, & non illius; qui causæ cognitionem, & judicium non minus ex consuetudine, quam ex certo jure sibi vindicat?

Duo Petrus de Marca in citato loco num. 8. reponit 1. affirmasse Juljum, scribendum fuisse omnibus, *ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur*, ac propterea censuisse causam judicandam fuisse ab omnibus, non a se solo: 2. verba illa Julii: "An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut „ primum nobis scribatur, & hinc quod justum est, de- „ cernatur"? Ad Alexandrinam Ecclesiam tantum referri posse, quia quum in ea antea clerici suum Episcopum Dionysium de hæresi insimulassent, atque apud Apostolicam Sedem accusassent; ipse Dionysius, scripta epistola ad Romanum Pontificem, ab hujusmodi se nota purgavit. Unde illud hic observandum Petrus de Marca monet: "Satis au- „ dacter Julium tribuere consuetudini exemplum semel „ usurpatum".

At vero si ab omnibus, quod justum erat, decerni oportebat; hisce omnibus, quibus judicium causæ delatum fuit, Julius quoque accensendus est. De hoc nemo unquam dubitaverit; alioquin Supremus universæ Ecclesiæ Præsul deterioris conditionis efficeretur, ac Præsules Ecclesiarum particularium: Julius igitur in hac causa non fuit arbiter, sed judex.

Quia ergo ea ætate plerumque Romani Pontifices de negotiis ad se relatis ex sententia cleri, aut Synodorum judicium ferebant (1); hac de causa Julius dixit, scribendum fuisse ad omnes, ut ab omnibus judicium ferretur. Ob Julii tamen sententiam Athanasium in suam sedem restitutum, hujusque rei judicium Julio delatum fuisse, & satis est ostensum a nobis, & infra ulterius contra Dupinium ostendimus.

Ad Alexandrinam autem tantum Ecclesiam referri oportere eam consuetudinem, de qua Julius loquitur, tam falsum

(1) Vide Coustant. in *Præfat.* ad Collect. epist. Rom. Pont. num. 33.

ſum eſt, quam quod maxime. Id autem conſtat ex non interrupto contextu verborum Julii. „ Oportuit (inquit) omnibus nobis ſcripſiſſe, ita ut ab omnibus, quod juſtum eſſet, decerneretur: Epiſcopi enim erant, qui patiebantur, nec vulgares Eccleſiæ, quæ vexabantur, ſed quas ipſi Apoſtoli per ſe gubernarunt. Cur autem de Alexandrina potiſſimum Eccleſia nihil nobis ſcriptum eſt? An ignoratis, hanc eſſe conſuetudinem, ut primum nobis ſcribatur, & hinc quod juſtum decernatur"? Primo ergo Julius ſcribendum fuiſſe ad omnes abſolute affirmat, quia Epiſcopi erant, qui patiebantur, nec vulgares Eccleſiæ, quæ vexabantur. Hos autem Epiſcopos in eadem epiſtola num.18. commemorat dicens: „ Non enim Athanaſius dumtaxat, & Marcellus Epiſcopi huc ſe contulerunt, ac ſecum injuſte actum eſſe conqueſti ſunt: ſed etiam complurimi alii Epiſcopi ex Thracia, Cæleſyria, Phœnicia, & Palæſtina". Quapropter ſi juxta ſententiam Julii ſcribendum fuit omnibus, quia Epiſcopi erant, qui patiebatur, hujus obligationis rationem habendam eſſe dicit, tam ſi Alexandrina Eccleſia ſpectetur, cui Athanaſius præerat, quam ſi aliæ Thraciæ, Cœleſyriæ, Phœniciæ, & Paleſtinæ, attendantur. Secundo Julius conqueritur, quod de Alexandrina *potiſſimnm* μάλιϛα ſcriptum non fuerit ad omnes. At hujuſmodi adverbio *potiſſimum* hoc in loco non ſignificari, de aliis Eccleſiis non oportuiſſe, ut ſcriberetur, ſed de Alexandrina tantum Eccleſia ſcribendum fuiſſe, & quæ modo ex Julio ſuperius dicta expoſuimus, & ipſa communis, atque obvia omnibus loquendi ratio, nullo modo patiuntur. Dum ergo Julius ita habet: „ Cur autem de Alexandrina potiſſimum Eccleſia nihil nobis ſcriptum eſt"? Significat, ſingularem fuiſſe rationem, cur de Alexandrina Eccleſia ſcriberetur. Si autem alia Julii verba: „ An ignoratis, hanc eſſe conſuetudinem, ut primum nobis ſcribatur"? cum illis præcedentibus, quamvis non proximis, conferantur: „ Oportuit omnibus nobis ſcripſiſſe, ita ut ab omnibus quod juſtum eſſet, decerneretur: Epiſcopi enim erant, qui patiebantur, nec vulgares Eccleſiæ, quæ vexabantur", per

se manifestum est, non ad Ecclesiam tantum Alexandrinam, sed etiam ad alias Ecclesias referenda esse. Et re quidam vera ista, " An ignoratis, hanc esse consuetudinem, ut primum „ nobis scribatur "? Julius adjecit, postquam Ecclesiæ Alexandrinæ mentionem habuit, & de ea ob quamdam singularem rationem scribendum fuisse dixit; verum quum absolute pronuntiaverit: " An ignoratis hanc esse consuetudinem, „ ut primum nobis scribatur "? de singulari Ecclesiæ Alexandrinæ nulla facta mentione, atque supra, uti modo dicebamus, absolute definierit, scribendum fuisse, & quia Episcopi erant, qui patiebantur, & non vulgares Ecclesiæ, quæ vexabantur; est sane dicendum, Julium illam consuetudinem, de qua loquebatur, voluisse, ut ad omnes Ecclesias referretur. Id autem jure meritoque voluisse ex iis etiam constat, quæ de appellationibus aliarum Ecclesiarum ad Sedem Apostolicam nos in præcedentibus §§. jam disseruimus. Non erat ergo sane, cur Petrus de Marca tanta confidentia affirmaret: " Satis audacter Julium tribuere consuetudini exemplum semel usurpatum ". Quid? anne Julii maxima probitas, summa peritia Divini juris, atque legum Ecclesiasticarum in ejus epistolis sese quam maxime non prodit? Anne Julio res erat cum viris quibusdam imperitis, qui Ecclesiarum Orientalium consuetudinem non nossent? Anne licet cum viris imperitis ab eo agendum esset, in re tam manifesta, quæ ob illorum oculos obversabatur, eisdem illudere potuisset? At nimius contentionis æstus etiam viros maximos, atque gravissimos, quo ipsi quoque non vellent, quandoque trahit.

§. VII. Is fuit finis appellationis in causa S. Athanasii ad Sedem Apostolicam, ut Eusebiani condemnati fuerint, absolutus vero S. Athanasius, & in sua sede restitutus.

„ Quod autem non temere, (inquit Julius in citata „ epist. num. 9.) vel injuste Coepiscopos nostros Athanasium, „ & Marcellum, ad communionem susceperimus, tametsi „ ex supradictis id satis planum est; operæ tamen pre- „ tium fuerit, paucis verbis vobis demonstrare ". Postea-

quam

quam vero Eusebianis falsitatem, & fallaciam, quibus sibi ipsis contradicebant, exprobravit, num. 13. hæc superaddit: „ Quidnam aliud postulabat Ecclesiastica regula, nisi ut virum „ non damnaremus, sed potius reciperemus, & pro ve„ ro Episcopo haberemus, quemadmodum & habuimus "? Athanasius in *Apologia* 2. *contra Arianos* num. 1. " Enimvero „ quod ad nos spectat (inquit) judicio nullo opus est: judi„ catum enim jam est, non semel, neque bis, sed sæpe„ numero. Primum quidem in nostra Provincia in unum „ coacta ab Epscopis prope centum. Secundo Romæ, quum „ post missas illuc ad Eusebio litteras, quum ipsi, tum nos „ etiam in judicium vocati sumus, congregatique sunt ibi „ Episcopi plus quam quinquaginta. Tertio in magna Syno„ do Sardicæ coacta jussu religiosissimorum Imperatorum „ Constantii, & Costantis: ubi adversarii nostri quasi sy„ cophantæ damnati sunt ". Ejusdem Apologiæ num. 20. „ Congregati demum Episcopi plusquam quinquaginta, quo „ loco Vito presbyter conventus agebat, nos, quum nostram „ defensionem audivissent, ad communionem, & agapen „ admittendos statuerunt: tum adversus illos vehementer in„ indignati, Julium rogarunt, ut hæc, quæ sequuntur, „ Eusebianis, qui ad se litteras miserant, rescriberet ". Hinc vero est, ut Julius in sua epistola num. 8. aperte moneat Eusebianos, quæ scribit non sui tantum nomine, sed etiam omnium Episcoporum Italiæ scribere: " Attamen necessum „ est (inquit) notum vobis facere, etiamsi solus scripserim, „ non ideo mei solius, sed omnium Episcoporum, qui in „ Italia sunt, & qui in his partibus degunt, esse illam sen„ tentiam. Et ego quidem nolui omnes ad scribendum in„ ducere, ne complurimis id grave, & molestum foret. „ Certe jam ad præfinitum tempus Episcopi convenere, & „ ejusdem sententiæ fuerunt, quam denuo his litteris vobis „ significo ". Nihil ultra desiderari posse videtur, quo comcompertum sit, appellationis in causa Athanasii ad Sedem Apostolicam eum finem fuisse, ut Eusebiani damnati fuerint,

Athanasius vero absolutus, atque in suam Sedem restitutus.

§. VIII. Auctoritate Julii Romani Pontificis, non vero Concilii, Athanasius absolutus fuit, ac in suam sedem restitutus, contra ac Dupinius putavit.

Ipse ergo *De Antiqua Ecclesiæ Disciplina* differt. 2. §. 2. contendit, Athanasium non ipsius Julii, sed concilii auctoritate in suam Ecclesiam restitutum; ac propterea dum quod debetur, Romano Pontifici denegat, concilio tribuit, quod non debetur. " Deinde (inquit) non suam (Julius), sed „ concilii a se ad illorum preces congregati jactat auctoritatem, nec dicit, sibi licuisse causam in Synodo terminatam iterum tractare, sed Synodi alicujus acta posse in alia Synodo examinari; quum præsertim Athanasius contra formam judiciorum foret damnatus absens ".

Illud nunc ergo a Dupinio ergo quæro, quamnam tandem auctoritatem Italiæ Episcopi (nam Eusebiani ad Synodum non convenere: quod sane eis Julius sæpius exprobrat) ex se habere potuerint ad sententiam de eo judicio ferendam, quod a plurimis Episcopis Orientalibus latum fuerat. Profecto semel ac canonicas hac de re leges pervertere non velimus, sicuti Episcopi Orientales nullam ex se auctoritatem super ea habent, quæ a plurimis Episcopis Occidentalibus definita fuerint; ita etiam Episcopi Occidentales nulla ex se auctoritate potiuntur suo judicio ea subiiciendi, quæ plures Orientales Episcopi decreverunt. Quod ergo nullo modo debetur, illis quinquaginta Episcopis in Athanasii causa simul congregatis Dupinius tribuit, dum auctoritate eorum Athanasium absolutum, restitutumque in suam sedem esse contendit. Rem ergo totam, quam fieri poterit, paucioribus, expendamus. Ad Julium igitur de causa Athanasii Eusebiani primo scripserunt: ita enim Julius suam Epistolam ad Eusebianos auspicatur (1): " Legi litteras a presbyteris meis, Elpidio, „ & Philoxeno mihi allatas, miratusque sum, quum nos ex „ dilectione, & veritatis conscientia scripserimus, a vobis „ con-

(1) Apud Constantium cit. epist. num. 1.

„ contentiose, nec, ut decebat, scriptum esse ". Ex his vero illud etiam constat, solum Julium, utpote illum, cui Athanasianæ causæ judicium ab Eusebianis delatum fuerat (1), ad Eusebianos antea scripsisse, summaque cum dilectione eos fuisse cohortatum, ut Romam se conferrent, quo facilius omnia componi, & recte constitui valerent: " Decebat enim „ (prosequitur Julius) quæ cum dilectione scripta erant, „ parem cum dilectione, & non cum contentione, responsionem obtinere. An non charitatis indicium est, presbyteros misisse, qui cum dolentibus condolerent, & eos, „ qui scripserant, adhortarentur, ut venirent, quo quam „ primum omnia tandem componi, ac recte constitui vale- „ rent, nec diutius fratres nostri vexarentur "? Una vero cum suis litteris ad Julium Romam Eusebiani miserunt Macarium Presbyterum, Martyrium, & Hesychium diaconos, ut ibi suam causam adversus Athanasium tuerentur. Verum hi Athanasii Presbyteris, qui Romam advenerant, resistere non potuerunt, sed refutati, & convicti fuere, indeque postularunt, ut Synodus indiceretur, atque ad eam tum Eusebiani, tum Athanasius convenirent: " Nam (inquit Julius cit. „ epist. num. 2.) qui a vobis Eusebianis cum litteris missi sunt, „ Macarius videlicet Presbyter, ac Martyrius, & Hesychius „ Diaconi, huc advenientes quum non valerent Presbyteris „ Athanasii, qui huc se contulerant, obsistere, sed in omni- „ bus refutarentur, atque convincerentur, tum a nobis id „ postularunt, ut Synodus indiceretur, litteræque ad Atha- „ nasium Episcopum Alexandriam, nec non ad Eusebianos „ mitterentur, ut coram omnibus justum posset proferri ju- „ dicium ". Quapropter illi ipsi, qui causam Eusebianorum agebant, Julium rogarunt, ut Synodum convocaret, atque ad illam faceret, ut tum Eusebiani, tum Athanasius convenirent. Quo sane constat, eos quoque id juris in Julio agnovisse, de quo nos modo contendimus. Julius ergo illorum petitioni consensit, & tum Eusebianos, tum Athanasium vocavit ad eam Synodum, quam indixit. Verum Athanasius quidem

(1) Hujus cap. §. 7.

dem venit, tamen Eusebiani venire detrectarunt, quin immo se ad Synodum vocatos fuisse, moleste tulere: " Jam vero
" (pergit Julius) quum ii iidem, quos vos ipsi Eusebiani
" fide dignos censuistis, nos rogarint, ut Synodus convoca-
" retur; decuit vocatos non indigne ferre, sed potius ala-
" criter occurrere. Quapropter indignatio eorum, qui hoc
" iniquo animo ferre visi sunt, proterva est: detrectatio vero
" eorum, qui venire noluerunt, inhonesta, & suspecta hinc
" deprehenditur ". Refutat deinde Julius omnes cavillationes, quas Eusebiani in sui excusationem adduxerant, pergitque obiicere illis, quod ad Synodum non venissent, quam *accuratioris disquisitionis causa* ipse indixerat. Hac ergo Synodo habita, ad quam venire Eusebiani recusarunt, quum, quinquaginta Episcopis decernentibus, Athanasius absolutus fuisset, atque in suam sedem restitutus; ideo Julius ad Eusebianos de innocentia Athanasii scribens, inquit (1): " Attamen
" necesse est vobis notum facere, etiamsi solus scripserim,
" non ideo mei solius, sed omnium Episcoporum, qui in Ita-
" lia sunt, & qui in his partibus degunt, esse illam senten-
" tiam. Et ego quidem nolui omnes ad scribendum induce-
" re, ne complurimis id grave, ac molestum foret. Certe
" jam ad præfinitum tempus Episcopi convenere, & ejusdem
" sententiæ fuerunt, quam denuo his litteris vobis significo ".
Quare quum de innocentia Athanasii etiam Episcopi in Synodo simul congregati testimonium reddidissent; ideo non sui solius, sed omnium Episcoporum, qui in Italia sunt, & qui in his partibus degunt, esse illam sententiam, Julius dixit. Quia tamen Julius eam probaverat; ideo æquo jure eadem sententia, & judicium Orientalium contra Athanasium rescissum, & ipse Athanasius absolutus, atque in suam sedem restitutus fuit. Hinc vero est, ut Eusebiani non cum Episcopis, sed cum Julio, quamvis non sine evidenti injuria, conquesti fuerint, quod Athanasii, & Alexandri innocentiam probasset, sicuti constat ex initio epistolæ Julii ad Eusebianos, & ex aliis multis locis ejusdem epistolæ. Si autem, quemadmodum Dupi-

(1) Cit. epist. num. 8.

Dupinius contendit, Athanasius non Julii, sed Episcoporum fuisset auctoritate restitutus, tunc sane, cur cum Episcopis conquererentur, sibi aliquam rationem esse, Eusebiani, licet falso, putare poterant, nullam vero, ob quam cum Julio idem facerent.

Ex his vero constat, quam nullius sit momenti, quod Petrus de Marca superaddit lib.7 *de Concord. Sacerd., & Imper.* cap.4. num.8., hoc est, Julium in fine epistolæ num.22. dixisse: " Oportuit omnibus nobis scripsisse, ut ita ab omnibus, „ quod justum esset, decerneretur ". Nam, uti jam contra ipsum animadvertimus (1), suam eo loci Julius auctoritatem opponit, ejusque testem ipsam consuetudinem appellat, & habita ratione eorum, quæ supra proxime dixerat, scribendum ad omnes fuisse dicit, atque ab omnibus ferendum judicium. Ita vero habuit præcedenti num.22. " Quod si arbitramini „ posse quædam adversus illos probari, & coram eos convin„ ci; veniant quibus id placuerit ... Certiores igitur nos, „ dilectissimi, ea de re facite, quo & illis, & Episcopis huc „ rursus conventuris scribamus: ut, præsentibus omnibus, „ qui rei sunt, convincantur, nec ulterius perturbatio in Ec„ clesiis existat ". Loquitur hoc loci Julius de Italiæ Episcopis, qui jam simul convenerant. An fortasse Petrus de Marca, qui Romano Pontifici denegat, quod debetur, Italiæ Episcopis jus proprium concedendum arbitratur, quo judicia Episcoporum Orientalium suæ sententiæ submittere possint?

§.IX. Ea auctoritate, qua neque potest, neque debet, Petrus de Marca contendit, putasse Orientales in causa Athanasii potestatem Romani Pontificis sua non esse superiorem.

„ In antecessum autem (inquit ipse *de concord. Sacerd.*, „ *& Imper.* lib.7. cap.4. num.1.) adnotandum est, iniquum „ omnino visum fuisse Orientalibus, si Occidentales Episcopi „ etiam in plenario Concilio tentarent retractare judicia „ in Synodis Orientalibus facta, quod eo pacto harum Syno„ dorum auctoritatem violari manifestum esset. Itaque vix „ credi potest, eos ita comparatos fuisse, ut solius Romani „ Ponti-

(1) Præced. §.

„ Pontificis auctoritatem sua superiorem esse confiterentur ; „ præsertim quum schisma adversus illum fecissent, eumque „ ob hoc excommunicassent, quod caput esset eorum, qui „ leges ecclesiasticas pessumdederant : *Ut ducem, & prin-„ cipem malorum, qui primus januam communionis sceleratis, „ atque damnatis aperuit, ceterisque aditum fecit ad solvenda „ Divina jura* “.

At vero auctoritatem istorum, quos vir, ceteroquin eruditus, hoc in loco commemorat, qua ratione tanti facere potuerit, & pro Orientalis Ecclesiæ traditione eam venditare, ut ingenue fatear, numquam assequi potui. Et mihi enim perspectum est, & omnibus Catholicis viris esse debet, schismaticos nullam justam causam sese subtrahendi a subjectione Supremi Ecclesiæ capitis umquam habuisse, ac propterea quæ simul uniti schismatici Præsules contra decreta Conciliorum, statuta Patrum, atque ipsum jus Divinum, impie, ac temere decreverunt, non solum nullo in pretio haberi oportere, sed etiam uti impia, & blasphema, rejicienda. Utrum talia sint, quæ Petrus de Marca pro Orientalium communi sententia venditat, nunc paucis expendamus.

Quemadmodum ex Ecclesiastica historia compertum habemus, Sardicensi Concilio occasionem dederunt calumniæ Eusebianorum contra S. Athanasium, Marcellum Ancyranum, & Asclepam Gazensem toties repetitæ, & lata ab illis judicia contra istos : variæ quoque querelæ Eusebianorum, quas adversus Julium ipsi spargebant, quia Athanasium absolvisset, causa fuerunt, cur Synodus Sardicensis celebraretur. Consentientibus ergo Imperatoribus tum Orientis, tum Occidentis, hoc est, Constantio, & Constante, indicta Synodo, ad eam cum Orientalibus non solum Athanasius, & ceteri omnes ab Eusebianis primo damnati, postea a Julio absoluti, convenerunt, sed etiam Orientales Eusebianæ factionis, ut suas accusationes contra Athanasium, & ceteros alios proponerent coram omnibus. Quamvis Eusebiani nihil magis, quam Synodum aversarentur (1) ; tamen quum a Constantio obti-

(1) Præced. §.

obtinuissent, ut Comitem Musonianum, & Eutychium Castrensem sibi socios adjungerent, eorumque potentia freti se in Synodo dominari posse confiderent, ad illam convenere (1). Verum quum postea comperiissent, nullum violentiæ locum futurum in hac Synodo, omniaque secundum ecclesiasticas leges pertractanda esse, atque contra se paratos testes vidissent, quibus de suis calumniis convincerentur; tunc sane in id intenderunt, ut subtrahendi se ab hujusmodi judicio occasionem aliquam captarent. Quum ergo Hosius, & alii Episcopi una secum in Concilio, atque etiam ad celebrationem Divinorum mysteriorum, Athanasium, Marcellum Ancyranum, Asclepam Gazensem, ceterosque ab Eusebianis in Synodo Tyria damnatos, admisissent; hoc satis fuit Eusebianis, ut quod meditabantur, exequerentur. Nulla ergo ratione se cum hujusmodi hominibus communicare posse causati fuere, indeque nocte Philippopolim Thraciæ urbem se contulerunt (2). Sardicensis tamen Synodus habita fuit, suam in ea innocentiam Athanasius vindicavit, vindicarunt qui cum eo accusati fuerant, indeque factum fuit, ut de falsitate calumniarum, quas Eusebiani eisdem affinxerant, omnino constaret. Quapropter decrevere Patres, ut judicia, quæ contra Athanasium, ceterosque Eusebiani tulerant, veluti non lata haberentur, singulique in suum locum restituerentur: Theodorum vero, Narcissum, Stephanum, Georgium, Acacium, Menophantum, Ursacium, & Valentem, primos inter Episcopos Eusebianos, quique post Eusebium fuerant auctores omnium malorum, ab Episcopatu deposuerunt, edixeruntque eos indignos communione, & societate Fidelium (3).

Eusebiani autem numero 80. Philippopoli simul uniti conventiculum celebrarunt, quod Concilium Sardicense di-

(1) Vide Athanasium *Histor. Arianorum* num. 15. (2) Vide Athanasium *Apolog. 1. contra Arianos* num. 37. & 41., & S. Hilarium *ex Opere Histor.* fragmento 3. num. 15. & seq. (3) Vide epistolam Synodicam ad Ecclesiam Alexandrinam, & alteram ad omnes Episcopos, quæ a S. Athanasio in Apologia 2. referuntur.

ctum voluere. In eo sane totum virus suæ impietatis evomuerunt, uti ex ea Synodica epistola constat, quam dederunt ad Donatistas, quamque apud Hilarium *ex Opere Historico* fragmento 3. legere est. Hac ergo in epistola præter alia, quæ nonnisi a schismaticis hominibus prodire potuerunt, illud quoque sancitum legimus, rata haberi oportere, quæ in Tyrio conciliabulo contra Athanasium decreta fuerant, atque a Catholica communione repelluntur Hosius, Protogenes, Athanasius, Marcellus, Asclepas, Paulus, Julius, eisque anathema dicitur. Julium autem impii homines traducunt (1): " Ut principem, & ducem malorum, qui primus „ januam communionis sceleratis, atque damnatis aperuit, „ ceterisque aditum fecit ad solvenda jura Divina ". Hi sane sunt pulchri illi Orientales, quibus iniquum visum fuit, ut etiam in plenario Concilio retractaretur, quod in Synodis Orientalibus definitum foret: sunt sane illi, quos credi non potest, ita fuisse comparatos, ut auctoritatem solius Romani Pontificis sua superiorem esse confiterentur. Horum sane audacia eo usque processit, ut non contenti in Synodo Tyria Sanctissimum Athanasium, atque alios Præsules, & Sacerdotes sese impudentissime fuisse calumniatos, impiamque sententiam in eos dixisse; parum habentes, sese temere aliis Patribus restitisse, qui ad Concilium Sardicense convenerant; nihili facientes in unum contra totam Ecclesiam schismatice convenisse, confirmasseque quæ antea ab eis contra omnia jura impudentissime constituta fuerant; sua hæc omnia scelera hoc altero nequiore insuper cumularunt, ut in Julium, quem Athanasianæ causæ judicem antea constituerant (2), sicuti in principem, & ducem malorum, anathema dicere ausi fuerint. Ab his sane viris testimonium consuetudinis Ecclesiæ Orientalis Petrus de Marca petit: hujusmodi hominum facta in medium adducit, ut de traditione Ecclesiæ Orientalis quoad rem istam, de qua agimus, statuat: ab exemplo istorum, quæ de appellationibus ad Sedem Apostolicam Ecclesiæ Orientalis sententia fuerit, determinare non dubitat. Quisnam umquam credi-

(1) Apud Hilarium cit. Fragmento 3. n. 27. (2) Hujus lib. §. 6.

crediderit, hæc in tantum Præsulem cadere potuisse? Sed cetera prosequamur.

§. X. Qua non potest, neque debet, Petrus de Marca uti auctoritate pergit, ut evincat, certam, & indubitatam Ecclesiasticæ disciplinæ regulam fuisse apud Orientales, res in Oriente judicatas judicio Occidentalium non esse subjectas.

Ipse ergo *de Concord. Sacerd.*, *&* *Imper.* lib. 7. cap. 4. num. 2. ut evincat: "Orientales per illas tempestates regulam „ hanc certam, & indubitatam Ecclesiasticæ disciplinæ esse „ contendisse, res in Oriente judicatas retractari non posse „ in Occidente", appellat ad epistolam Antiocheni Concilii ad Julium, atque in hunc modum prosequitur: "Ita namque „ affirmavit Concilium Antiochenum in epistola ad Julium „ Papam: in qua Episcopi afferunt damnationem Pauli Sa„ mosateni ab Episcopis Orientalibus decretæ, quam Occi„ dens recepit, consensuque suo firmavit absque novo exami„ ne; sicut etiam Oriens recepit, & approbatione sua con„ firmavit damnationem a Synodo Occidentali decretam ad„ versus Novatum. At Julius Papa respondens huic epistolæ „ Concilii Antiocheni, non contradicit absolute, supremam „ esse Conciliorum Orientalium auctoritatem, sed Athanasii „ tantum facto inhæret, explicandoque judicio, quod adver„ sus eum latum fuerat in Synodo Tyria".

Verum enim vero & Eusebiani idem semper opponere non destiterunt, semperque etiam in auctoritate illorum Petrus de Marca contra omnem rationem plurimum reponit, atque ex ea de consuetudine Ecclesiæ Orientalis decernere frustra conatur. Sicuti apud Hilarium *ex Opere Historico* fragmento 3., in quo epistolam Philippopolitani Concilii exscriptam habemus, num. 26. legitur, Eusebiani Philippopoli congregati hæc quoque pro se contra Julium, & Romanam Synodum quinquaginta Episcoporum reponebant: "Non „ enim Ecclesiis consulunt, qui leges, juraque Divina, ce„ terorum decreta dissolvere percontantur. Propterea hanc „ novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus con„ suetudo Ecclesiæ, ut in Concilio Orientales Episcopi quid-

„ quid forte ſtatuiſſent, ab Epiſcopis Occidentalibus refricaretur; ſimiliter quidquid Occidentalium partium Epiſcopi, „ ab Orientalibus ſolveretur. Sed hoc ex illo ſuo praviſſimo „ ſenſu tractabant. Verum omnium Conciliorum juſte, legitimeque actorum decreta firmanda majorum noſtrorum „ geſta conſignant. Nam in urbe Roma ſub Novato, & Sabellio, & Valentino hæreticis factum Concilium ab Orientalibus confirmatum eſt: & iterum in Oriente ſub Paulo „ Samoſatis quod ſtatutum eſt, ab omnibus eſt ſignatum“. Rem vero eamdem Euſebiani Antiochiæ ſimul in unum congregati Julio oppoſuerunt, poſtquam ex ejus litteris acceperunt, Athanaſio, & aliis proprias ſedes reſtitutas fuiſſe: “Quas „ epiſtolas (inquit Sozomenus lib.3. *Eccleſiaſt. Hiſt.* cap. 8.) „ quum illi permoleſte ferrent, Antiochiæ in unum congregati, ſcripſerunt viciſſim ad Julium epiſtolam exquiſita verborum elegantia, & oratorio more compoſitam, plenam „ tamen cavillationis, nec expertem graviſſimarum minarum. Nam in litteris ſuis fatebantur, Romanorum quidem „ Eccleſiam apud omnes magnificam eſſe, quippe quæ jam „ inde ab initio domicilium Apoſtolorum, & pietatis origo, „ ac metropolis extiterit; licet fidei doctores ad eam ex „ Orientis partibus adveniſſent. Non tamen æquum cenſebant, idcirco ſe inferiori loco haberi, quod magnitudine „ Eccleſiæ, & multitudine ſuperarentur: quippe qui virtute, & animi propoſito ſuperiores eſſent. Deinde criminis „ loco obiicientes Julio, quod cum Athanaſio communicaſſet: indignabantur perinde ac ſi ipſorum Synodus contumelia affecta eſſet, & judicium abrogatum. Idque facinus, ut injuſtum, & ab eccleſiaſticis legibus alienum, reprehendebant. His de rebus ita conqueſti, gravique injuria ſe affectos eſſe teſtati, pacem quidem, & communicationem Julio polliciti ſunt, ſi depoſitionem eorum, qui „ ab ipſis fuerant expulſi, & ordinationem illorum, qui in „ priorem locum reſtituti fuerant, admittere voluiſſet. Si „ vero decretis ipſorum reſiſteret, contraria annuntiabant. „ Nam & Epiſcopos Orientis, qui ipſius ætate anteceſſiſſent,

„ neuti-

„ neutiquam contradixisse affirmabant, tum quum Novatia-
„ nus Ecclesia Romana ejectus est“. Hæc autem epistola, quam Eusebiani Antiochiæ simul uniti ad Julium scripserunt, illa sane est, cui Julius ea respondet (1), de qua supra mentionem fecimus, & in qua nonnulla nunc a nobis observanda occurrunt, quæ inferius expediemus.

Iidem ergo ipsi, qui contra Athanasium acta Mareotica confinxerunt, qui in Synodo Tyria eumdem Athanasium contra omnia jura tum humana, tum Divina condemnarunt, modo Antiochiæ, modo Philippoli simul uniti quod antea inique gesserant, summa pertinacia tuentur, impiumque suum facinus adhuc impiori semper cumulant. Nam Antiochiæ dum simul convenerunt, non solum confirmarunt, quæ in Synodo Tyria a se decreta fuerant, sed etiam ad Julium litteras impudentiæ plenas dederunt: Philippopoli autem simul congregati eo quoque temeritatis progressi fuerunt, ut ipsi Julio anathema dicere ausi fuerint. Suam tamen hisce hominibus fidem Petrus de Marca præstare pergit, ab eis testimonium consuetudinis Ecclesiæ Orientalis petere perseverat, eos uti recte tuentes jura Ecclesiæ Orientalis in medium adducit, indeque illorum agendi rationem probare ipse videtur, & rationem, quam Julius tenuit, saltem tacito carpere. Nam Julius foret reprehendendus ex eo quod judicium hujus causæ sibi sumpserit, si verum esset, Eusebianos recte contendisse, judicium ab Occidentalibus de iis causis nullo modo ferri posse, quæ ab Orientalibus judicatæ essent. Quos ergo in scopulos Petrus de Marca suam ut opinionem tueretur, inciderit, nemo, etiam me non monente, non videt.

Neque quispiam putaverit, hanc epistolam, de qua loquimur, ad Julium datam, ab eo Antiocheno Concilio profectam fuisse, cujus Canones universe ab Ecclesia recipiuntur. Non ita sane: iidem enim ipsi eam ad Julium dederunt: (quemadmodum tum ex citato loco Sozomeni, tum maxime ex epistola S. Julii, quæ in 2. Apologia S. Athanasii legitur:) qui

(1) Vide Athanasii *Apologiam* 1. *contra Arianos* num. 21.

qui in Synodo Tyria Athanasio, atque aliis non minus injuste, quam temere anathema dixerant. Quapropter recte est animadversum a duobus Ballerinis fratribus in Appendice ad Opera S. Leonis Magni tom. 3. editionis, quam ipsi faciendam curarunt, par. 25. §.2., duo Antiochena Concilia distingui oportere: unum habitum ab Arianis occasione Encæniorum, quæ Antiochiæ celebrata fuerunt in dedicatione augustissimi templi cura Constantii absoluti, de quo Concilio Athanasius in lib. *de Synodis Arimini*, *&* *Seleuciæ* num. 25. hæc habet: " Porro qui ad Encænia convenerunt Episcopi, nonaginta numero erant, Consulibus Marcellino, & Probino, Indictione 4., quum ibi esset impiissimus Constantius ". Alterum autem celebratum fuit anno 332. dum Episcopi Antiochenæ diœcesis sese Antiochiam contulerunt, ut communi consensu illius Metropolitanæ provinciæ Episcopum consecrarent. Huic Synodo ea omnia conveniunt, quemadmodum ab iisdem duobus sapientissimis fratribus observatum est, quæ adscribuntur Antiochenæ illi Synodo, quæ universe ab Ecclesia recipitur. Ab hac ergo Synodo illa epistola non prodiit, quam Petrus de Marca commemorat: bene vero ab altera, in quam Eusebiani convenerant. Non est ergo dubitandum, quin Eusebiani tantum eam Orientalis Ecclesiæ consuetudinem præsetulerint, ad judicium Occidentalium ea pertinere non posse, quæ in Oriente definita forent.

At enim quales quidem erant, sese Eusebiani cum Julio gesserunt; verumtamen in hoc, quod consuetudine prætendere perstiterunt, non est, cur illis fides detrahatur. Verum illud primo, ego quæro, qua ratione hac in re Eusebiani sibi constiterint: Nam Athanasianæ causæ sententiam Julio antea ipsi remiserant, quamvis de ea in Synodo Tyria judicium jam tulissent (1). Quid? Anne soli Eusebiani id fecerunt? " Contra Athanasium (inquit Julius in ea epistola, in qua respondet ad hanc alteram Eusebianorum Antiochiæ congregatorum, ad quam Petrus de Marca provocat) scripserunt primo Eusebiani, & Socii; scripsistis, & vos modo.

(1) Hujus lib. cap. 6.

„ do. Pro Athanasio autem complures Episcopi ex Ægypto, „ & aliis provinciis scripserunt (1)". Duo vero simul inde constant, hoc est, & Eusebianos, contra id, quod ipsi fecerant, Julio opposuisse consuetudinem Ecclesiæ Orientalis, & Episcopos quoque Ægypti, atque aliarum provinciarum ad Julium in causa Athanasii appellasse. Quomodo ergo fides hac in re adhibenda Eusebianis, si ipsi quoque contra se gesserant, ac ea consuetudo ferret? si contra prætensam consuetudinem Episcopi Ægypti, & aliarum provinciarnm egerunt? Deinde nonne, & illud quoque ex epistola citata Julii num. 2. novimus, Macarium Presbyterum, & Martyrium, atque Hesychium Diaconos, quos Eusebiani Romam ad Julium pro se miserant, ut illud judicium tuerentur, quod ipsi de Athanasio tulerant, quum Athanasii Presbyteris, qui pro innocentia ejus contra pugnabant, resistere non potuissent, petiisse, ut Synodus, & quidem Romæ, haberetur? "Nam „ qui a vobis Eusebianis (inquit Julius) cum litteris missi „ sunt, Macarius, & Hesychius Diaconi, huc advenien„ tes, quum non valerent Presbyteris Athanasii, qui huc „ se contulerant, obsistere, sed in omnibus refutarentur, „ atque convincerentur, tum a nobis id postularunt, ut Sy„ nodus indiceretur, litteræque ad Athanasium Episcopum „ Alexandriam, nec non ad Eusebianos mitterentur, ut co„ ram omnibus justum posset proferri judicium". Iidem ergo ipsi Eusebiani, qui jactabant esse contra consuetudinem Ecclesiæ Orientalis, ut judicia ab ea edita in Occidente examini novo subiicerentur, in causa Athanasii, de qua licet omnino impiam, & injustam sententiam tulerant, non solum ad Julium Romanum Pontificem appellarunt, sed etiam ut Synodus Romæ haberetur, petierunt. Ab hisce tamen testimonium contrariæ consuetudinis Petrus de Marca petit.

Tandem quamvis de numero Patrum, qui Sardicensi Syn odo interfuerunt, certo non constet; tamen ex ea Synodica epistola, quam, peracta Synodo, Patres Sardicenses ad omnes

(1) Epist. 1. num. 9. apud Coustantium in Collect. epist. Roman. Pontif.

omnes Episcopos miserunt, omnino perspectum habemus; plures sane Orientales Episcopos ad Synodum Sardicense convenisse (1). A Sancto autem Athanasio in 2. Apologia num. 1. traditum habemus, plures Episcopos Orientales sibi fuisse suffragatos, & inter ceteros, etiam Ursacium, & Valentem, qui, uti ipse inquit, "Antea quidem me calumniati fue- „ rant, sed postea resipuere. Non solum enim quæ pro nobis „ decreta fuerant, approbarunt, sed etiam se, ceterosque, „ qui nobis adversarii fuerant, sycophantas fuisse, confessi „ sunt".

Verum Julius Papa, inquit Petrus de Marca, "Res- „ pondens huic epistolæ Concilii Antiocheni, non contradi- „ cit absolute, supremam esse Conciliorum Orientalium au- „ ctoritatem, sed Athanasii tantum facto inhæret". Non ita sane. Julius in citata epistola num. 1. Eusebianis exprobravit, eos *contentiose* agere: num. 2. quoad rem istam Nicæni Concilii auctoritatem primo opponit: "Quocirca (inquit) Episcopi „ in magna Synodo Nicæna congregati, non citra Dei consi- „ lium prioris Synodi acta in alia Synodo disquiri permise- „ runt, ut qui judicarent, præ oculis habentes secundum „ futurum esse judicium, cum omni cautela rem expende- „ rent (2). Quod si hujusmodi consuetudinem antiquam sa- „ ne, in magna Synodo memoratam, descriptamque, apud „ vos valere nolitis, indecora fuerit hujusmodi recusatio". Num. 3. ita contra eos hac eadem de re habet: "Si enim, „ ut scribitis, quælibet Synodus firmam habet auctoritatem, „ & contumeliose agitur cum judice, si ejus judicium ab alio „ examinetur; considerate, dilecti, quinam sint, qui Sy- „ nodum inhonorent, & quinam ea, quæ prius judicata „ sunt, rescindant. Et ne singulorum acta expendens, quos- „ dam gravare videar, sane quod postremo gestum est, quum „ sit horrendum auditu, sufficit ad cetera, quæ a me omit- „ tuntur, comprobanda. Ariani a beatæ memoriæ Alexan- „ dro;

(1) Vide epist. Tom. 2. Concil. edit. Venet. colum. 699.
(2) Ad 5. canon. concil. Nicæni Julius appellat, quemadmodum hoc loci Coustantius animadvertit.

„ dro, quondam Alexandriæ Episcopo ob impietatem ejecti, „ non solum a singulis civitatibus expulsi sunt, sed & ab „ omnibus pariter, qui ad Nicænam magnam Synodum simul „ convenerant, anathemate sunt damnati .... Attamen qui „ a toto terrarum orbe rejecti fuerant, & apud universam „ Ecclesiam infamati, nunc recepti dicuntur .... Quinam „ igitur sunt, qui Synodum dedecore afficiunt? nonne qui „ trecentorum Episcoporum suffragia pro nihilo habent, & „ impietatem pietati anteponunt?... Athanasius vero, & „ Marcellus Episcopi plures habent, qui ipsos verbis, scri- „ ptisque defendunt". Num. 4. de quodam Carpone hæc eis opponit. " Nam Carpones quidam ab Alexandro ob Aria- „ nam hæresim pulsus, simul & nonnulli ejusdem hæresis „ causa ejecti, a quodam Gregorio missi huc venerunt". Num. 5. Eusebianis opponentibus exemplum Novati, & Pauli Samosateni ea, quæ contra Concilii Nicæni decreta in causa Arianorum in Oriente gesta fuerant, iterum iisdem, qui Aria- norum fautores erant, obiicit: " Si igitur (inquit) ut scri- „ bitis, eorum, quæ in causa Novati, & Pauli Samosatensis „ gesta sunt, exemplo, Synodorum dogmata vigere oportet; „ certe multo magis decuit trecentorum Episcoporum de- „ creta non irrita fieri: decuit universalem synodum a pau- „ cis non contemni". Non est ergo verum, quod, Eusebia- nis asserentibus, supremam esse conciliorum auctoritatem, Ju- lius non contradicat. " Nunc vero id (ita recte Coustantius „ in Adnotatione ad nunc exscriptum a nobis Julii locum) „ quod in Novatiani causa gestum est, frustra obtendunt Eu- „ sebiani, ut quod ab uno concilio statutum est, ab altero „ minime discutiendum esse approbent. Ipso Eusebio teste: „ *Quum Romæ* (hac de causa) *congregata esset Synodus, quum-* „ *que in provinciis antistites quid agendum esset, seorsim consul-* „ *tassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est, Nova-* „ *tum* (lege Novatianum (*quidem, & eos, qui cum ipso sese* „ *insolentius extulerunt, alienos ab Ecclesia habendos esse*. Quo- „ circa Cyprianus ad Stephanum Papam epist. 1. num. 2. scri- „ bit: *Novatianum nuper refusum, & refutatum, & per totum*

„ *orbem a sacerdolibus Dei* (qui, ut mox dicebat Eusebius, „ *seorsim* in conciliis *consultarant*) *abstentum*. Neque illud ma„ jori fide dignum, quod ajunt, Antiocheni concilii senten„ tentiam adversus Paulum Samosatensem nullo examine „ prævio fuisse admissam. Nempe, ut Eusebius idem lib.7. „ *Hist.* cap. 30. narrat, Paulus a concilio damnatus, quum „ ex Antiochenæ Ecclesiæ domo excedere nollet, eamque „ ob causam Imperatorem interpellasset, *præcepit Aurelianus*, „ *ut iis domus traderetur*, *quibus Italici Christianæ Religionis* „ *Antistites*, *& Romanus Episcopus scriberent*: quod Eusebius „ ipse *rectissime judicatum* testatur".

§. XI. Julium Summum Pontificem *non directe*, *sed per consequentiam* Athanasio, & ceteris Episcopis suas Ecclesias restituisse, Petrus de Marca falso tuetur.

Statuit ergo citatus auctor lib. 7. *De Concord. Sacerdotii*, *& Imper.* cap. 4. num. 3. "Restitutionem illam Ecclesiarum „ non fuisse factam directe, sed per consequentiam, eo quod „ Episcopi illi a Julio in communionem recepti fuerint, ve„ luti Episcopi hujus, & hujus sedis". Veluti Episcopi, inquam, hujus, & hujus sedis, a qua tamen eos Eusebiani depulerant, a Julio in communionem recepti fuerunt. Neque enim Julius alia in sede, ac antea haberent, Athanasium, aut ceteros Episcopos collocavit, sed in ea restituit, a qua antea decreto Eusebianorum dejecti fuerant. Duo sane Athanasii causa complectebatur, & Athanasii separationem a Catholica communione, & ejus ab Episcopatu dejectionem: quod utrumque facinus contra ipsum Eusebiani perpetrare auserant. Judicium eorum, quæ contra Athanasium Eusebiani tulerant, Julio remissum fuit (1), deque eo ipse Julius sententiam tulit, Athanasiumque omnium illorum criminum, quæ contra eum conficta fuerant, omnino expertem pronuntiavit, & in sua fede restituit (2). "Quid„ nam aliud postulabat Ecclesiastica regula (inquit Julius „ rescribens ad Eusebianos) nisi ut virum (Athanasium) non „ damnaremus, sed potius reciperemus, & pro vero Episco„ po

(1) Hujus cap. §. 6. (2) Cit. cap. §. 7. & seq.

„ po haberemus, quemadmodum, & habuimus" (1)? Post suam sententiam Eusebiani volebant, ut Athanasius pro vero Episcopo non haberetur, pro vero tamen Episcopo eum Julius habuit, postquam de innocentia ejus sibi constitit. Quidnam vero ad *directam* restitutionem amplius desiderari possit, sane non ideo, & a quovis videri non posse arbitror.

§. XII. Quod vellet Petrus de Marca, nullo modo colligi potest ex canone 15. Concili Antiocheni.

Lib.7.*De Concord. Sacer.*, & *Imper.* cap.2. non solum auctoritate canonis 15. Antiocheni concilii contra nos pugnat, sed etiam canonis 5. concilii Nicæni, & Patrum Africanorum in epistola ad Cælestinum: verum nos, tum de vero sensu Nicæni canonis, tum de sententia Patrum Africanorum infra cap.5. agemus, atque evincemus auctoritati illorum Petrum de Marca frustra niti. Nunc de 15. canone concilii Antiocheni. Ita vero in illo statutum fuisse legimus (2): " Si quis „ Episcopus de certis criminibus accusatus, condemnetur „ ab omnibus Episcopis ejusdem provinciæ, cunctique con- „ sonanter eamdem contra eum formam decreti protulerint, „ hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concor- „ dantium Episcoporum provinciæ manere sententiam". Verum enim vero Provincialibus Conciliis supremam auctoritatem ab Antiochenis Patribus hoc Canone vindicatam non fuisse ex altero Canone, hoc est 12., ejusdem Concilii compertum habemus: in eo enim ita sancitum fuit(3): ut " Si a Sy- „ nodo quilibet Episcopus fuerit exauctoratus, molestiam „ imperialibus auribus inferre non præsumat, sed ad ma- „ jorem Episcoporum Synodum se convertat; & quæ putat, „ se habere justa, in eorum Concilio alleget, atque ab his de „ se expectet, quæ fuerit deprompta sententia". Eam ergo esse auctoritatem concilii Provincialis, ut quæ judicio illius definita forent, amplius subesse non possent sententiæ illorum, qui majori auctoritate præditi essent, Antiocheni Patres Can. 15. non sanxerunt, sed illud solummodo eos voluisse,

(1) Vide hunc locum supra §.5. (2) Tomo 1. Concil. edit. Harduini colum.600. (3) Cit. tomo colum.598.

luiſſe, dici debet, ſtandum eſſe judicio Synodi provincialis, ſemel ac Epiſcopi in illo inter ſe conſenſiſſent, nec alterum ejuſdem provinciæ judicium expetendum. At Van-Eſpenium, qui ſane adverſariis noſtris diſplicere non poteſt, quum in hoc doctrinæ capite cum eiſdem conſentiat, hac de re audiamus. Ita ergo ille habet *Juris Eccleſiaſt. Univerſi* par. 2. cap. 1. §. 11. explicans canonem 15. Antiocheni concilii: „ Hunc Canonem pro adſtruenda ſuprema Conciliorum Pro„ vincialium in decidendis Epiſcoporum cauſis auctoritate ur„ get Petrus de Marca lib. 7. cap. 2. *De concordia Sacerdotii*, „ *&* *Imperii*, aliique eum ſequuti. Verum quum Cano„ ne 12. permittatur Epiſcopo a Synodo Provinciali depoſito „ ad majorem Synodum ſe convertere, non videtur qua ra„ tione hic Canon conſentiat 12., ſi per illum ſit ademptum „ Epiſcopo a Synodo Provinciali condemnato omne appella„ tionis remedium. Quare credunt alii hoc Canone ſolum „ decerni, firmam manere debere Epiſcoporum ſententiam „ eo ſenſu, quod per Epiſcopos e vicina Provincia evocan„ dos judicium inſtaurari non debeat: quemadmodum in „ cauſa diſſenſus Epiſcoporum Provinciæ Canone 14. decre„ tum erat: ſed tamen Epiſcopo condemnato manere jus po„ ſtulandi majorem Synodum juxta Canonem 12., idque la„ tius proſequitur Schelſtratius in ſuo concilio Antiocheno „ ad hunc canonem“. Huic autem ſententiæ, ſicuti idem Auctor advertit, etiam Gratianus ſuffragatur, qui facta mentione hujus Canonis *Cauſa 6.* q. 1. can. 5. ita habet: “ Subin„ telligendum vero eſt, niſi ad judicem majoris auctoritatis „ fuerit provocatum. Tunc enim per appellationem ſoluta „ ſententia firmitatem non obtinet“.

CA-

CAPUT III.

DE IIS, QUÆ, HABITA RATIONE APPELLATIONUM, IN CONCILIO SARDICENSI DECRETA FUERUNT.

§. I. Consensus Episcoporum Orientalium in Sardicensi Concilio desideratus non fuit.

Qui pugnant contra illud jus, quod est penes Sedem Apostolicam, recipiendi appellationes ab omnibus aliis Ecclesiis, non solum pervertere conantur sensum Sardicensium Canonum, sed etiam ut hujus concilii auctoritatem extenuent, Œcumenicum illud fuisse inficiantur. Hoc autem inde affirmant, quia in eo consensum Episcoporum Orientalium desideratum fuisse putant. "Si hìc ad propositum (inquit Ri„ cherius *in Hist. concil. general.* cap. 3. num. 4.) & mentem „ Imperatorum, & Julii Pontificis, atque aliorum Episco„ porum attendamus, Synodus Sardica fuit quidem Œcume„ nica, & universalis; si ad eventum, & effectum nequa„ quam". Idem tuetur etiam Petrus de Marca *De Concord. Sacerd.*, *&* *Imper.* lib. 7. cap. 3. num. 5., Samuel Basnagius in *Annalibus Politico-Ecclesiast.* ad an. 347. num. 3. & 4., atque in eamdem sententiam concedunt ii, qui decertant contra illud jus appellationum, quod nos propugnamus. Contra istos ergo hoc in §. ostendemus, in Sardicensi Concilio consensum Episcoporum Orientalium desideratum non fuisse, in sequenti autem separationem Eusebianorum a ceteris Patribus Sardicæ congregatis non officere, quin Concilium Sardicense Œcumenicum dici possit, atque revera fuerit.

Plures ergo Orientales diversarum Ecclesiarum Episcopos Synodo Sardicensi interfuisse, ejusque decreta probasse, nullus est dubitandi locus. Nam S. Athanasius *in Historia Arianorum* postquam de dolis, & fallaciis Eusebianorum, & fuga eorum a Synodo Sardicensi egit, num. 17. hæc habet: "Sa„ cra vero Synodus ex plus triginta quinque Provinciis coa„ cta, annimadversa Arianorum malignitate, Athanasium „ sociosque admisit, ut se purgarent de allatis criminationi„ bus,

„ bus, quarum causa tot fuerant calamitatibus, afflicti. Postquam autem illas repulissent, eo, quo supra retulimus, „ modo, a Synodo admissi, ac summæ venerationi habiti „ sunt, adeo ut eorum communionem amplecterentur: ac „ missis ubique litteris, missis item in unamquamque „ parœciam, maximeque Alexandriam, in Ægyptum, & „ in Lybias, Athanasium, & socios puros, omnisque cri„ minis expertes esse, declararunt". Eas vero Provincias, de quibus hic mentionem facit, in *Apologia* 1. *cont. Arianos* num. 1. distinctius in hunc modum recenset: "Iis vero, quæ „ nostri gratia decreta fuerunt, suffragati sunt plusquam tre„ centi Episcopi, ex Provinciis Ægypti, Lybiæ, Pentapo„ leos, Palestinæ, Arabiæ, Isauriæ, Cypri, Pamphyliæ, „ Liciæ, Galatiæ, Daciæ, Mysiæ, Thraciæ, Dardaniæ, „ Macedoniæ, Epirorum, Thessaliæ, Achaïæ, Cretæ, Dal„ matiæ, Sisciæ, Pannoniarum, Norici, Italiæ, Piceni, „ Tusciæ, Campaniæ, Calabriæ, Apuliæ, Bruttiæ, Siciliæ, „ totius Africæ, Sardiniæ, Hispanarum, Galliarum, Brit„ tannicarum". Quando ergo S. Athanasius in *Hist. Arianorum* num. 15. hæc habet: "Conveniunt quum ex Oriente, tum „ ex Occidente in Sardica urbe Episcopi plus minus centum „ septuaginta", Occidentalium Episcoporum rationem illum habuisse dicendum est. Nam in Syodica Concilii Sardicensis ad Ecclesiam Alexandrinam hujusmodi inscriptionem legimus(1): „ Sancta Synodus per gratiam Dei Sardicæ congregata, ex „ urbe Roma, ex Hispaniis, Galliis, Italia, Africa, Sardia„ nia, Pannoniis, Mysiis, Dacia, Norico, Tuscia, alter, „ Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaïa, Epyro, Thracia, „ & Rhodope, & Palestina, & Arabia, & Creta, & Ægy„ pto, Presbyteris, & Diaconis &c." In altera autem Synodica ejusdem Concilii data ad omnes Episcopos Ecclesiæ Catholicæ, quam S. Athanasius in sua 1. *Apologia contra Arianos* inseruit, & Provinciæ, & Episcoporum nomina recensentur, qui, uti inquit S. Athanasius in citata Apologia num. 50., si uniantur iis, "Qui etiam ante hanc Synodum nostri gratia „ scri-

(1) Tom. 2. Concil. Edit. Venet. colum. 694.

„ scripsere, ex Asia scilicet, Phrygia, & Isauria, quorum „ nomina in propriis eorum epistolis circumferuntur, prope „ sexaginta tres, una omnes trecenti quadraginta quatuor „ sunt ". Hoc eodem in loco & illud quoque S. Athanasius monet, quod " Hoc suum rescriptum Sardicensis Synodus ad „ illos misit, quibus accedendi facultas non esset, qui & ipsi „ suffragiis suis decreta Synodi approbarunt ". Ex his vero omnibus constat, quam falso Samuel Basnagius citato loco num. 8. pro certo assumat, Orientales, hoc est, sicuti ipse accipit, Eusebianos fuisse *Sardicensibus numero non multum inferiores*.

Neque est, cur quispiam eorum auctoritate moveatur, quæ apud Hilarium *Ex Opere Historico* Fragmento 2. num.15. leguntur, hoc est, Episcopos sexaginta & unum huic Synodo subscripsisse. Non solum enim maximæ Athanasii probitatis, & peritiæ hac de re, de qua scribebat (illi enim interfuerat) habita ratione, sed etiam temporum, quibus scribebat, & personarum, cum quibus res illi erat, Athanasio fides nullo modo subtrahi debet: eo vel maxime, quia ipsi Patres Sardicenses in sua Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam illi consentiunt. Testimonium Vigilii Tapsensis Episcopi hic superaddemus, qui in lib.5. *Cont. Eutychetem* num.3. loquens de Sardicensi Concilio ita habet: " Item apud Sar- „ dicam omnium Provinciarum Orientis Episcopi congrega- „ ti, id est, Thebaida, Palestina, Phœnice, Mesopotamia, „ Ægypto, Arabia, Syria, Cilicia, Cappadocia, Ponto, „ Paphlagonia, Galatia, Bithynia, Hellesponto, Asia, „ Phrygiis duabus, Pysidia, Cycladum insularum, Pam- „ phylia, Caria, Lydia Europæ, Thracia, Æmimonto, My- „ sia, Pannoniis duabus ".

Neque est etiam, cur opponatur, sicuti Samuel Basnagius citato loco num.4. una cum Petro de Marca facit, tum a S. Hilario lib. *Cont. Constantium* num.25., tum a S. Epiphanio *Hæresi* 71. num.1. Synodum Sardicensem Occidentalem vocatam fuisse. Nam S. Hilarius ad Constantium Imperatorem hæc habet: " Damnas quoque & substantiæ nomen, „ quo

„ quo te & Sardicensi Synodo, & Syrmiensi pium esse Oc-
„ cidentalibus mentiebaris "? Loquitur ergo Hilarius de Pseudo-Sardicensi Synodo, hoc est, Philippopolitano, sicut & de Syrmiensi, quæ Orientalium conventicula fuerunt, idque Constanti Hilarius exprobravit, ut pium Occidentalibus se præferre voluisse, quia substantiæ nomen una cum hisce conventiculis damnaret. S. Epiphanius vero de Sardicensi quidem legitima Synodo loquitur, eam tamen Occidentalem vocat, ut a Pseudo-Sardicensi distinguat. Sardica enim urbs erat, quæ ad Occidentale, Philippopolis, quæ ad Orientale imperium spectabat. Aliunde vero Philippopolitanum conciliabulum conflatum erat ex Episcopis Antiocheni Patriarchatus, qui quidem Orientis proprie dicebatur.

§. II. Separatio Eusebianorum a ceteris Patribus Sardicæ congregatis non facit, quin Sardicense Concilium Œcumenicum dici possit, atque revera sit.

Quia ergo a ceteris Patribus Sardicæ congregatis sese Eusebiani separaverunt, contuleruntque se Philippopolim Thraciæ urbem, Adversarii nostri arbitrantur Sardicense Concilium non esse Œcumenicum. At prorsus falso ita putant.
„ Non satis est quidem (ut cum Melchiori Cano loquar lib. 5.
„ *De Locis Theologicis* cap. 3.) ad Concilium generale, si evo-
„ catio generalis est, quando adeo pauci congregantur, ut
„ major meliorque Provinciarum pars relicta esse videatur:
„ præsertim si causa legitima sit, cur Episcopi Synodo non
„ adfuerint. Ac si per malitiam hominum pessimorum una,
„ & item altera provincia desit, non propterea Concilii ge-
„ neralis nomen amittitur". Eusebiani sane huic Concilio non interfuerunt, hoc est, ii, qui licet primo subscripsissent Decretis Synodi Nicænæ, postea tamen *ad proprium impietatis vomitum* redierc, sicuti *De Decretis Nicænæ Synodi* num. 4. S. Athanasius affirmat. Hac vero de causa sibi obsistentem Athanasium modis omnibus oppugnare instituerunt, & post multa contra ipsum conficta crimina, & tentatas insidias, Tyrii simul congregati Sanctum virum una cum aliis Nicænæ fidei defensoribus & a communione Catholica separarunt,

& ab

& ab Episcopatu dejecerunt. Ad hæc ad Synodum a Julio vocati venire renuerunt, quamvis, ut Synodus haberetur, ipsi antea petiissent (1). Postea vero quamvis Macario presbytero, Martyrio, & Hesychio diaconis, quos pro se Romam miserant, jam refutatis, & convictis, causa omnino cecidissent, ac propterea Athanasius, quem de tantis criminibus accusaverant, etiam judicio quinquaginta Episcoporum absolutus fuisset, atque in suam sedem restitutus (2); Antiochiæ simul congregati litteras impudentiæ, & audaciæ plenas ad Julium miserunt, quibus absolutum ab eo Athanasium, & pro Episcopo habitum conquerebantur (3). Tandem quum ad indictum Sardicense Concilium simul cum aliis convenissent, quia in eo se dominaturos sperabant, quando spe sua se frustratos viderunt, nec consequi posse animadverrere, quod sibi præstituerant, causati, quod ab Hosio, & aliis, Athanasius una cum ceteris (ille, inquam Athanasius, qui primo in Concilio Alexandrino, postea in Romano, in quo suam causam dixerat, absolutus fuerat) ad communionem admissus esset, noctu aufugerunt, & Philippopolim Thraciæ urbem sese contulere, ubi simul congregati Julio anathema dixerunt (4). Hæc ergo quum ita sese habeant, si profecto non sit schismaticorum factione, ut Synodus aliqua esse Œcumenica desinat; alioquin improbitate nonnullorum semper impediri posset, ne ulla unquam Œcumenica Synodus in Ecclesia haberetur; quis non videat, quam præter omnem rationem Sardicensem Synodum a numero Œcumenicarum expunctam Adversarii nostri inde velint, quia ab ea sese Eusebiani separaverunt?

Et re quidem vera anne absentia multorum Orientalium Episcoporum effecit, ne VI. Synodus dici Œcumenica posset, & revera esset, quamvis illi Episcopi ad Synodum non accesserint propter mala, quæ a Saracenis sibi imminebant? Non ita sane. Nam Sacerdotes Orientis in sua epistola ad Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum, qua Actione III.

(1) Vide locum Julii cap. præced. § 8. (2) Vide citat. §.
(3) Vide §. 10. cap. præced. (4) Vide §. 9. cap. præced.

Concilii Œcumenici VII. lecta fuit, in memoriam illius revocant, *nullum eorum*, uti ipsi inquiunt, *quæ per idem tempus in his partibus Episcopi erant*, convenisse ad VI. Synodum Œcumenicam, ut eum inducant ad habendam Synodum, quamvis tres Patriarchæ, & Episcopi illis subjecti ab ea absfuturi essent (1): " Illud autem (inquiebant) tamquam necessarium penes pontificalem apicem vestrum commonendum „ ducimus, ut si de beneplacito cunctorum Regis, Christi „ videlicet Dei nostri, & eorum, qui cum eo regnare meruerunt, Dei scilicet amicorum, & triumphatorum nostrorum, volueritis celebrare Synodum: ne molesta vobis „ appareat trium Apostolicarum Sedium almorum Patriarcharum, & sanctissimorum Episcoporum, qui sub ipsis degunt, absentia, non ex proprio eorum accidens proposito, sed ex tenentium, seu dominantium illis terribilibus „ minis, & mortiferis pœnis. Hoc autem subtilius est considerandum etiam ab ipsa sancta, & universali VI. Synodo, „ in qua nullus eorum, qui per idem tempus in his partibus „ Episcopi erant, convenisse inventus est ob obscœnorum „ obtinentiam. Sed nullum ex hoc sanctæ adhæsit Synodo „ præjudicium, neque vires habuit prohibitio aliqua statuendi, & manifesta faciendi recta dogmata pietatis, præcipue „ quum sanctissimus, & Apostolicus Papa Romanus concordaverit, & in ea inventus sit per Apocrisarios suos. Et „ nunc, Sanctissime, hoc cum consilio Dei similiter fiat. „ Nam sicut tunc illius fides in orbis terræ personuit fines; „ ita & Synodus, quæ nunc per gratiam Dei congreganda est „ per interventionem vestram, & ejus, qui moderatur Apostolorum Principis Sedem, prædicabitur in omni loco, qui „ sub Sole est ". Si ergo quamvis inviti, & non volentes, plures Episcopi Orientales a Synodo VI. abfuerint; ea tamen uti Œcumenica habita fuit: si eodem modo in censum Synodorum Œcumenicarum etiam VII. Synodum relatam habemus, quamvis tres Patriarchæ Orientis una cum pluribus Episcopis spectantibus ad Patriarchatum eorum, & ipsi quoque inviti

(1) Tom.8. Concil. edit. Venet. colum.823.

inviti ad eam non accesserint; quis non videat, Sardicensis Œcumenici Concilii habita ratione, quam nihili facienda sit schismaticorum Eusebianorum spontanea secessio? Eo vel maxime, quia licet ipsi absuerint; tamen, sicuti jam ostendimus (1), consensûs Ecclesiarum Orientalium desideratus non fuit.

§. III. Exponitur sensus tertii Canonis Concilii Sardicensis.

Tres sunt Canones, in quibus de hoc negotio appellationum Patres suam sententiam protulerunt, hoc est, tertius, quartus, & septimus juxta Dionysii Exigui ordinem, vel tertius, quartus, & quintus juxta textum græcum. Horum interpretationem nunc damus, ut antequam cum Adversariis nostris hac de re congrediamur, quid Patres Sardicenses, habita ratione appellationum, definierint, unicuique exploratum esse possit: inde enim planum per se fiet, quam ipsi interpretationem hisce Canonibus appingunt, omnino alienam esse & ab obvio sensu Canonum, & a sententia Patrum Sardicensium. Canonis itaque tertii ea parte omissa, quæ ad rem nostram non facit, ita apud Dionysium Exiguum in eo statutum legimus: (2) " Si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium (aliæ latinæ collectiones cum græca *judicium*) renovetur; si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur ab his, qui causam examinarunt (Græca versio *judicarunt*: Isidorus vero addit: *vel etiam ab aliis Episcopis, qui in Provincia proxima morantur*.) Julio Romano Episcopo: & si judicaverit renovandúm esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur ea; quæ decreverit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: placet ".

Hic Canon, sicuti alii duo, de quibus nunc agimus, contra Eusebianos conditi esse videntur. Nam, sicuti ex epistola Julii, & ex altera epistola Eusebianorum ad eumdem

(1) Præced. §. (2) Tom. 1. Concil. edit. Harduini col. 638.

Julium constat (1), de eo cum Julio Eusebiani conquesti fuerant, quod Synodorum Orientalium jura violasset, quia Athanasii, & aliorum Episcoporum Orientalium, quos ipsi jam damnaverant, causas judicandas suscepisset. Hoc ergo in Canone de eo judicio agitur, quo aliquem Episcopum depositum fuisse præsupponitur, sicuti ex sequenti Canone 4. compertum est. Quapropter quid faciendum sit in eo decernitur, si hujusmodi Episcopus suas apud alterum judicem rationes experiri velit. Si ergo Episcopus depositus id petebat, putans *se bonam causam habere*, & nulla apud Apostolicam Sedem appellatio expressa intercesserat; hoc alterum judicium a finitimis Episcopis simul in unum convenientibus instituebatur. Antequam ergo id perageretur, ut ii Episcopi, qui primo judicium tulerant, juxta Dionysii versionem, vel etiam alii, qui in proxima Provincia morabantur, juxta alias Latinas collectiones, quique de depositione Episcopi iterum judicare debebant, ad Summum Pontificem hac de re scriberent, ut si ipse judicium renovandum esse putaret, judices illius causæ constitueret; sin vero nihil ulterius discutiendum esse arbitraretur, quæ in priori judicio decreta erant, firma consisterent; hoc vero est, quod Hosius ad honorandam memoriam S. Petri a Patribus decerni petiit, Patresque decreverunt. Ecclesiastica enim lege jam constitutum habebatur, sicuti ex Canone 14., & 15. Antiocheni Concilii novimus (2), ut si sententiæ Episcoporum in condemnatione alicujus Episcopi discordantes inter se fuissent, novum a Metropolitano cum quibusdam alterius provinciæ Episcopis de ea causa judicium haberetur. Quum ergo Sardicenses Patres non ob jus, quod cogeret, sed in suæ erga Apostolicam Sedem observantiæ argumentum, constituerint, ut novum judicium non fieret de re jam judicata, antequam Summus Pontifex de eo certior redderetur, ipseque judices constitueret, si judicium renovandum esse censeret; mirandum sane non est, Hosium, dum Patribus rem istam definiendam proposuit, dixisse: *Si vobis placet: S. Petri Apostoli me-*

(1) Vide præced. §. (2) Tom. 1. Conc. edit. Harduini col. 597.

memoriam honoremus. Nam quum in Provincia novum judicium de hujusmodi Episcopis institui posset, modo ad Sedem Apostolicam provocatum antea non fuisset, sancientes Patres Sardicenses, ne, inconsulto Romano Pontifice, immo ipso consentiente, atque etiam dirigente, tale judicium fieret, suæ erga Sedem Apostolicam observantiæ, & honoris argumentum profecto amplissimum dederunt. Hinc vero est, ut in duobus aliis Canonibus, in quibus actum fuit de iis, quæ certo jure propria erant Apostolicæ Sedis, nullam de hac sua erga illam singulari observantia mentionem fecerint. Non est ergo, cur Febronius *De statu Ecclesiæ &c.* cap.5. §.6. n.1. illud nobis pro se opponat, verba Canonis *ad ipsum Petri Primatum, aut jus aliquod ei per se cohærens referri non posse*: id enim illi damus, quia, uti diximus, hoc in Canone Patres suam observantiam erga Sedem Apostolicam singulariter testatam voluere.

§. IV. Exponitur sensus quarti Canonis Concilii Sardicensis.

Instar cujusdam appendicis ad priorem hic Canon haberi debet. Nam (1) " Gaudentius Episcopus dixit: addendum, si placet, huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulisti, ut quum Episcopus aliquis depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma: alter Episcopus in ejus Cathedra post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata ". In hoc itaque Canone decernitur, quid servari debeat, non quidem post prius judicium, quod ab Episcopis factum fuerit de crimine alicujus Episcopi, damnatusque Episcopus contra judicium in se factum reclamaverit, sed post alterum, cujus faciendi normam in præcedenti Canone constitutam fuisse observavimus. Sermo enim in eodem habetur *de eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur*, hoc est, spectant ad provinciam viciniorem illi, cujus est Episcopus priori

(1) Cit. tom. colum.739.

priori suorum comprovincialium judicio damnatus. Erat enim Canone 15. Antiocheni Concilii constitutum, quemadmodum jam animadvertimus, ut alterum a Metropolitano una cum vicinæ Provinciæ Episcopis de eo Episcopo judicium haberetur, de cujus innocentia, aut crimine in judicio comprovincialium Episcoporum non constiterat. Quapropter si illud advertamus, in præcedenti Canone sancitum fuisse, ut quando contingeret, Episcopum reclamare a judicio suorum comprovincialium Episcoporum, certior hac de re Summus Pontifex fieret, & si novum judicium institui vellet, judices ipse daret; inde consequitur, in hoc Canone præsupponi, a Summo Pontifice in secundo judicio non alios constitutos, qui sententiam ferrent, quam Episcopos vicinæ Provinciæ. His autem positis, illud animadvertimus, de quocumque tandem judicio, & quovis modo facto Sardicenses Patres in hoc quarto Canone loquantur, nihil de jure appellationum ad Sedem Apostolicam in eo constitui, sed hujusmodi jus uti certum præsupponi, simulque decerni, quid propter illud servari debeat. Nam ab Episcopo, qui depositus fuerit eorum Episcoporum judicio, qui in vicinis locis commorantur, proclamari posse, & suum negotium agi in urbe Roma, hoc vero est, quod Sardicenses Patres uti certûm, & jam constitutum habent: ne vero in cathedra illius, postquam ad Sedem Romanam appellaverit, alter ordinetur, antequam causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata, sanciunt, atque constituunt. Quo sane jus appellationum ad Sedem Apostolicam, quod uti rem certam habent, magis magisque confirmant. Id cum appellationibus necessario conjungitur, ut ille, ad cujus judicium appellatio fit, sua supra alterum, a cujus sententia appellatur, habita ejus judicii ratione, de quo agitur, auctoritate, atque potestate valeat (1). Inde vero consequitur, ut quod judicio prioris determinatum sit, suum effectum habere non possit, semel ac ad judicium alterius provocatum fuerit. Hoc vero est, quod Sardicenses Patres decernunt: jus ergo appellatio-

(1) Hujus lib. cap. 1. §. 3.

tionum ad Apostolicam Sedem uti certum supponunt, decernuntque tantum id, quod ad hujusmodi jus ex sui natura consequitur.

§. V. Exponitur sensus quinti Canonis Concilii Sardicensis.

Hic ergo Canon ita habet (1): "Hosius Episcopus di-
„ xit: placuit autem, ut si Episcopus accusatus fuerit, &
„ judicaverint congregati Episcopi regionis ipsius, & de
„ gradu suo eum dejecerint; si appellaverit, qui dejectus
„ est, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & vo-
„ luerit, se audiri; si justum putaverit, ut renovetur judi-
„ dicium, vel discussionis examen, scribere his Episcopis
„ dignetur, qui in finitima, & propinqua Provincia sunt,
„ ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis
„ definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum au-
„ diri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum,
„ ut de latere suo presbyterum mittat; erit in potestate Epi-
„ scopi, quid velit, & quid æstimet. Et si decreverit mit-
„ tendos esse, qui præsentes cum Episcopis judicent, ha-
„ bentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt, erit in
„ ejus arbitrio. Si vero crediderit, Episcopos sufficere, ut
„ negotio terminum imponant; faciet, quod sapientissimo
„ consilio suo judicaverit". Inter hunc quintum canonem, & tertium maxima sane differentia intercedit. In canone namque tertio de nova petitione judicii agitur, nullamque appellationem ad Apostolicam Sedem factam fuisse præsupponitur. Hoc autem in canone quinto sermo est de vera, & genuina appellatione. Quandoquidem eum, *qui dejectus est*, dejectus, inquam, a simul *congregatis Episcopis ipsius regionis* ad Sedem Romanam appellasse, confugisseque ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, ut ab eo audiretur, indubitanter affirmatur. Nihil aliud autem ad veram appellationem ultra requiri præter ista posse, unicuique perspectum est (2). Tantum vero

(1) Tom. 1. concil. edit. Harduini colum. 639. (2) Vide quæ hujus lib. cap. 1. disseruimus.

vero abest, ut Sardicenses Patres hujusmodi Episcopi factum improbent, illudque uti contrarium vel Divinis, vel Ecclesiasticis legibus, aut ipsi consuetudini damnent; quin potius uti rem planam, atque pervulgatam, quæ in usu esset, dejectum Episcopum suas hoc modo rationes experiri potuisse, præsupponunt. Id autem inde magis magisque confirmatur, quia non solum hunc dejectum Episcopum ad Sedem Romanam appellantem a Summo Pontifice repelli, inauditumque dimitti debere non existimarunt, sed etiam constituere, quid sit in arbitrio Summi Pontificis quoad hujusmodi causæ disquisitionem decernere, semel ac judicium, vel discussionis examen renovandum esse putaverit. Nam esse in illius potestate tradunt, ad novam discussionem causæ vel *scribere his Episcopis, qui in finitima, & propinqua Provincia sunt, ut ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant*: quæ sane ratio quamdam speciem delegationis continet, eaque est tum magis obvia, tum etiam facilior; vel *e latere suo Presbyterum*, aut ex Græco, *Presbyteros mittat*, qui *præsentes* cum Episcopis finitimæ Provinciæ, *judicent*, *habentes* ejus auctoritatem, a quo destinati sunt. In hoc autem delegantis Pontificis potestas magis effulget, quum auctoritate ejus una cum aliis Episcopis ille, aut illi assideant, qui aliunde nullo modo assidere possent. Quapropter si tum ad ea respiciamus, quæ Patres Sardicenses de eo Episcopo censerunt, qui a judicio Episcoporum suæ regionis ad judicium Romanæ Sedis appellavit; si tum alia advertamus, quæ habita ratione hujus appellationis, facere, vel non facere, in potestate Summi Pontificis positum esse sensere; iis solum, qui contra veritatem facti pugnare instituerunt, dubium esse potest, utrum in Concilio Sardicensi confirmatum fuerit jus appellationum ad Sedem Apostolicam.

Quamvis autem Patres in hoc Canone non definierint, illud quoque esse in potestate Summi Pontificis, ut eæ causæ, de quibus ad judicium ejus provocatum fuerit, coram se Romæ agerentur; tamen eosdem sensisse, id etiam auctoritatis

penes

penes Summum Pontificem esse, nullo modo dubitari potest. Nam in epistola ad Julium Summum Pontificem (1) Eusebianos inde etiam graviter redarguunt, quia " Conventi per „ Presbyteros tuos, (hoc est Julii) & per epistolam, ad Syno„ dum, quæ futura erat in urbe Roma, venire noluerunt ". Et in epistola *ad omnes ubique Ecclesiæ Catholicæ Episcopos* inquiunt (2), " Nam etsi ex eo quod vocati sunt (Eusebiani) „ a Julio Episcopo carissimo fratre nostro, claruit noluisse „ eos venire ex ipsis litteris, quibus eorum mendacia dete„ cta sunt: (venissent enim, si habuissent fiduciam eorum, „ quæ gesserunt adversus Coepiscopos nostros) licet etiam „ ex ipsis, quæ fecerunt in isto sancto, & magno concilio „ manifestiora falsitatis suæ commenta prodiderunt ". His autem Patres manifeste præsetulerunt, esse in potestate Summi Pontificis constituere, ut causa, de qua ad se appellatum fuerit, Romæ agatur, Romamque propterea ii evocentur, ad quos causa illa pertineret; alioquin æquo jure Eusebianos accusare non potuissent, quod a Julio Romam vocati, ut de judicio a se facto rationem redderent, venire renuissent. Febronius *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. 5. §. 6. num. 2. dicit; *quod judices dati neque Romani sunt, neque Romæ judicant*. Prius affirmat contra apertam lectionem secundæ partis ipsius canonis: Romani enim hoc in loco dicendi sunt, non quatenus ex urbe sint, sed quatenus a Romano Pontifice mittuntur. Postea tamen etiam ipse concedit, Summum Pontificem mittere potuisse suum Legatum *ad secundum judicium in Provincia agendum*. Alterum vero tradit contra apertum testimonium Patrum Sardicensium in epistola ad Julium, & altera epistola. *Ad omnes ubique Ecclesiæ Catholicæ Episcopos*. Dum vero num. 3. affirmavit hoc in Canone non haberi rationem *veræ* appellationis, quia Hosius dixit tantum: *si appellaverit*; non vero superaddidit: *ad Romanum Pontificem*, subauditumque potius voluit aliud judicium, ex ipsa lectione canonis refellitur.

Tom. III. Kk §. VI.

(1) Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 653. (2) Cit. Tomo colum. 662.

§. VI. Petri de Marca falsæ interpretationes horum Canonum Sardicensium refelluntur.

Mirum sane est, quam multa Adversarii nostri excogitaverint, ut prædictorum Canonum auctoritatem eluderent, vel saltem verum sensum obscurarent. Non solum enim omnes illud objecerunt, hanc Synodum in censum Œcumenicarum venire non posse: quod nos jam refutavimus, sed etiam ad subtiles cavillationes recurrerunt, ut nihil de hoc jure appellationum in iisdem canonibus constitutum fuisse evincerent. Illas ergo nunc expendamus, atque a Petro de Marca exordiamur, quia eum in hac re ceteri omnes, qui idem cum ipso opinantur, uti magistrum sequuntur.

Ipse ergo lib. 7. *De Concord. Sacerdotii, & Imperii* cap. 3. num. 6. fatetur: "Hactenus universim persuasum fuisse, repertam esse in Synodo Sardicensi legem de appellationibus adversus Episcoporum judicia, eas a Summo Pontifice judicandas esse ex præscripto hujus Concilii". Fatetur ergo, Patres, Præsules, Doctores, qui a medio seculo 4. usque ad sua tempora floruerunt, id persuasum habuisse, quod ipse oppugnare contendit, ac propterea vult illos lapsos fuisse in intelligentia eorum Canonum, de quibus nos modo agimus. Hoc autem unum sufficit, ut non dicam nobis, sed unicuique, qui de tantis viris sentiat, prout oportet, ut interpretatio ejus suspecta sit. Verum de hoc sane modo inquiramus.

Revisionem ergo ejus causæ, de qua Episcopi judicium tulerant, non vero *appellationem* Romano Pontifici Sardicensibus Canonibus vindicatam fuisse contendit (1). Id vero inter utramque discriminis ponit, ut ista ad judicem superiorem integra causæ cognitio transferatur, qui *quæstionem*, sicuti ipse inquit, *excutit*, *& definit in suo tribunali*; illa autem *definitivum judicium relinquit priori jurisdictioni ea ratione, ut prioribus judicibus novi adjungantur*. Hoc semel constituto, quod ipse vult, 1. deducit: quia Synodus statuit, esse in potestate Summi Pontificis appellationem a condemnato Episco-po

(1) Id apponit etiam Febronius *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. 5. §. 6.

po ad se factam, vel recipere, vel reiicere: prius si faceret; Episcoporum Provinciæ judicium confirmabatur: si alterum; integrum judicium ad Episcopos Provinciæ, vel finitimos remittendum erat, ut isti una simul cum Legato Summi Pontificis, si Pontifex suum Legatum mittendum putasset, ulterius judicium instituerent. 2. Eam esse vim appellationis affirmat, & recte quidem, ut propter eam sit interim a priori sententia supersedendum, contra ac in revisione servatur. „ Confugium illud ad Sedem Apostolicam non impediebat, „ (ait ipse) quin interim sententia depositionis exequutioni „ mandaretur". 3. Institutionem juris in Sardicensi Concilio factam novam esse, inde arguit, quia Hosius dum Patribus eam proponeret, dixit: *Si placet vobis*, *S. Petri Apostoli memoriam honoremus*. „ Non ait (inquit Petrus de Marca) confir„ mandam esse antiquam traditionem, quemadmodum fieri „ consuevit in negotiis, quæ renovatione tantum, aut ex„ plicatione juris antiqui indigent". 4. Animadvertit in tertio Canone Summo Pontifici tribui, " Supremam auctorita„ tem decernendi revisionem, aut eam denegandi, dato in„ super jure delegandi novos judices": in quarto autem definitum quidem fuisse concedit, *ne in locum Episcopi dejecti alius substitueretur*, *donec causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata*; verumtamen hoc non obesse contendit, quin judicium jam latum in Episcopum semper valeret: " Nihil ta„ men (inquit) hujuscemodi vetat quoad depositionem „ damnati, quam nihilominus peragebant". Tandem quinto Canone solam revisionem Summo Pontifici tributam fuisse affirmat, quia judicium non Romæ, sed in Provincia una cum Legato Romani Pontificis instituendum erat.

Nullius sane roboris hæc omnia sunt ad ea probanda, quæ Petrus de Marca vellet. Si enim de canone 3. sermonem habeamus, illo constitutum legimus, ut si *Summus Pontifex judicaverit renovandum esse judicium*, *renovetur*, *& det judices*. Hoc ergo alterum judicium auctoritate Summi Pontificis peragendum erat. Nam ut aliquod judicium auctoritate alicujus peractum fuisse dicatur, non oportet, ut ille vel per se

 solus

ſolus, vel cum aliis judicet, ſed ſatis eſt, ut conſtituat judices, qui de re propoſita ſententiam ferant. Hac enim plerumque ratione omnia ea judicia fiunt, quæ auctoritate ſuprema facta eſſe dicuntur. Unde Petrus de Marca pro certa rem falſam aſſumit, hoc eſt, jus tantum decernendi reviſionem Summo Pontifici tributam fuiſſe. Nam & judicium, uti inquiebat Hoſius, Pontificis auctoritate faciendum erat, auctoritate Pontificis conſtitui debebant judices, auctoritate Pontificis ſemel ac ſtatutum fuiſſet, ne refricarentur ea, quæ definita forent, eadem confirmata remanebant. Qua vero de cauſa Hoſius dixerit: *Si placet vobis, S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus*, jam explicavimus. At non dixit Hoſius, confirmandam eſſe antiquam traditionem: id quidem Hoſius non dixit, præſuppoſuerunt tamen, atque uti certum habuerunt Patres Sardicenſes in 4. canone, quem hac de re ediderunt, quemadmodum in hujus explicatione canonis monuimus (1). In quarto canone decernitur, alterum Epiſcopum ſubſtitui non debere in locum depoſiti, *niſi cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata*. Romani ergo Epiſcopi hoc quoque in canone illud judicium eſſe conſtituitur, quod poſt primum jam factum judicium inſtituendum erat.

Dum vero Petrus de Marca concedit, quemadmodum verba 4. canonis manifeſte præſeferunt, in locum Epiſcopi depoſiti, alterum ſubſtituendum non eſſe, *donec cauſa fuerit in judicio Epiſcopi Romani determinata*; negat vero judicium Epiſcopi depoſiti inde ſuſpenſum evaſiſſe; illud ego ab eo quæro, qua tandem de cauſa ab electione alterius Epiſcopi ſuperſedendum eſſet. Profecto non alia, niſi quia ob factam appellationem ad Apoſtolicam Sedem judicium jam latum de depoſitione Epiſcopi ſuſpenſum remanebat. Quid enim prohibebat, ut alter in locum Epiſcopi depoſiti eligeretur, ſemel ac judicium de depoſitione illius immotum conſtitiſſe præſupponatur? Nam ut in locum depoſiti Epiſcopi, alter ſubſtituatur, quidpiam eſt, quod ex ſui natura ad judicium depoſitionis conſequitur, dum hujuſmodi judicium certum, atque

(1) Præced. §.

atque immutabile fuerit. Suam ergo sententiam dum Petrus de Marca ex canonibus Sardicensibus adstruere conatur, & ipsos Sardicenses Patres sibi contradicentes facit, & ipse negat, quod cum eo, quod admittit, nullo modo stare potest. Contradicentes sibi, inquam, facit Patres Sardicenses, quia vult eos, uti firmum, atque ratum habuisse judicium illud, quod de depositione Episcopi tulerant ejusdem provinciæ Episcopi, & simul statuisse, in locum Episcopi dejecti alium substituendum non esse, donec causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata: implicat enim certum judicium illud esse, de quo in altero judicio determinari debet: repugnat, immotum consistere, atque mutari non debere judicium de depositione alicujus Episcopi, & alterum in locum ejus substitui non posse. Opposita autem ratione Petrus de Marca sibi contradicit: nam confitetur a Sardicensibus Patribus definitum, ne in locum Episcopi dejecti alius substitueretur, donec causa fuerit in judicio Episcopi Romani definita, & simul negat judicium de Episcopi depositione jam factum mutari potuisse, illudque semper firmum constitisse contendit. Implicat enim hujusmodi judicium firmum, & immobile fuisse, & tamen non potuisse substitui alterum in locum Episcopi depositi, hujusque causam judicio Episcopi Romani definiendam.

Nullius autem momenti ea esse, quæ Petrus de Marca ex 5. canone animadvertenda proponit, jam ostendimus (1). Se non esse inventorem hujus interpretationis canonum Concilii Sardicensis Petrus de Marca in cit. lib., & cap. num. 14. profitetur, sed illam hausisse *ex illustri quodam loco Hincmari Remensis Archiepiscopi*. Locus autem prout legitur in epistola ejusdem Auctoris ad Joannem VIII. cap. 11. est hujusmodi:
„ Cujus sanctæ Synodi (Nicænæ) constitutionem Sardicen-
„ ses canones non convellunt, qui cum Pontificis Romani
„ Vicario, vel arbitrio causam Episcopi in provinciali Syno-
„ do judicati etiam Episcoporum arbitrio, vel judicio, qui
„ eum judicaverunt cum Episcopis, qui in finitima, & pro-
„ pinqua

(1) Præced. §.

„ pinqua provincia sunt, præcipiunt terminari, quatenus si„ ve in manenda, sive in immutanda sententia juxta Nicænos „ canones commune sit placitum “. Ita sane Hincmarus. Verum an ne fortasse dici potest, auctorem esse ejus interpretationis, quam Sardicensibus canonibus Petrus de Marca dedit? Id unum sane hoc loci Hincmarus contendit, Sardicensibus canonibus illi legi Concilii Nicæni derogatum non fuisse, qua constitutum habebatur, ut causa Episcopi, de qua judicium latum fuerat in Synodo provinciali, terminaretur judicio Episcoporum, qui sunt in finitima, & propinqua provincia (1), ita tamen, ut hoc judicium alterum fieret juxta canones Sardicenses *cum Romani Pontificis Vicario, vel arbitrio*. Pendebat ergo illud juxta Hincmarum ab auctoritate Romani Pontificis, quamvis ab Episcopis finitimæ provinciæ exercendum esset. Nam ut illud exercerent, a Romano Pontifice eis demandandum erat, atque etiam idem Romanus Pontifex suum a latere Presbyterum, aut Presbyteros mittebat, qui præsentes cum Episcopis finitimæ provinciæ judicarent (2).

At vero Petrus de Marca epistolæ Hincmari ad Joannem VIII. caput 11. tantum legit: si autem legisset etiam 12., suæ profecto interpretationis habere illum auctorem non potuisset, vidissetque, qua ratione Hincmarus definitionem Nicæni Concilii cum canonibus Sardicensibus auctoritate Innocentii I. conciliaverit, atque statuerit esse servandum, quod de appellationibus, non vero de revisionibus, uti Petrus de Marca contendit, in Sardicensi Concilio decretum fuit. Totum caput 12. a nobis exscribatur oportet ut omnibus hac de re omnino perspectum sit. “ Beatus quoque Inno„ centius (3) ad Victricium Rotomagensem Episcopum duo „ capitula magni Concilii Nicæni *De his*, videlicet, qui „ communione privantur ex clero, & aliud, *Ut per singulas* „ *provincias suis privilegia serventur Ecclesiis*. Et capitulum „ Sar-

(1) Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 323. can. 5. Nicæni Concilii. (2) Vide hujus cap. §. 5. (3) Innocentius I. epist. 2. ad Victricium num. 2. apud Coustantium in collect. epist. Roman. Pont.

„ Sardicensis Concilii de Episcoporum ad Apostolicam Sedem „ appellatione uno capitulo sagaciter, atque patenter explicat, dicens: *Si quæ autem causæ, vel contentiones inter Clericos tam superioris gradus, quam etiam inferioris exortæ fuerint, placuit, ut secundum Synodum Nicænam congregatis omnibus ejusdem provinciæ Episcopis judicium terminetur. Nec alicui liceat, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu Divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si quis forte præsumpserit, & ab officio Cleri submotus, & injuriarum reus ab omnibus judicetur. Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus, statuit, & beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale referantur*. In eo „ enim quod dicit: *Ut secundum Synodum Nicænam congregatis ejusdem provinciæ Episcopis de exortis causis judicium terminetur*, capitulum Nicæni Concilii de excommunicatis explanat. In eo, quod *ad alias* quemcumque de Ecclesiastico ordine prohibet *convolare provincias*, aliud capitulum Nicæni Concilii explicat, quod jubet, ut per singulas provincias suis privilegia serventur Ecclesiis, sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, ut si majores causæ, quarum una est de Episcopi dijudicati appellatione, in medio fuerint devolutæ ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus Sardicensis statuit, & vetus consuetudo exigit, post judicium Episcopale referantur. Scilicet, ut aut juxta præmissum septimum Sardicensis Concilii capitulum appellantis Episcopi causa in provincia, in qua fuit exorta, definiatur, aut judicium Episcoporum provinciæ secundum decreta Bonifacii Apostolicæ Sedis auctoritate confirmetur: & sicut Leo scripsit, ejusdem Sedis sententia roboretur. Quia vero S. Innocentius non Nicænam, sed Sardicensem Synodum de appellatione Episcopi ad Sedem Apostolicam in auctoritatem traxit, qui utrasque Synodos legit, aperte intelliget". Hæc sane omnia interpretationi Petri de Marca non solum conformia non sunt, sed omnino opponuntur.

§. VII.

§. VII. Aliorum quorumdam interpretationes de hisce canonibus Sardicensibus refelluntur.

Richerius in *Hist. Concil. General.* cap. 3. num. 4. præter cetera, quæ una cum aliis opponit; illud potissimum urget, Patres Sardicenses in gratiam Cathedræ, & Primatus S. Petri *nominatim* decrevisse, ut Julius Romanus Pontifex de appellationibus cognosceret per Legatos missos a latere, quia alia expeditiori via tunc consuli non poterat saluti Catholicorum contra perfidiam Arianorum: ex hoc autem infert, canones Concilii Sardicensis de appellationibus ad Romanum Pontificem, & de facultate mittendi Legatos a latere, non esse *absolutos*, & *Œcumenicos*, sed *tantum provisorios*. Samuel Basnagius in *Annalibus Politico-Ecclesiasticis* ad an.347. num.11. appellationes non esse de *jure ordinario* inde arbitratur, quia Hosius dixit: *Si vestræ dilectioni videtur; S. Petri Apostoli memoriam honoremus*. Cum Dupinio de *Antiqua Ecclesiæ Disciplina* dissert. 2. opponit, illud ab Hosio dictum: *Si placet*: quod, inquit, *de disciplina perpetuo data perabsurdum dicere*. Num.12. statuit cum Marca, & Dupinio can. 5. jus *revisionis*, non appellationis, Romano Pontifici tribui. Inter revisionem autem, & appellationem id discriminis ponit, ut ista *in ipso Ecclesiæ Romanæ tribunali exerceri debeat*, non vero illa. Denique affirmat, non dissolvendi, aut confirmandi judicii jam facti potestatem; sed decernendi solummodo, utrum judicium renovandum sit, penes Pontificem esse, Patres Sardicenses voluisse. Inde vero in confirmationem suæ sententiæ animadvertit, neque Romæ, neque a Romano Pontifice novum judicium instituendum fuisse, sed in provincia, ita ut " Non „ Episcopi Romani nomine Præsules judicarent, quæ persona „ est Presbyteri ab eo missi, sed ut arbitri, judicesque in ea „ lite designati pronuntiarent, ex facultate concessa Pontifici nominandi ad renovandum causæ examen alios etiam „ judices ":

Van Espenius *Juris Ecclesiast.* par. 3. cap. 1. §. 5. Richerii sententiam de *canonibus provisoriis* amplecti videtur, atque de jure tantum revisionis, non vero appellationis in Sardicensi-

bus

bus canonibus statutum esse affirmat. Ab aliis autem objecta in hanc rem opponit.

Richerii observatio acuta quidem primo aspectu esse videtur; verum nullo ea fundamento nititur. Fatemur ergo, Synodum Sardicensem ad retundendos Eusebianorum temerarios ausus coactam fuisse: non negamus, quod Patres Sardicenses instituerunt, opportunum remedium fuisse, quo Catholici ab illorum impiis conatibus defenderentur: illud quoque ultro libenterque concedimus, quieti Ecclesiarum tunc recte consultum inde fuisse, ex eo quod, Summo Pontifice tantum probante, novum judicium de Episcopo deposito a provinciæ Episcopis institui posset. Verum quisnam unquam dixerit, *provisorios* fuisse canones Nicænos, *provisorios* Constantinopolitanos, Ephesinos, & Chalcedonenses, ex eo quod Nicæna Synodus contra Arium, Constantinopolitana contra Macedonium, Ephesina contra Nestorium, contra Eutychetem Chalcedonensis coacta fuerit? Quis, inquam, horum Conciliorum canones provisorios dixerit, quia ad repellendas ab Ecclesia Catholica hujusmodi pestes nullum promptius remedium tunc occurrere poterat, quam ut ista Concilia celebrarentur, conderenturque ii canones, quos in eisdem editos fuisse novimus? Admissa profecto hac Richerii opinandi libidine, nullus erit Concilii Œcumenici canon, qui inter *provisorios* amandari non possit.

Canone autem 3. solummodo dicitur, scribendum esse *nominatim* ad Julium Romanum Pontificem. Hoc autem in canone de appellationibus non agitur (1). In aliis autem duobus canonibus, in quibus jus appellationum Romano Pontifici vindicatur, de Julio *nominatim* nulla mentio fit, sed de Romano Pontifice (2). Quid? Nonne Patres de judicio renovando ab Episcopis provinciæ ad Julium scribendum esse decreverunt, quia erat Romanus Pontifex? anne in ea tantum circumstantia temporum, in qua ipsi versabantur, scribendum esse definiere? anne canone 20. ab eis constitutum non legimus, esse illum *reum criminis*, *& defensioni obnoxium*,

 atque

(1) Vide hujus cap. §. 3. (2) Cit. cap. §. 4. & 5.

atque etiam *Episcopatus honorem*, *& dignitatem amittere* (1), qui a se constituta transgredi auderet? Nugatur ergo Richerius, dum ad canones provisorios recurrit.

Basnagius autem una cum aliis in eo errat, quod in canone tertio, in quo illa verba leguntur: *si placet*, vel, *si vobis videtur*, *S. Petri Apostoli memoriam honoremus*, de appellationibus agi arbitratur (1). Non est autem, cur miremur Hosium hac dicendi ratione usum fuisse. Patribus enim statuendum proponebat, quod ad disciplinam servandam spectabat, deque interposita appellatione ad Sedem Apostolicam non agebatur; unde nihil magis rationi congruum esse poterat, quam ut illa loquendi ratione cum Patribus uteretur (2). Una autem cum de Marca, & Dupinio Basnagius falso putat; si de appellatione agatur, *in ipso Ecclesia Romana tribunali* causam agitari debere. Non enim ex loco, in quo judicium exercetur, definiendum est de ea auctoritate, qua illud exerceatur, sed ut hac de re nobis certo perspectum esse possit, videndum est, cujusnam imperio illud exerceatur, & a quonam potissimum judices constituantur. In tribus autem Sardicensis Concilii canonibus, & in quinto potissimum, in quo de appellationibus singulariter agitur, judicium tribui auctoritati Summi Pontificis, sicut etiam judicum institutionem, dum Petro de Marca responderemus, jam ostendimus. Qui autem totam judicii rationem in sua potestate habet, ea etiam per se uti posse, nemo sane negaverit. Verum & illud quoque nunc animadvertimus, de jure appellationum ad Romanam Sedem Basnagium, Marcam, & alios nullo modo dubitare posse, quamvis, ut judicium Romæ fiat, ipsi ad veram appellationem requirant. Nam ut in hac causa, de qua agimus, solummodo sistamus, judicium Athanasii, & ceterorum, Romæ cum Concilio quinquaginta Episcoporum sub Julio peractum fuit. Deinde nonne Patres Sardicenses tam in epistola ad Julium, quam in altera ad *omnes ubique Ecclesiæ Catholicæ Episcopos*, Eusebianos accusant, quod Romam a Julio vocati, ut coram eo suorum judiciorum rationem redderent, venire renuerunt?

(1) Vide hujus cap. §. 3. (2) Vide hujus cap. §. 3.

runt (1) ? Verum neque Julii, neque Patrum Sardicensium auctoritate Adversarii nostri moventur, ut suam falsam opinionem tueantur.

Contra apertam vero, atque omnino manifestam intellectionem canonum pugnat Basnagius, dum non dissolvendi, aut confirmandi judicium jam factum, sed decernendi solummodo, utrum judicium renovandum sit, potestatem Summo Pontifici a Patribus Sardicensibus tributam fuisse tuetur. Nam *nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata*, ne alter eligi possit, qui in Episcopi depositi locum succedat, in canone 4. constituitur. In canone autem 5. in arbitrio Summi Pontificis esse definitur, decernere, utrum renovandum sit judicium, semel ac Episcopus a sententia Episcoporum suæ provinciæ ad illum appellaverit: quod si renovandum esse putaverit; tunc Patres a Pontifice petunt, ut id muneris committere dignetur Episcopis, *qui in finitima, & propinqua provincia sunt*, vel etiam aliis, *qui præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, a quo destinati sunt*. Profecto si de aliqua causa nullum judicium præcesserit, eam in judicio alicujus determinatam esse, dici non potest: at canon constituit, causam in judicio Romani Episcopi determinatam esse oportere, antequam alter in locum depositi Episcopi eligatur: verum ergo judicium ab Apostolica Sede de prædicta causa ferendum esse præsupponit. Hoc vero est, quod in canone 5. magis magisque confirmatur. Nam in eo statuitur, esse in potestate Romani Pontificis post judicium Episcoporum provinciæ alterum judicium decernere: si non decernebatur, ratum sane ab Apostolica Sede habebatur, quod ab Episcopis provinciæ latum fuerat, quamvis expressa confirmatione ad id non uteretur: si vero decernebat; ad dignationem spectabat Romani Pontificis, ut id muneris ab eo committeretur finitimæ provinciæ Episcopis, aut etiam aliis, qui fulti auctoritate illius una cum Episcopis provinciæ finitimæ judicium exercerent, suspensumque interea remanebat judicium illud, quod Episcopi provinciæ antea tulerant.

(1) Vide hujus cap. §. 5.

Non est autem, cur ad ea, quæ de judicio Romæ faciendo Basnagius opponit, nunc alia superaddamus. Est enim id jam solutum a nobis.

CAPUT IV.

DE EO USU, IN QUO APPELLATIONES AD APOSTOLICAM SEDEM FUERUNT APUD ORIENTALES ECCLESIAS A CELEBRATO CONCILIO SARDICENSI.

§. I. Sardicenses Canones, uti Œcumenici ab Ecclesia universali habiti fuere.

Patres Sardicenses Synodicam epistolam dederunt non solum Episcopis Lybiæ, & Ægypti, sed etiam *omnibus ubique Episcopis, & comministris Ecclesiæ Catholicæ*, quas apud Athanasium in Apologia contra Arianos legere est (1). In utraque autem tum illos, tum istos omnes adhortantur, ut sibi consentientes sint, cunctosque Ecclesiæ Catholicæ Episcopos rogant, ut sua confirmatione roborare velint, quæ a se statuta fuerant (2). " Quin potius (inquiunt) studete, fratres, & „ comministri, ut spiritu nostræ Synodo præsentes, suffra„ gium vestrum per vestram subscriptionem ipsi adiiciatis, „ ut ab omnibus ubique comministris nostris concordia ser„ vetur ". Id autem Episcopi Ecclesiæ Catholicæ præstiterunt, quemadmodum ex Athanasii Apologia 1. num. 1. novimus. Illud quidem negari non potest, Sardicenses Patres in utraque *Synodica* causæ Athanasii, & aliorum mentionem facere, & rogare omnes, ut sibi consentiant in iis, quæ de illa decreverant: verum Athanasianam causam ii quoque canones respiciebant, quos de appellationibus contra Eusebianos ediderant (3).

Et re quidem vera apud antiquiores Græcos, etiam Orientales, canones Sardicenses plurimum auctoritatis habuisse, ex vetustissimo Orientali Concilio constat. Nam Patres Synodi Constantinopolitanæ an. 382. in epistola ad Damasum,

(1) Apolog. 2. num.41. & seqq. (2) Apud Athanasium cit. Apolog. num. 49. (3) Vide cap. præced. §. 3.

masum, aliosque Occidentales a Theodorito lib. 5. *Hist.* cap. 9. descripta, Nicæni Concilii nomine Sardicensem canonem in medium hisce verbis protulerunt: „ De administratione au-„ tem singularum Ecclesiarum, quum vetus, uti nostis, lex „ obtinuit, tum Sanctorum Patrum in Concilio Nicæno de-„ cisio, ut videlicet singularum provinciarum Antistites una „ cum finitimis (modo ipsis ita visum fuerit) Episcopis ad „ Ecclesiarum commodum habeant ordinationes “. Est hìc quintus canon Sardicensis, sicuti in editione Conciliorum Harduini recte adnotatum legimus. “ Nicæni Concilii (in-„ quit Coustantius) canone quarto sancitur: *Episcopum con-„ venit ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis ordinari*: „ sed de finitimis Episcopis, ubi placuerit, convocandis, „ nihil habetur. Sardicensis vero canon quintus, seu secun-„ dum Græcos, sextus, *quando quis debeat a vicinis provinciæ „ Episcopis ordinari*, explicat. Ad quem canonem si nunc „ respiciunt Orientales; dicendum erit, Sardicenses cano-„ nes non modo in Occidente, sed & in Oriente pro Nicænis „ fuisse habitos “ (1). Quum vero ante Sardicense Concilium nullibi decretum legamus, quod Patres Synodi Constantinopolitani in Concilio Nicæno statutum dicunt de conveniendis simul provinciarum Antistitibus una cum finitimis ad ordinationes faciendas; nullus dubitandi locus relinquitur, quin ad quintum canonem Concilii Sardicensis respexerint. Nam quemadmodum sapientissimi Ballerinii fratres in sua editione Operum S. Leonis tom. 3. *De Antiq. Collect. can., & Collect. can.* par. 2. cap. 1. §. 3. animadverterunt, in multis sane antiquissimis exemplaribus canones Sardicenses Nicænis, & quidem sub eodem titulo Nicænorum canonum, subjiciuntur. Hoc autem observant, non solum illorum codicum habita ratione, qui apud Latinam Ecclesiam in usu erant, sed etiam aliorum Græcorum codicum, quibus Ecclesiæ Orientales utebantur. Est autem hinc inferendum, quemadmodum eruditissimi Scriptores faciunt, cujusvis doli, atque fraudis eos omni-

(1) Tom. 1. *Collect. Epist. Roman. Pont.* colum. 566. Adnot. c.

omnino expertes fuisse eos, quos canones Sardicenses sub nomine Nicænorum laudasse legimus.

Ut ergo ad rem nostram redeamus, illud nunc animadvertimus, ob tam antiquum testimonium Orientalium, neminem non putare debere, canones Sardicenses a Græcis etiam Orientalibus fuisse receptos, atque habitos loco certæ regulæ, quam sequerentur. Nam post citata verba in eadem epistola hæc leguntur: " Ex cujus legis, & decisionis scripto „ scitote, tum alias quoque Ecclesias apud nos administrari, „ tum illustrissimarum Ecclesiarum Sacerdotes delectos ". Hinc est, ut illi ordinationes Nectarii Constantinopolitani, & Flaviani Antiocheni ad prædictæ Synodi normam *canonice* factas probaverint.

Nunc, quod volumus, de Latina Ecclesia videamus. Sardicenses itaque canones receptos ab ea fuisse, Innocentii I. auctoritas neminem dubitare sinit. Ipse enim in epistola ad Clerum, & populum Constantinopolitanum (1) num.3. ita habet: " Quod autem ad canonum auctoritatem attinet, „ solis illis parendum esse dicimus, qui Nicææ definiti sunt, „ quos solos sectari, & agnoscere debet Ecclesia Catholica. „ Sin autem a quibusdam alii proferantur, qui a Nicænis „ canonibus dissentiant, & ab hæreticis compositi esse arguantur; hi ab Episcopis Catholicis rejiciuntur .... Hos „ igitur canones non solum non sequendos, verum etiam „ una cum hæreticis, & schismaticis dogmatibus condemnandos esse dicimus, quemadmodum etiam in Sardicensi Synodo jam condemnati sunt ab Episcopis, qui nos præcesserunt ". Theophilus enim, de cujus iniquitate judicii contra Chrysostomum in sequentibus agemus, ut ostenderet, eumdem Chrysostomum e sede Constantinopolitana judicio Episcoporum jam depulsum, eam occupasse contra leges, quia non præcesserat judicium alterius Synodi, Constantinopolim misit quartum canonem Concilii Antiocheni, in quo ab Eusebianis contra Athanasium ita statutum fuisse legitur: „ Si

(1) Apud Coustantium 7. in *Collect. epist. Roman. Pontif.*

„ Si quis Episcopus, aut Presbyter, jure, aut injuria depo„ situs, per se redeat absque Synodo, talis non habeat am„ plius locum defensionis, sed absolute expellatur". Hunc ergo canonem Innocentius ab hæreticis constitutum dicit, & in Sardicensi Concilio refutatum, in quo judicium latum fuit pro innocentia Athanasii (1).

Neque est, cur quemquam moveat, dictum ab Innocentio I. fuisse, solis illis Canonibus, *parendum esse*, qui Nicææ definiti sunt: nam sub nomine Nicænorum Canonum etiam Sardicenses illa ætate, atque etiam sequentibus, veniebant, sicuti mox animadvertemus. Est ergo evidenti Innocentii I. testimonio comprobatum a nobis, Canones Sardicenses in Latina Ecclesia fuisse receptos, ac proptera quum rem eamdem etiam quoad Orientalem Ecclesiam ostenderimus; concludendum est, haberi consensionem universalis Ecclesiæ in receptione hujusmodi Canonum.

§. II. Nonnullorum hac de re contrariæ conjecturæ refelluntur.

Canones Sardicenses in Concilio Trullano ab Orientalibus receptos fuisse, *De Concord. Sacerd*, *& Imper.* lib. 7. cap. 5. num. 11. Petrus de Marca tuetur. Richerius vero in *Hist. General. Concil.* cap. 3. num. 5., & cum ipso Samuel Basnagius in *Annalibus Politico-Ecclesiasticis* ad ann. 342. num. 5., illud potissimum urget, Dionysium Exiguum in epistola, quam codici Canonum Ecclesiæ Romanæ præfixit, testem esse, Sardicenses Canones inter Canones Græcos recensitos non fuisse, sed latine tantum editos, indeque eumdem Dionysium Canonibus generalium Conciliorum Sardicenses subjecisse. Illud quoque Richerius animadvertit, apud Gratianum in tota *Distin.* 15., in qua Concilia Œcumenica recensentur, Sardicensis nullam mentionem fieri. *Distin.* 16. cap. 13. recenseri viginti Canones a Synodo Nicæna editos. *Distin.* 20. cap. 1. Leonem IV. Canones Synodorum eo ordine recensere, quo in codice Canonum Dionysii Exigui referuntur, hoc est, post Synodum Chalcedonensem subdi Sardicum.

(1) Vide Coustantium in Adnotat. ad præfatam Innocentii epist.

dicum. Ad hæc Canones Sardicenses in Ecclesia Græca receptos non fuisse contendit ex iis, quæ Actione 10. Concilii Chalcedonensis gesta fuere in caussa Bassi, & Stephani. Quesnellus *Dissert.*5. *Apologetica* pro S. Hilario par.1. cap.15. sentit cum istis, atque affirmat, non fuisse tantæ auctoritatis apud Episcopos sive Orientales, sive Occidentales Synodum Sardicensem, ut definitioni ejus statim inhæserint.

Contra contigisse in sequentibus singillatim ostendemus, tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiæ habita ratione, atque tum Quesnellum, tum Petrum de Marca longe a vero aberrasse evincemus, dum putarunt Orientales, & Occidentales ægre tandem, & post longum tempus, Sardicensibus Canonibus consensisse. Ex iis quoque, quæ in causa Bassi, & Stephani contigerunt, nihil minus colligi posse, quam quod Richerius vellet, infra ostendemus, dum usum appellationum post Synodum Sardicensem, in utraque Ecclesia frequentem fuisse evincemus. De Dionysii nunc codice, & de Gratiano videamus.

Jam est illud ostensum a nobis, Canones Sardicenses non minus ab Occidentali, quam ab Orientali Ecclesia fuisse receptos, atque id de ista comprobatum antiquissimo testimonio Patrum Constantinopolitanorum (1). Tam vero græce, quam latine Canones Sardicenses editos fuisse, pluribus argumentis sapientissimi Ballerinii fratres ostendunt in sua editione Operum S. Leonis tom.3. *De Ant. Collect.*, *&* *Collect. Can.* par.1. cap.5. num.1. & seqq.: qui etiam cap.6. contra Justellum opinantem Canones Sardicenses in codice græco Canonum serius descriptos fuisse, atque id confirmantem tum ex codice Dionysii Exigui, tum ex aliis codicibus, ostendunt, Canones Sardicenses in pluribus antiquissimis græcis codicibus desideratos non fuisse, quamvis in nonnullis ii defuerint, qualis fortasse codex ille fuit, quem Dionysius Exiguus in sua versione præ manibus habuit. " Sicut " autem (quemadmodum illi animadvertunt cit. cap. nu.10.) " codex, ex quo ille latine trastulit Canones Apostolorum " quin-

(1) Præced. §.

„ quinquaginta, imperfectus erat; (iidem enim Canones „ jamdiu ante Dionysium recepti, erant multo plures, uti „ statuimus cap. 1. num. 4.) ita minus perfecto Canonum Sy- „ nodalium exemplo uti potuit, ut ne omnes codices simi- „ lem numerorum seriem præseferentes, Canonibus Sardi- „ censibus caruisse dicendum sit“. Est etiam animadvertendum, ea fortasse de causa Dionysium Exiguum non solum Nicænis, sed etiam Ancyranis, Neocæsarensibus, Gangresibus, Antiochenis, Laodicenis, & Constantinopolitanis Canonibus subjecisse Canones Sardicenses, quia illos omnes e græco textu translatos in sua collectione complexus fuerat, istos latine jam editos suæ collectioni adjecit. Nam dum ea recenset, quæ ex Græco transtulerat, in Chalcedonensibus Canonibus finem facit: “ Ne quid præterea (Dionysius su- „ peraddit) notitiæ vestræ credar velle subtrahere; statuta „ quoque Sardicensis Concilii, & Africani, quæ latine sunt „ edita, suis a nobis numeris cernuntur esse distincta“. Ex quibus duo sane constant: unum est; etiam ex Dionysio colligi posse, Canones Sardicenses statim ab initio latine editos fuisse: alterum vero; Dionysium sub uno ordine complecti voluisse, quæ ex Græco transtulerat, iisque superaddidisse Sardicenses Canones latine jam editos.

Quæ autem Richerius ex Gratiano opponit, nullam in se difficultatem habent. Nam ex Ecclesiastica historia omnino perspectum habemus, Canones Sardicenses, qui in usum Latinorum latine editi fuerant, sub nomine Nicænorum venisse, atque fuisse commemoratos. Nam duo Canones Sardicenses in Commonitorio Zosimi (1) Synodo Nicænæ tribuuntur. S. Leo epist. 44. cap. 3. Canones Sardicenses de Appellationibus citat sub nomine Nicænorum. Ante hos autem invenimus Canones Sardicenses laudatos sub nomine Nicænorum in Canonibus Synodi Romanorum ad Gallos, quos nonnulli Innocentio I., alii autem cum Coustantio Pontifici Siricio tribuunt. In iis enim Canonibus apud Coustantium in *Collect. epist. Roman. Pont.* epist. 10. Siricii num. 13. hæc le-

(1) Tom. 2. Concil. edit. Venet. colum. 1253.

guntur. " Nicænum Concilium, Divino Spiritu annuente,
„ dum fidei confessio fuisset jure firmata, etiam traditiones
„ Apóstolicas Episcopi in unum congregati ad omnium noti-
„ tiam pervenire voluerunt, definientes inter cetera neque
„ abscisum Clericum fieri, quoniam abscisus, & mollis non
„ intrabunt in sanctuarium Dei. Deinde post baptismi gra-
„ tiam, post indulgentiam peccatorum, quum quis seculi
„ militia fuerit gloriatus, vel illum, qui purpura, & fasci-
„ bus fuerit delectatus, ad sacerdotium aliqua irruptione
„ minime admitti jusserunt ". In Nicæno quidem 1. cano-
ne habetur, ut abscisi a Clero arceantur: ne quis vero a
militia, vel foro *aliqua irruptione* admittatur; Sardicensi 13.
Canoni tribuendum est. " Si illic (observat Coustantius)
„ *aliqua irruptio*, id est, quod præpropera festinatio, non
„ dubitabimus hic recenseri Canonem 13., quem & in Mor-
„ bacensis monasterii vetere codice Nicænum inscriptum ob-
„ servavimus ". Hæc Coustantius, qui illud quoque ani-
madvertit in supra citatis Canonibus num. 16. epistolæ Siricii
Canonem Sardicensem primum referri inter Nicænos. In plu-
ribus autem Codicibus Canones Sardicenses una simul cum
Nicænis unitos fuisse, nulla apposita distinctione finis Nicæ-
norum Canonum, qui primi præmittuntur, & initii Sardi-
censium, qui post illos subjiciuntur, non est, cur nunc de-
monstrandum aggrediamur. Id enim cum maxima copia eru-
ditionis Ballerinii fratres in sua edit. Operum S. Leonis to. 3.
De Antiq. Collect., *& Collect. can.* par. 2. cap. 1. §. 3. præclare
præstiterunt. Petrus de Marca Differt. 2. *De veteribus colle-
ctionibus canonum* hæc habet cap. 1. num. 3. de veteri Christo-
phori Justelli Ms. collectione: " In ea collectione hoc erat
„ lemma: *Canones Nicæni*. Deinde sequebatur series qua-
„ draginta canonum numeris suis distinctorum; quorum prio-
„ res viginti erant veri, & genuini canones Nicænæ Syno-
„ di; reliqui autem viginti continebant unum & viginti ca-
„ nones Concilii Sardicensis. Non dubitandum, quin statim
„ post editionem adjecti fuerint canones illi Sardicenses prio-
„ ri collectioni (Nicænorum) consequentibus numeris sub
„ anti-

„ antiquo titulo “. Hinc post pauca recte hæc alia habet: „ Quare Innocentius, Zosimus, & Leo alieni sunt ab omni „ dolo in proferendis canonibus Sardicensibus, ac si ad Ni- „ cænam Synodum pertinerent, quum auctoritate scrinio- „ rum suorum, & veteris collectionis freti essent “. Neque solus Petrus de Marca, sed etiam Quesnellus Dissert. 12. *De Codice can. Eccl. Romanæ* cap. 4. num. 7. nobiscum consentit. Quapropter, ut ad id, quod modo volumus, tandem deveniamus, est sane dicendum, eadem ratione, qua Innocentius, Zosimus, Leo, atque alii sub nomine Nicænorum canones quoque Sardicenses complexi fuere, etiam illos auctores, qui apud Gratianum dist. 15. & 16. leguntur, idem præstitisse. Quem vero ordinem Dionysius Exiguus tenuit, etiam Leo IV. apud Gratianum dist. 20. servavit.

§. III. Ab Oriente appellatum fuit ad Sedem Apostolicam ante epocham constitutam a Petro de Marca.

Quoniam Petrus de Marca *De Concord. Sacerdotii, & Imperii* lib. 7. cap. 4. & seq. tuetur, ante Concilii Trullani tempora, hoc est, ante an. 688., vel 692., in Ecclesia Orientali non viguisse usum appellationum Episcopalium ad Sedem apostolicam; ideo nunc multa nos exempla in medium afferemus, quibus ante prædictum tempus ad Sedem Apostolicam ab Oriente appellatum fuisse constet, tam illorum quæ ad fidem, quam aliorum, quæ ad disciplinam spectabant, habita ratione. Nam idem Petrus de Marca cit. lib. cap. 6. n. 3. judicium ultimum causarum fidei ad Sedem Apostolicam semper spectasse profitetur, de causis disciplinæ id negat, cujusmodi, uti ipse inquit, fuit causa Athanasii, & aliorum Episcoporum Orientis, quæ examinatæ fuere, *tamquam ad disciplinam pertinerent*; concedit tamen, *habitam quoque fuisse ab Occidentalibus rationem oppressionis, quam Episcopi illi patiebantur ob causam fidei*. Verum, si, ipso sentiente, Athanasiii causa ad disciplinam spectabat, quum in ea ad Sedem Apostolicam appellatum revera fuisse jam ostenderimus (1): est profecto contra illum confectum a nobis, etiam in iis, quæ ad disciplinam

 spe-

(1) Præced. cap. §. 5. & seq.

ſpectabant, ad Sedem Apoſtolicam appellatum fuiſſe, antequam Sardicenſis Synodus celebraretur. Verum nunc de appellationibus factis poſt Concilium Sardicenſe, & ante Trullanum. Ab ea ergo appellatione exordiemur, quam ad Liberium, qui Julio in præfectura univerſalis Eccleſiæ an. 352. ſtatim ſucceſſit, factam legimus. A S. Baſilio epiſt. 34. memoriæ poſterorum traditam illam habemus. Nam de Euſtathio Epiſcopo Sebaſteno hæc refert: " Euſtathius ex Sebaſtia in „ minore Armenia, qui olim edoctus ab Ario, & quum is „ floreret, Alexandrinæ pravas in Unigenitum conſtruens „ blaſphemias, eum ſequutus, atque inter germaniſſimos il- „ lius diſcipulos numeratus, poſtea quam rediit in patriam, „ beatiſſimo Cæſareæ Epiſcopo Hermogeni, ipſum ob pra- „ vam fidem condemnanti, confeſſionem ſanæ fidei obtulit. „ Atque ita ab ipſo ordinatus poſt illius dormitionem ſtatim „ ad Euſebium Conſtantinopolitanum accurrit, qui & ipſe „ nemini concedebat in impio Arii dogmate tuendo. Deinde „ ob aliquas cauſas, quæcumque illæ ſint, expulſus, quum „ ad ſuos populares veniſſet, iterum ſe purgavit, impiam qui- „ dem occultans ſententiam; in verbis autem recti aliquid, „ & accurati præſeferens. Epiſcopatum forte adeptus, illi- „ co comperitur, anathematiſmum conſubſtantialis conſcri- „ pſiſſe in Ancyrana Synodo, quæ ab ipſis habebatur. Hinc „ autem quum Seleuciam veniſſet, ea geſſit cum ſuæ ſub- „ ſtantiæ conſortibus, quæ omnes norunt. Conſtantinopoli „ autem iterum aſſenſus eſt iis, quæ ab hæreticis propoſita „ fuerant. Atque ita ex Epiſcopatu ejectus, propterea quod „ antea Melitinæ depoſitus eſſet; hanc ſibi reſtitutioni viam „ invenit, ut apud vos ſe conferret. Quænam autem ei pro- „ poſita fuerint a Beatiſſimo Epiſcopo Liberio, & quibuſ- „ nam aſſenſus fuit, ignoramus, niſi quod epiſtolam attulit, „ quæ eum reſtituebat, eaque oſtenſa Concilio Tyanenſi, „ in ſuum locum reſtitutus eſt. Hic nunc depopulatur fidem „ illam, ob quam ſuſceptus eſt, atque una cum iis eſt, qui „ conſubſtantiale anathematizant, ſeque ducem præbet hæ- „ reſis Pneumatomachorum. Quoniam igitur inſtinc evenit

„ illi

„ illi facultas lædendi Ecclesias, ac data a vobis fiducia uti-
„ tur ad subversionem multorum, necesse est, instinc quo-
„ que venire & emendationem, ac per litteras Ecclesiis si-
„ gnificari, quibusdam conditionibus susceptus sit, & quo-
„ modo nunc immutatus irritum faciat beneficium sibi con-
„ cessum a Patribus, qui tunc erant ". Plura autem ex hac Basilii narratione habentur, quæ conficiunt, quod nos modo volumus: 1. Eustathium de Episcopatu dejectum fuisse ob professionem hæresis, quam licet aliquo intervallo temporis occultasset, ea se tamen infectum esse, nullum dubitandi locum reliquit: 2. Romam se contulisse, ut in sua Sede restitueretur: 3. a Liberio Summo Pontifice epistolam accepisse, qua in ea restituebatur: 4. Patres Concilii Tyanensis, hac sibi epistola delata, Eustathium in suum locum restituisse: 5. Nihil antea contra Eustathium ad pristinam hæresim reversum, decernendum esse, Basilium putasse, quam Ecclesiis a Sede Apostolica significaretur, quibusnam tandem conditionibus Eustathius ad communionem receptus fuisset. Hæc vero omnia simul unita nihil sane amplius in hoc facto desiderari posse demonstrant, ut in eo veræ appellationis perfecta ratio habeatur.

§. IV. In causa S. Joannis Chrysostomi ad Innocentium I. Romanum Pontificem appellatum fuit.

Liberio successit Damasus, Damaso Siricius, Siricio Anastasius, Anastasio an. 402. Innocentius I. De ea celebri appellatione, quæ sub hoc Pontifice in causa S. Joannis Chrysostomi ad Apostolicam Sedem facta fuit, nunc est differendum a nobis. Theophilus itaque Alexandrinus una cum Episcopis suæ factionis in Synodo ad Quercum prope Chalcedonem congregata S. Joannem, uti reum multorum criminum, condemnavit. Non solum autem S. Joannes Chrysostomus ab hoc iniquo, atque impio judicio contra se lato ad Sedem Apostolicam appellavit, sed ad eamdem pro defensione sui judicii idem Theophilus provocavit, sicuti ex epistola Honorii Augusti missa ad Arcadium Principem Orientis comper-

per-

pertum habemus (1). " Missi (inquit) ad Sacerdotes urbis
„ æternæ, atque Italiæ ex utraque parte legati. Expectabatur ex omnium auctoritate sententia informatura regulam
„ disciplinæ. Integrum nempe esse debuerat, nec quidquam
„ innovari, dum definitio deliberata procederet; quum interea mirum quoddam festinationis præcipitium exarsit, ut,
„ non expectatis litteris Sacerdotum, qui fuerant mutua partium legatione consulti, non examinatis rebus, in exilium truderentur Antistites, animadversioni prius addicti,
„ quam sententiam judicii Episcopalis experti. Denique
„ quam immatura illa damnatio fuerit, res probavit. Namque hi, quorum expectabatur auctoritas, (hoc est, Innocentius, & alii ab ipso in consilium super hac re adhibiti) pacifica Joanni Episcopo communione permissa, faciendam concordiam censuerunt, nec quemquam putarunt ante judicium consortio repellendum ". Hæc Honorius. Ex his autem illud sane constat, tum a S. Joanne Chrysostomo, tum ab adversariis illius ad Apostolicam Sedem appellatum fuisse. Utrum vero semel tantum, an vero semel atque iterum pars utraque ad Innocentium appellaverit, ab Honorio traditum non habemus. Verum Palladius in *Dialogo de vita S. Joannis Chrysostomi* pluribus vicibus hac tota de re ad Innocentium provocatum fuisse retulit. Sicuti ergo in causa Athanasii contigit, ut Athanasii oppugnatores omnium primi ad Sedem Apostolicam appellaverint; ita etiam in causa Chrysostomi Theophilus omnium primus ad Innocentium de Chrysostomi depositione a se facta in Synodo scripsit (2):
„ Primus omnium (inquit Palladius) ad nos venit Alexandrinus Lector cum Theophili Papæ litteris, in quibus referebat, se deposuisse Joannem. Quibus lectis, B. Papa
„ Innocentius parum abfuit, quin temeritatem Theophili,
„ atque superbiam condemnans exhorresceret, quod & solus
„ scripsisset, & claram ejus notitiam non misisset: aut cur,
„ aut quibus assumptis sociis deposuisset ". Hoc autem inter-

(1) Tom. 3. Concil. edit. Venet. colum. 71. (2) Vide Tom. 13. Oper. S. Joan. Chrysost. edit. Maurinorum.

tervallo temporis etiam a S. Joanne Chrysostomo legati Romam pervenerunt, Summum Pontificem certiorem facturi de iis, quæ contigerant, tresque ei litteras reddiderunt, Chrisostomi unam, alteram 40. Episcoporum, qui Chrysostomo adhærebant, tertiam Cleri Constantinopolitani: " In-
„ terim (prosequitur Palladius) post triduum advenerunt
„ quatuor Episcopi e partibus Joannis, viri religiosi, Pan-
„ sophius Pisidiæ, Pappus Syriæ, Demetrius Galatiæ secun-
„ dæ, Eugenius Phrygiæ, qui tres epistolas reddiderunt;
„ unam quidem Joannis Episcopi, alteram quadraginta Epi-
„ scoporum de communione Joannis, tertiam vero Cleri
„ Joannis: omnes inter se consentientes, & imperitorum
„ quorumdam tumultus significantes ". Solam autem Chrysostomi epistolam Palladius refert. In ea ergo Chrysostomus, postquam de sua agendi ratione, deque sibi adversantium temeritate, atque manifesta injustitia, immo & violentia, Innocentium certiorem fecit, ita ipsum rogat: " Ne igitur
„ tanta confusio omnem, quæ sub cœlo est, terram invadat,
„ rogo, ut per epistolas denuntietis ea, quæ tam inique
„ acta sunt, ab una parte, absentibus nobis, & non decli-
„ nantibus judicium, nullum habere robur, sicut ex sua na-
„ tura nullum habent; & ut, qui talia ausi sunt, Ecclesia-
„ sticarum legum pœnis subjiciantur ". Quid ad ista Innocentius? " Ad hæc B. Innocentius Papa (inquit Palladius)
„ utrique parti pares litteras communionis misit, improbans
„ judicium, quod a Theophilo factum videbatur: dicens de-
„ bere aliam cogi Synodum irreprehensibilem Orientalium,
„ & Occidentalium ". Rursus alii a Theophilo legati ad Innocentium missi fuerunt, hoc est, Petrus presbyter, & Martyrius Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus, a quibus Theophili litteras, & *quosdam Actorum Commentariolos* Innocentius accepit. At Innocentius " Theophili furorem exsi-
„ bilare perstitit, quod contra absentem tam præcipitem,
„ & abruptam sententiam effudisset ... Modico post tempore
„ advenit presbyter Constantinopolitanæ Ecclesiæ Theotec-
„ nus nomine, reddens epistolas Synodi Joannis, viginti
quin-

„ quinque Episcoporum, aut paulo plus, quibus docebant, „ & Joannem militari manu urbe expulsum, & Cucusum in „ exilium esse missum, atque succensam esse Ecclesiam. Cui „ etiam dedit Innocentius communicatorias litteras, & ad „ Joannem Episcopum, & ad omnes ei communicantes Epi„ scopos, quum opem ferre non posset, & quod ad malum „ potentes quidam obstarent". Post hanc quoque legationem ab utraque parte alteram ad Innocentium missam fuisse, ex eodem Palladio novimus. Pro Theophilo quidam *homuncio* eam obivit, *quem usque adeo despexit Papa Innocentius, ut respondere dignatus non sit*: pro Chrysostomo autem plures Episcopi Orientis, atque presbyteri, qui etiam Innocentio retulerunt, quot, & quanta mala ad expulsionem Chrysostomi consequuta fuissent. Tunc sane, sicuti inquit Palladius, *non amplius sustinens Papa Innocentius* de tantis malis Imperatorem Honorium monuit, ut iisdem prospiceret. Coacta tunc sane fuit Synodus Occidentalium, istaque commonitorium edidit, in quo statuebatur, " Joannem judicium ingredi non debe„ re, nisi prius ipsi restituta fuisset & Ecclesia, & commu„ nio, ut, sublata causa detrectandi judicium, sua sponte „ confessum iret". Honorius vero Imperator, litteris datis juxta Innocentii sententiam ad Arcadium, Principem Orientis, eum rogavit, ut Synodum Œcumenicam Thessalonicæ haberi pateretur (1). Plura sane ex hisce omnibus observanda occurrunt, quæ ad rem nostram pertinent. 1. Honorius Augustus Arcadium Principem Orientis monuit, nihil innovari oportuisse, *dum definitio deliberata procederet*, hoc est, haberetur *sententia informatura regulam disciplinæ* ab Ecclesia Romana, ad quam *ex utraque parte legati missi* fuerant; indeque arguit Chrysostomi condemnationem *immaturam* fuisse, quia illi, *quorum expectabatur auctoritas*, *pacifica Joanni Episcopo communione permissa*, *faciendam concordiam censuerunt*. Nihil hisce omnibus efficacius desiderari potest ad illud jus adstruendum, quod nos Sedi Apostolicæ tribui oportere contendimus. 2. Nimis multi fuerunt ii, qui pro Chrysostomo ad Inno-

(1) Vide Palladium citato loco.

Innocentium provocarunt: nam provocarunt sane prima vice non solum quatuor Episcopi, qui legatione fungebantur, sed etiam alii quadraginta Episcopi, & Clerus Constantinopolitanus, quorum epistolas legatos ad Innocentium detulisse, ex Palladio novimus: appellavit deinde Theotecnus Ecclesiæ Constantinopolitanæ presbyter viginti quinque Episcoporum testimonium secum afferens: appellarunt denique plures Episcopi Orientis, atque presbyteri, qui & quanta mala ad Chrysostomi ejectionem consequuta fuissent, lugentes Innocentio repræsentarunt. Pro Theophilo autem primo Lector Alexandrinus, deinde Petrus presbyter, & Martyrius Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus, qui & quosdam *Actorum commentariolos*, ut nullum de vera appellatione dubium esse possit, Innocentio detulerunt: appellavit tandem *quidam homuncio*, sane dignus, qui & hujusmodi legatione fungeretur, dignusque etiam magis, qui ea, qua Innocentius usus erga eum ratione fuit, exciperetur. Orientales ergo, quamvis inter se mutuo dissentientes, in eo inter se convenerunt, ut ad judicium Apostolicæ Sedis ea controversia deferretur, quæ inter illos erat. 3. S. Joannes Chrysostomus in suis litteris ad Innocentium eumdem rogavit, ut per epistolas denuntiaret, quod ea, *quæ tam inique acta essent, nullum haberent robur, & qui talia ausi essent, Ecclesiasticarum legum pœnis subiicerentur*. Quapropter vel præter rationem Chrysostomus hac de re Innocentium exoravit, vel recte, & secundum leges: illud nemo sane dixerit: hoc ergo alterum affirmandum est: cum eo autem jus appellationum ad Sedem Apostolicam necessariam connexionem habet. 4. Innocentius, Theophili iniquitate statim perspecta, parum abfuit, quin illum propter ea condemnaret, quæ in Chrysostomum inique gesserat; judicium tamen ab eodem latum omnino rescidit, quum Chrysostomum, prima legatione accepta, ad suam communionem receperit, & post alteram legationem non solum cum Chrysostomo hoc idem servaverit, sed etiam cum omnibus aliis Episcopis, qui Chrysostomi partes tuebantur, atque iis, quos in Orientem misit, ut Synodo Thes-

ſalonicæ habendæ præſiderent, Commonitorium Synodi Occidentalis dedit, in quo ſtatutum erat: " Joannem judi-
„ cium ingredi non debere, niſi prius ipſi reſtituta fuiſſet
„ & Eccleſia, & communio, ut, ſublata cauſa detrectandi
„ judicium, ſua ſponte confeſſum iret ". Quamvis ergo Julius Theophilum cum ſuis aſſeclis non damnaverit, ſed æque ipſi, ac S. Joanni Chryſoſtomo litteras communicatorias miſerit; illius tamen, & aliorum Epiſcoporum judicium latum contra Chryſoſtomum in Synodo ad Quercum, omnino reſcidit, & ſicuti reſciſſum voluit, ut ea quoque in Synodo haberetur, quam ad integram diſcuſſionem totius cauſæ cogi curavit. 5. Hæc Synodus, Arcadio impediente, habita quidem non fuit; tamen ſententia Innocentii, qua Chryſoſtomum in ſuam communionem receperat, atque ei ſedem reſtituerat, firma ſemper perſtitit. " Ceterum (inquit Theo-
„ doritus lib. 5. *Hiſt. Eccleſiaſt.* cap. 34.) hanc injuſtitiam (in
„ Chryſoſtomum admiſſam) præcipue deteſtati ſunt Epiſcopi
„ Europæ. A communione enim eorum, qui hæc fecerunt,
„ ſe ipſos ſeparaverunt. Illyriciani quoque omnes eorum
„ partibus ſeſe adjunxerunt. Orientalium vero urbium quam
„ plurimi communionem quidem ſceleris refugerunt; cor-
„ pus tamen Eccleſiæ haud quaquam diſciderunt. Et poſt
„ mortem magni Doctoris orbis terrarum Occidentales Epi-
„ ſcopi Epiſcoporum Ægypti, & Orientis, & Boſphori, ac
„ Thraciæ communionem non prius admiſerunt, quam di-
„ vini illius viri nomen in Tabulas, in quibus nomina Epi-
„ ſcoporum mortuorum continebantur, una cum reliquis fa-
„ to functis Epiſcopis conſignaſſent. Et Arſacium quidem,
„ qui poſt illum ordinatus eſt, ne ſalutare quidem dignati
„ ſunt. Atticum vero Arſacii ſucceſſorem, qui multas ad
„ ipſos legationes miſerat, & pacem cum ipſis habere poſtu-
„ laverat, tandem ſuſceperunt, poſtquam is nomen illius in
„ ſacras Tabulas retuliſſet ". Si ergo hæc omnia, quæ in cauſa Chryſoſtomi contigerunt, ſimul unita accipiantur, jus appellationum ad Sedem Apoſtolicam adeo evidenter iiſdem adſtruitur, ut id nemini non perſpectum eſſe poſſit.

§. V. Ex

§. V. Ex integra ratione hujus facti non constare de jure appellationum ad Sedem Apostolicam, Adversarii nostri ostendere frustra nituntur.

Petrus de Marca *De Concord. Sacerd.*, *& Imp.* lib. 7. cap. 9. num. 2. & 3. hæc urget: Chrysostomum ad Synodum Œcumenicam appellasse, & Innocentium appellationem, quam suscepit, ad Synodum Œcumenicam detulisse. Nam Chrysostomus ad Innocentium scribens, sicut ex Palladio constat, ait: *Sed licet præsentes essemus*, *& ad Synodum appellaremus*. Innocentius autem statuit: *debere aliam cogi Synodum irreprehensibilem Occidentalium*, *& Orientalium*, supra ex eodem Palladio & nos quoque animadvertimus. Urget hæc eadem & Samuel Basnagius in *Annalibus Politico-Ecclesiasticis* ad an. 404. num. 9. & 10., atque illud superaddit, verbum ἀθετήσας verti debere apud Palladium *spernens*, quo sensu etiam accipitur a Paulo *Hebr.* cap. 10. v. 18., & *Joan.* cap. 12. v. 48. " Id Palladium (inquit) sibi voluisse, sequentia vin-
" cunt: *spernens*, *quod a Theophilo factum videbatur judicium*,
" *dixit aliam debere cogi Synodum irreprehensibilem Occidenta-*
" *lium*, *& Orientalium*. Quod si Theophili sententiam abro-
" gasset Innocentius, cui bono voluisset, Synodum convo-
" cari "? Tandem opponit in epistola Honorii mentionem fieri legatorum, qui non ad solum Innocentium missi fuerant, sed *ad Sacrdotes urbis æternæ*, atque ab his existimatum fuisse, neminem *ante judicium consortio pellendum*. A Dupinio quoque *De Antiq. Eccl. Disciplina Dissert.* 2. ista opponuntur, qui illud præterea animadvertit, scriptum a Chrysostomo de judicio suæ condemnationis non solum ad Innocentium, sed etiam ad Venerium Mediolanensem, & Chromatium Aquilejensem Episcopum, qui profecto rescindendi decreta Synodorum Orientalium auctoritatem non habebant. Id etiam Febronius *De Statu Eccl. &c.* cap. 5. §. 8. num. 2. rursus refrixit. Tandem illud ab eis objicitur, judicium contra Chrysostomum latum a Theophilianis irritum in se, atque inane fuisse, indeque non erat, cur de eo sententiam Innocentius proferret, sed veluti non latum illud haberet, solummodo

requirebatur, ficuti, revera fecit, quum tam Theophilum; quam Chryfoftomum ad fui communionem admiferit.

His omnibus antequam refpondeamus, illud monemus, Petrum de Marca in citato libro, & capitulo num. 1. ftatuere, *ad folam difciplinam pertinere hoc exemplum editum in magno viro, ac fanctiffimo Joanne Chryfoftomo, Epifcopo Conftantinopolitano*. Semel ac ergo conftet, nullius momenti effe, quæ contra veritatem hujus appellationis opponit, contra ipfum quoque conftabit, etiam iis, quæ ad difciplinam fpectant, ab Oriente ad Sedem Apoftolicam appellatum fuiffe: quod tamen ipfe negat (1). Ad Synodum ergo Chryfoftomus appellavit, feque, uti ex Palladio habemus, *coram centum, & mille Epifcopis* fuam caufam defendere paratum dixit: at quandonam appellavit? Profecto quando a Theophilo opprimebatur: quando Theophilus, *collecta multitudine Ægyptiorum non paucorum* Conftantinopolim adveniens judicium depofitionis contra ipfum tulit, ficuti apud Palladium ex epiftola Chryfoftomi ad Innocentium conftat. Id autem una cum aliis multis, quæ contra fe flagitiofe commiffa fuerant, Chryfoftomus ad Innocentium retulit, ut femper magis magifque de judicii contra fe lati iniquitate illi compertum effe poffet.

Innocentius autem judicium contra Chryfoftomum a Theophilianis latum per fe quidem refcidit; tamen contra Theophilianos nullam fententiam ferre voluit, quia facile inde futurum effe videbat, ut gravia fchifmata orirentur. Hac de caufa voluit, ut totum negotium non folum Occidentalium, fed iftorum, atque Orientalium fimul judicio fubjiceretur. Nam, uti recte animadvertit Natalis ab Alexandro *Hift. Ecclefiaft.* fec. 5. cap. 5. art. 2. « Quum Orientalium pars » maxima Epifcoporum, Arcadius Imperator, & Eudoxia » Imperatrix, Chryfoftomum ut legitime depofitum habe» rent, Arfaciumque, & deinde Atticum in ejus fedem in» trufos, ut legitimos Antiftites Conftantinopolitanos vene» rarentur, timendum erat, ne Orientis Ecclefia commu» nionem cum Occidentali penitus abrumperet, fi Roma» nus

(1) Vide hujus cap. §. 3.

„ nus Pontifex Arſacium , & deinde Atticum , invaſores „ Conſtantinopolitanæ ſedis in ordinem redegiſſet , ac in „ Theophilum , alioſque Epiſcopos ipſi nequitia , & iniqui- „ tate conſiliorum fœderatos , canonum , quos impune vio- „ laverant , ſeveritatem diſtrinxiſſet : ſed proviſorio nihilo- „ minus decreto Synodum prædatoriam ad Quercum reſcidit „ Innocentius. Ac tandem Commonitorio, quum Œcumenicæ „ Synodi celebrandæ nulla ſpes supereſſet , Orientales com- „ pellens ad memoriam Joannis Chryſoſtomi inter Epiſcopos „ Conſtantinopolitanos in Eccleſiæ dyptica reſtituendam , nec „ prius ſuſpenſam redintegrans cum Orientalibus communio- „ nem , quam id exequutioni mandaſſent “ . Hinc etiam Chriſtianus Lupus ſuorum Operum tom. 8. *Diſſert.* 1. *De Romanis Appellationibus* cap. 15. non ſolum ab Innocentio cum Theophilianis hujuſmodi œconomiam , prudentemque rationem ſervatam fuiſſe animadvertit , ſed ab aliis quoque Pontificibus in iis cauſis , in quibus ad eos appellatum fuerat.

Non eſt autem , cur in eo laboremus , quod de interpretatione græci verbi ἀθετήσας Baſnagius nobis opponit . Hoc enim verbum ἀθετέω aliquando contemnere , aliquando repellere , aliquando irritum facere ſignificat . Lexigographi in hac re inter ſe conſentiunt , & non eſt , cur nos de ea pluribus agamus poſt tam multa , quæ animadvertimus ad id comprobandum , quod volebamus .

Una vero eademque ratione ſolvitur , & quod de Legatis miſſis ad Sacerdotes urbis æternæ ab Honorio Imperatore traditum accepimus , & quod præfertur de inſcriptione epiſtolæ S. Joannis Chryſoſtomi non ſolum ad Innocentium , ſed etiam ad Venerium Mediolanenſem , & Chromatium Aquilejenſem Epiſcopum . Honorius Imperator in litteris , quas dedit ad Arcadium Principem Orientis , ut juxta Innocentii ſuaſionem illum ad id induceret , ut Synodum Theſſalonicæ haberi pateretur , quia ad Synodum Italiæ , quæ jam habita fuerat , potiſſimum appellabat , ideo Sacerdotum mentionem fecit . Non ea vero de cauſa Chryſoſtomus de ſua condemnatione ſcripſit tam ad Innocentium , quam ad Venerium Mediolanen-

lanensem, & Chromatium Aquilejensem Episcopum. Innocentio enim scripsit, ut factum contra se judicium rescinderet, Venerio autem, & Chromatio, ut sibi auxilio essent. Hinc vero est, ut nullam ex tribus legationibus, quas ab utraque parte ex Oriente missas fuisse, supra commemoravimus, ad Venerium, & Chromatium, omnes vero ad Innocentium directas legamus. Deinde Innocentius sane ille fuit, non vero Venerius, & Chromatius, qui, teste Palladio, utrique parti litteras communicatorias misit, quique a Theophilo factum judicium improbavit. Quid? anne ipsi Theophiliani ad alium, præter quam ad Innocentium, aliquando provocarunt? Quapropter tantum ad Innocentii judicium in hac causa provocatum fuisse, ex ipsis etiam inter se dissentientium legationibus unicuique perspectum esse debet.

Esto sane non solum irritum, sed impium quoque fuerit judicium illud, quod contra S. Joannem Chrysostomum Theophiliani tulerunt. Anne fortasse repugnat, ut ea quoque judicia, quæ irrita sunt, & contra omnes leges facta fuere, superiori tribunali expendenda remittantur, ut sententiam de eis ferat? Nonne etiam apud laicos idem sæpe usuvenit? Id vero dum contingit, propterea dicendum ne erit, nullum tunc a superiori potestate judicium exerceri? Hoc tamen Adversarii nostri volunt, dum nobis opponunt, quod ad Innocentium pars utraque detulit, irritum fuisse.

De Bubalii etiam, & Tauriani, quos Rufus Episcopus Thessalonicensis, in Synodo Macedoniæ damnaverant, ad eumdem Innocentium appellatione agere nunc possemus (1); verum ne in hoc tantum Pontifice sistamus, quid hac in re sequentibus quoque temporibus actum fuerit, videamus.

§. VI. Eutyches ad S. Leonem appellavit.

Impius ergo homo quum in Synodo Constantinopolitana sub Flaviano damnatus fuisset, a sententia contra se lata ad Leonem provocavit, deque lato contra se judicio conquestus fuit, atque eum exoravit, ne permitteret, ut illud aliquo

(1) Vide apud Coustantium 18. epist. Innocentii.

quo modo subsisteret (1). " Ad vos igitur (inquit in epistola ad „ Leonem) religionis defensores, & hujusmodi factiones exe- „ crantes confugio, nihil & nunc novum inducens contra fi- „ dem, jam inde nobis ab initio traditam..... Et obsecro, „ nullo mihi præjudicio facto ex his, quæ per insidias contra „ me gesta sunt, quæ visa vobis fuerit super fidem proferre „ sententiam, & nullam deinceps permittere a factiosis con- „ tra me calumniam procedere, & non eximi, & excuti de „ numero orthodoxorum, qui in continentia, & omni casti- „ tate septuaginta annos vitam peregit, ita ut in ipso exitu „ vitæ naúfragium patiatur. Subjunxi autem his litteris meis „ utrumque libellum, & eum, qui ab accusatore meo obla- „ tus est Synodo, & qui a me gestus quidem est, non tamen „ susceptus ". Hæc ad Leonem Eutyches. Quid Leo de Eu-tychete ad Flavianum scripserit, nunc videamus (2). " Ac- „ cepimus etenim (inquit Leo) libellum Eutychetis Presby- „ teri, qui se queritur, accusante Eusebio Episcopo, im- „ merito communione privatum, maxime quum evocatum „ se adfuisse testetur, nec sui præsentiam denegasse, adeo „ ut in ipso judicio libellum appellationis suæ se asserat ob- „ tulisse, nec tamen fuisse susceptum; qua ratione compul- „ sus sit, ut contestatorios libellos in Constantinopolitana „ urbe proponeret ". Usque nunc S. Leo sistit in enarratio-ne eorum, quæ Eutyches in sui defensionem ad eum detu-lerat. Deinde vero pro sui officii ratione ita: " Quibùs „ rebus intercedentibus nondum agnoscimus, qua justi- „ tia a communione Ecclesiæ fuerit separatus, sed respicien- „ tes ad causam facti tui nosse volumus rationem, & usque „ ad nostram notitiam cuncta deferri. Quoniam nos, qui Sa- „ cerdotum Domini matúra esse volumus judicia, non pos- „ sumus, incognitis rebus, in cujusquam partis judicium „ devenire, priusquam universa, quæ gesta sunt, veraciter „ audiamus. Et ideo fraternitas tua per idoneam maxime, „ aptam-

(1) Apud Cacciarium post epist. 21. S. Leonis Magni. Consulatur præmonitio, quæ ad eam præmittitur. (2) Epist. 20. juxta edit. Cacciarii.

„ aptamque personam plenissima nobis relatione significet, „ quid contra antiquam fidem novitatis emerserit, quod se- „ veriori sententia dignum fuerit judicari " (1). Anne judex superior verbis efficacioribus uti potest, dum a sententia judicis inferioris ad se provocatur, ipseque de ea judicium ferre aggreditur? Quid ad hæc omnia Flavianus, vir sane sanctissimus, ac fidei catholicæ defensor acerrimus? Anne suam jurisdictionem violatam dolet? anne conqueritur, velle Leonem præter leges judicare de iis, quæ in Orientali Concilio definita fuerant? Nihil sane minus ea in epistola occurrit, quam de hac re ad Leonem dedit. In illa itaque postquam multos in vestimentis ovium lupos rapaces esse deploravit, hujus numeri Eutychetem esse affirmat, quia (1) " Nestorii „ impietatem confirmabat, & succingebatur pro Nesto- „ rio militare in pugna, quæ contra ipsum parabatur; tre- „ centorum vero decem, & octo Sanctorum Patrum de fide „ confectam expositionem, & sanctæ memoriæ Cyrilli ad „ Nestorium scriptam epistolam, & ejusdem similiter ad „ Orientales, quibus omnes assenserant, tentavit evellere ". Omnes deinde recenset errores illius, quos *coram sancta Synodo* aperte protulerat. Postremo autem, ne quid ad eam subjectionem deesse videatur, quam superiori judex inferior debet, *gesta*, quæ confecta fuerant in causa Eutychetis, se ad eum direxisse dicit: " Sed ne multa dicens longam faciam „ epistolam, de his, quæ de eo dudum egimus, misimus ad „ Beatitudinem vestram litteras, quibus docuimus, & pre- „ sbyterio illum esse nudatum, quia in talibus convictus est, „ & jussimus eum in monasteriis nullam habere rationem, „ & exclusimus eum a communione nostra: ut sanctitas ve- „ stra hoc cognoscens, quod circa illum actum est, omnibus „ Episcopis sub Beatitudine vestra degentibus manifestare di- „ gnetur illius impietatem ". In altera vero epistola (2) eumdem Leonem obsecrat, ut Eutychetem *justæ, & canonicæ depositioni* subjectum esse constituat: " Deposuimus, (inquit) „ pro-

(1) In cit. edit. post epist. 21. S. Leonis. (2) In cit. edit. post epist. 24. S. Leonis.

„ prout Sanctitatem vestram docebunt cuncta super eo confecta acta, quæ & misimus cum hisce nostris litteris . - . . „ Dignare per proprias quidem litteras suffragari depositioni „ canonicæ adversus eum factæ “. Ob hæc damnationi in Eutychete latæ S. Leo omnino consensit, ita tamen, ut etiam dum hoc fecit, personam judicis se sustinere demonstraverit (1). “ Lectis (inquit) dilectionis tuæ litteris, quas miramur fuisse tam seras, & gestorum Episcopalium ordine „ recensito, tandem quid apud vos scandali contigerit, atque contra integritatem fidei exortum fuisset; agnovimus. „ Quibus Eutyches, qui presbyterii nomine honorabilis videbatur, multum imprudens, & nimis imperitus ostenditur, ut etiam a Propheta de ipso prædictum sit: *noluit intelligere, ut bene ageret; iniquitatem meditatus est in cubili suo*. Quid autem iniquius, quam impia sapere, & sapientioribus, doctioribusque non credere “? Quapropter 1. Eutyches in Constantinopolitana Synodo damnatus ad Leonem confugit, ut, sicut ipse dicebat, eam, quæ illi videretur, sententiam proferret, & nullam calumniam procedere a factiosis deinde permitteret. 2. Leo quum sub ipsius rei initium fallaciam, & dolum in Eutychete non metueret, aliundeque si vera essent, quæ ille retulerat, sententiam in eum præter omnes leges latam fuisse videret, a Flaviano petiit, ut facti rationem sibi manifestaret, cunctaque ad sui notitiam deferenda curaret, quia, incognitis rebus, in cujusquam partis judicium devenire non poterat. 3. Sine mora Flavianus obtemperat: de tota eum causa certiorem facit, fraudes, erroresque Eutychetis illi detegit, Concilii quoque gesta mittit, atque ultimo rogat Sanctitatem ejus, ut & suis Episcopis manifestam faciat impietatem Eutychetis, & declaret Eutychetem *justæ, & canonicæ depositioni* subjectum esse. 4. Hisce lectis, & Gestorum Episcopalium ordine recensito, S. Leo latæ in Eutychetem sententiæ consensit, deque eo Prophetam dixisse pronuntiavit: *Noluit intelligere, ut bene ageret: iniquitatem meditatus est in cubili suo*.

(1) Epist. 25. juxta eamdem edit.

§. VII. Refutantur qui negant, Eutychetem ad Leonem appellasse.

Petrus de Marca *De Concord. Sacerd.*, *&* *Imper.* lib.7. cap.6. num.5. concedit quidem Eutychetem ad S. Leonem appellasse; verumtamen non ad eum tantum, sed etiam ad Synodos Romanam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Thessalonicensem, *clanculum tamen in aurem Patricii Florentii, atque Synodo jam dissoluta*. Fundamentum autem hujus appellationis ad Synodos Romanam, Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Thessalonicensem in eo ponit, quia Constantinus Diaconus in II. Constantinopolitano Concilio sub Flaviano ita dixit: " Eutyches, dum legeretur damnatio, appellavit sanctum Concilium Sanctissimi Episcopi Romani, & Alexandrini, & Hierosolymitani, & Thessalonicensis ". Ad quæ Patritius Florentius ait: " Turba facta, & dissoluto conventu, dixit ad me silenter appellans Romanum, & Ægyptium, & Hierosolymitanum Concilium. Et ego arbitratus indecens esse, latere hoc sanctissimum, & reverendissimum Archiepiscopum Flavianum, abscedens dixi ei " (1). Ex his vero ideo Petrus de Marca infert, ad Synodos prædictas ab Eutychete appellatum fuisse, quia ipse putat, *appellationes factas ad Patriarchas censeri etiam factas ad eorum Synodos*. Richerius in *Hist. Concil. General.* cap. 8. num. 2. cum de Marca eamdem appellationem urget, sicuti etiam Quesnellius Dissert.7. *De causa Eutychetis* num.1., qui fidem hac in re æque Constantino, ac Eutycheti ad Romanam Sedem appellanti adhibendam esse dicit. Num.8. ideo in litteris Flaviani de appellatione ad Leonem tantum mentionem fieri affirmat, quia Flavianus tunc solum Leonem alloquebatur, sicuti eum solum etiam Eutyches in epistola ad eumdem data nominaverat. Leonem vero, uti *Primatem* inter ceteros a Flaviano de iis, quæ in causa Eutychetis gesta fuerant, voluisse fieri certiorem tradit. Quapropter ea de causa Flavianus (prosequitur num. 9. Quesnellus) acta ad Leonem transmi-

(1) Vide Tom.4. Concil. edit. Venet. Act.1. Concil. Chalcedonen. colum.1086.

transmisit, non ut ea quidem probaret, vel confirmaret, sed ut suis Episcopis evulgaret. Fuerunt quoque aliæ rationes, quibus Flavianus ad id induceretur. 1. Futurum prævidebat, ut Eutyches ad Sedem præsertim Romanam suas querelas deferret. 2. In triviis regiæ urbis libellos famosos Eutyches affigi curaverat, quorum sane fama etiam occidentales regiones pervasura erat. 3. Videbat Flavianus, facile esse, ut propter favorem Chrysapii Eutyches contra se apud Imperatorem prævaleret, apud quem quum multum etiam Leo posset, eum pro communi fidei, ac disciplinæ causa sollicitandum existimavit. " Denique (inquit) quum rumor „ disseminaretur, Imperatorem de cogenda universali Syno- „ do cogitare, in qua Eutychis negotium ad examen revo- „ caretur, æquum erat, ut Flavianus primariam sedem & „ hujus consilii certiorem faceret ". Num. 10. id Flavianum Leoni suasisse dicit, non quidem ut a se latam sententiam confirmaret, sed ut illam, non secus, ac suam, tueretur, atque curaret, ne pax Ecclesiæ perturbaretur. Unde postulasse Flavianum *Leonis non judicium*, *sed solatium*, *non sententiam*, *sed litteras*; *defensionem*, *non confirmationem*; *propria scripta*, *non Synodalia decreta*; hoc vero est, quod potissimum contendit.

Ad hæc 1. illud a Petro de Marca quærimus, undenam alii Patriarchæ, præter Romanum, habebant jus suo judicio subjicendi ea, quæ a Constantinopolitano definita forent. 2. Undenam constat, appellationes factas ad Patriarchas, etiam ad Concilia eorum factas fuisse intelligi debere. 3. Hujus causæ nullus finis aliquando futurus fuisset, si de ea in quatuor Conciliis agendum erat. Quapropter hæc appellatio nec canonica erat, neque talis, ex qua ultimum totius causæ judicium expectari posset. Jure ergo meritoque Flavianus quamvis secreto de ea monitus a Patritio Florentio fuisset, nihili faciendam illam esse putavit, neque etiam repellendam censuit, utpote quæ Patribus Concilii perspecta non esset, sicut ipsi aperte edixerunt (1). Hæc sane est illa præclara ap-

 pella-

(1) Vide to.4. Conc. edit. Venet. Act.1. Conc. Chalced. col.1086.

pellatio, quam adversarii nostri nobis opponunt, ut veras, legitimasque deprimant, cujus tamen neque ipse Eutyches aliquam postea rationem habuit. Nam ad Leonem sane appellavit: Leoni oppressionem sui, sicuti impie mentiebatur, aperuit: a Leone petiit, ut efficeret, ne a numero Orthodoxorum eximeretur: ad Leonem demum contra judicium Constantinopoli in se factum provocavit. Hinc Flavianus in epistola ad Leonem (1) inter alia hæc habet: " Litteræ nobis datæ sunt vestræ Sanctitatis, per quas sumus edocti, quia Eutyches libellos direxit vobis plenos omni fallacia, atque calliditate dicens: judicii tempore libellos se dedisse appellationis & nobis, & sancto Concilio, & appellasse vestram Sanctitatem, quod nequaquam factum est ". Ex hoc autem magis magisque confirmatur, nullam Eutychetem ejus appellationis habuisse rationem, quam Adversarii nostri plurimi faciunt, quaque veram appellationem contra aperta testimonia Eutychetis, S. Leonis, & S. Flaviani obscurare contendunt. Neque enim est, cur nunc repetantur dicta a nobis §. superiori.

Nunc ad ea, quæ Quesnellus opponit. Hujus appellationis habita ratione, ideo in litteris Flaviani solius Leonis, non vero ceterorum Patriarcharum, mentionem fieri dicit, quia Flavianus ad Leonem scripsit, sicuti antea Eutyches scripserat. Verum quid ex hoc concluditur? anne fortasse ad solum Leonem appellatum non fuisse, sed æque etiam ad alios Patriarchas? Ah hoc sane requireretur, ut quas hac de re litteras ab Eutychete ad Leonem, a Leone ad Flavianum, a Flaviano ad Leonem datas novimus, etiam ad alios Patriarchas ab Eutychete, ab aliis Patriarchis ad Flavianum, a Flaviano ad alios Patriarchas datas novissemus. Ubi nam tandem istæ sunt? Scripsit quidem ad Leonem Flavianus, sicut scripsit Eutyches, & hac potissimum de causa inter istos, & Leonem de ea appellatione actum novimus, de qua nunc disputamus.

Quam vero ob rationem Leo certior fieri voluerit de iis, quæ

(1) Juxta editionem Cacciarii post epist. 34. S. Leonis.

quæ in causa Eutychetis gesta fuerant, ipse S. Doctor in epistola ad Flavianum exposuit (1), neque ad hoc inanibus Quesnelli conjecturis indigemus. Nam ea in epistola rationem eorum, quæ gesserat in causa Eutychetis, a Flaviano quærit, cunctaque ad suam notitiam deferri postulat, quoniam ut sacerdotum judicia matura sint, ipse velle debet, nihilque pro utraque parte decernere potest, antequam universa, quæ gesta sunt, veraciter audiat. Unde Flaviano præcipit, ut per idoneam maxime, aptamque personam plenissima sibi relatione significet, quid contra antiquam fidem novitatis emerserit, quod severiori sententia dignum fuerit vindicari. In epistola autem ad Theodosium Imperatorem (2) non solum de hoc, quod Flaviano mandaverat, S. Leo eumdem Imperatorem monet, sed etiam alia ista superaddit: " Ad
" prædictum autem Episcopum litteras dedi, quibus mihi
" displicere cognosceret, quod ea, quæ in tanta causa ge-
" sta fuerant, etiam nunc silentio detineret, quum studere
" debuerit primitus nobis cuncta referre: quem credimus;
" vel post admonitionem, omnia ad nostram notitiam rela-
" turum; ut in lucem ductis his, quæ adhuc videntur oc-
" culta, id, quod Evangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ con-
" venit, judicetur ". Hæc sane loquendi ratio in illum tantum convenire potest, qui est ea ex se potestate præditus, ut de iis, quæ jam decreta fuerint, judicium instituere possit, sententiamque latam ab aliis suæ subjicere. Neque enim efficacioribus verbis superior judex erga inferiorem uti potest, ut judicii ab illo lati rationem sibi reddat, atque ita ipse postea vel confirmet, vel irritum declaret, quod ab illo definitum fuerit. Eam ergo S. Leo cum Flaviano in hoc negotio rationem servavit, quæ neminem dubitare sinit, hujusmodi in se potestatem S. Leonem agnovisse, atque etiam exercuisse, quæ supra Orientalium judicia extenderetur.

Est vero Quesnellus in suis conjecturis semper sibi similis, dum explicare aggreditur, quare Flavianus de tota causa

(1) Vide locum in præced. §. (2) Epist. 21. juxta editionem Cacciari.

sa Eutychetis S. Leonem certiorem fecerit. Ejus enim conjecturæ locum aliquem fortasse tunc habere possent, quando aliunde perspectum non esset, & Eutychetem ad Leonem appellasse, & Leonem in hac appellatione ad se facta personam judicis sustinuisse, & Flavianum sui judicii rationem Leoni reddidisse, unaque eum exorasse, ut per proprias litteras suffragari dignaretur depositioni canonicæ adversus Eutychetem jam factæ. De his vero omnibus constare jam ostendimus (1): igitur conjecturæ Quesnelli sunt omnino futiles, atque inanes.

Verum non est illud prætereundum, quod etiam Ballerinii fratres tom. 2. Operum S. Leonis in Observat. ad 7. Dissert. Quesnelli num. 6. & 7. animadverterunt, hoc est, Flavianum Leoni spondidisse futurum, ut ad tranquillitatem, & pacem cuncta transferrentur, neque amplius oporteret, ut Synodus Œcumenica haberetur, si ipse per proprias litteras depositioni canonicæ adversus Eutychetem jam factæ suffragaretur. Neque enim erat, cur tanta ex iis litteris consequutura sperarentur, quæ neque judicii, neque sententiæ, neque confirmationis vim haberent; immo vero etiam ex litteris, quæ judicium, sententiam, & confirmationem in se continerent, tanta profecto expectanda non erant, si apud Orientales decreta, ac judicia Apostolicæ Sedis, & ea quoque, quibus decreta Synodorum Orientalium confirmarentur, cujusdam oraculi instar non haberentur. Quapropter quum Flavianus futurum spoponderit ipsi Leoni, ut si sententiam in Eutychetem latam per modum judicii confirmaret, ut cuncta ad pacem, & tranquillitatem transferrentur, & necessarium esse desineret, cogi Synodum; evidenti argumento id esse debet, judicia Apostolicæ Sedis, & etiam ea, quibus decreta Synodorum Orientalium confirmarentur, instar cujusdam oraculi ab Orientalibus habita fuisse.

Ultimo tandem illud contra Quesnellum non urgere non possumus, S. Pontificem Leonem in percelebri sua epistola ad Flavianum non solum confirmasse sententiam contra Euty-

(1) Vide præced. §.

Eutychetem in Synodo Constantinopolitano latam, sed etiam Synodi judicium suo subjecisse, reprehendisseque in eo duo, quorum unum ad dogma, ad disciplinam alterum spectabat. Mirari enim se in ea (1) dicit, qua ratione Constantinopolitani Patres hæc in Eutychete sine ulla censura præteriissent: „ Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante „ adunationem, post adunationem vero unam naturam con„ fiteor ". Quum enim sermo nimis insipiens, nimisque blasphemus in ea contineretur; " Miror (inquit S. Leo) tam „ absurdam, tamque perversam ejus professionem, nulla ju„ dicantium increpatione reprehensam, & sermonem nimis „ insipientem, nimisque blasphemum ita omissum, quasi ni„ hil offenderet, esse auditum; quum tam impie duarum „ naturarum ante incarnationem Unigenitus Dei Filius fuisse „ dicatur, quam nefarie postquam caro factum est, natura „ in eo singularis asseritur ". Talis deinde condemnatio in Synodo Constantinopolitana lata fuerat contra Eutychetem, ut etiamsi ille resipisceret, in pristinum locum restituendum esse, non haberet, unde speraret. Hoc decretum S. Leo emolliendum censuit, atque statuit, erga Eutychetem miserationem adhibendam esse, si ab errore resipisceret. Quod ergo tum ad fidem, tum ad disciplinam spectabat, S. Leo in Synodo Constantinopolitana correxit. Id autem S. Leo ea in epistola fecit, quam Patres Chalcedonenses summa veneratione exceperunt, eamque solemnis cujusdam judicii loco habuere, quod a suprema potestate Summi Pontificis prodiret (2). Ex hoc autem nemini, si tamen luci veritatis suos oculos claudere nolit, non perspectum esse debet, S. Leonem judicia lata ab Episcopis Orientalibus suo examini subjecisse, & ea quandoque confirmasse, quandoque etiam correxisse, aut emolliviffe, idque juris in Sancto Pontifice Patres Chalcedonenses, & totam Ecclesiam agnovisse. Suo ergo facto Leo ostendit, Patres quoque Chalcedonenses ostenderunt, tam falsum esse, quam quod maxime, Flavianum postu-

(1) Juxta edit. Cacciarii epist. 25. cap. 6.
(2) Lib. 21. cap. 3. §. 25.

postulasse *Leonis non judicium*, *sed solatium*; *non sententiam*, *sed litteras*; *defensionem*, *non confirmationem*; *propria scripta*, *non Synodalia decreta*. Huc usque contra Quesnellum: nam nonnulla alia ejus, quæ sunt adhuc levioris momenti, quam superiora, non est, cur refutemus.

§. VIII. Etiam S. Flavianus ab impia Dioscori sententia in Synodo Ephesina contra se lata ad Leonem Summum Pontificem appellavit.

Quando Dioscorus Patriarcha Alexandrinus in Synodo Ephesina præsidendi sibi usurpata potestate, impiam sententiam depositionis contra Flavianum pronuntiavit, hic S. Præsul reposuit: *Appello a te*, & Hilarus Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus, atque Legatus Summi Pontificis, contra judicium Dioscori superaddidit: *contradicitur*, sicuti ex Actis Synodalibus compertum habemus (1). Juxta id, quod ad hanc appellationem consequi debebat, deinde Flavianus, dato libello, a sententia Dioscori ad judicium S. Leonis provocavit. Hujus rei certissimos testes afferre sane possumus. „ Flavianus (inquit Liberatus Diaconus in *Breviario* cap. 12.) „ contra se prolata sententia, per ejus Legatos Sedem Apo„ stolicam appellavit libello". Imperator Valentinianus in ea epistola, quam, suadente S. Leone, scripsit ad Theodosium (2), " Constantinopolitanus Episcopus (ait) eum (hoc „ est, Leonem) per libellos appellavit". Inde vero ad Sanctum Leonem Flavianum appellasse dicit, quia illi " Princi„ patum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, & lo„ cum habet, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus judi„ care". Sed non est, cur externa hac de re testimonia quæramus, quando Sanctum Leonem testem amplissimum habemus: quia, inquit in epist. ad Theodosium (3) " Domini„ cæ Incarnationis sacramento impie nunc a paucis impru„ dentibus obviatur, omnes partium nostrarum Ecclesiæ, „ omnes

(1) Tom. 4. Concil. edit. Venet. Chalcedon. Concil. par. 2. act. 1. Non solum autem Hilarum, sed etiam alios in legatione socios reclamasse, tradit S. Leo epist. 41. ad Theodosium, & 42. ad Pulcheriam Augustam. (2) Juxta edit. Cacciarii epist. post 43. S. Leonis.
(3) Juxta eamdem edit. epist. 41.

„ omnes mansuetudini vestræ cum lacrymis, & gemitibus
„ supplicant Sacerdotes, ut quia & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Episcopus
„ dedit, Generalem Synodum intra Italiam jubeatis celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget,
„ nec ultra aliquid sit vel in fide dubium, vel in charitate
„ divisum. Quam autem post appellationem interpositam hoc
„ necessario postuletur, Canonum Nicææ habitorum decreta testantur, quæ a totius mundi sunt Sacerdotibus
„ constituta, quæque subter annexa sunt". Voce ergo primum in ipsa Ephesina Synodo a sententia Dioscori Flavianus appellavit, deinde vero, vel antequam in carcerem conjiceretur, vel antequam in exilium iret, Legatis Apostolicæ Sedis libellum tradidit appellationis, ad Summum Pontificem Leonem procul dubio deferendum. Hoc enim de Libello & Liberatus Diaconus, & Valentinianus, & S. Leo apertam mentionem faciunt.

Sub nomine autem Nicænorum canonum intellexit Sanctus Leo canonem 5. Synodi Sardicensis. In eo enim constitutum habebatur, ut, si qui *dejectus erat a simul congregatis Episcopis suæ regionis*, ad Sedem postea Romanam appellabat, ulterius judicium faciendum de causa illius, habita etiam ratione modi, quo illud fieri debebat, a Romano Pontifice determinaretur (1). Illa autem ætate sub nomine Nicænorum etiam Sardicenses canones venisse, est jam animadversum a nobis (2). Qua vero de causa S. Leo canonum Sardicensium mentionem fecerit, eorumque auctoritatem in mentem Theodosii revocaverit, dum illi ostendebat necessitatem Concilii Œcumenici habendi, Ballerinii fratres in sua editione Operum S. Leonis tom. 2. *Observat.* in Dissert. 9. Quesnelli recte animadverterunt: " Observandum est, (inquiunt)
„ hanc eorumdem canonum allegationem inveniri tantum
„ in litteris ad eumdem Imperatorem, qui Pseudosynodo
„ Ephesinæ patrocinium præstabat. Cum tam magno hujus

(1) Vide explicationem Sardicensis Canonis hujus lib. cap. 3. §. 5.
(2) Hujus lib. cap. 4. §. 2.

„ conciliabuli patrono, qui novum judicium ægrius tulisset,
„ mollius, & suavius agendum erat, atque ut flecteretur
„ facilius, auctoritas ipsi etiam venerabilis proponenda fuit.
„ Nicænos autem canones Eutychis quoque fautores maxima
„ observantia prosequebantur; quumque pro Nicænis habe-
„ rentur canones Sardicenses; unum ex his Leo in rem præ-
„ sentem allegavit, atque epistolæ etiam subjecit ". Non
est ergo, cur Quesnellus *Dissert.8. De Causa Flaviani* num.6.
opponat, Leonem inde ostendisse, sibi judicii faciendi facultatem non esse, quia ad Sardicenses canones provocavit.

§. IX. S. Leo prosequutus fuit jura ad se factæ appellationis.

Ille enim appellationis ad se factæ jura prosequitur, qui suspendit judicium illius, a quo sibi appellatum fuerit: hoc vero est, quod S. Leo in causa Flaviani præstitit. Nam Hilarus Romanæ Ecclesiæ Archidiaconus in epist. ad Pulcheriam Augustam, postquam impiissimum judicium Dioscori contra Flavianum, & Flaviani contra illud protestationem exposuit, ita prosequitur (1): " Vestra itaque veneranda clementia co-
„ gnoscat, a præfato Papa cum omni Occidentali Concilio
„ reprobata omnia, quæ in Epheso contra canones, per tu-
„ multus, & odia secularia a Dioscoro Episcopo gesta sunt,
„ & nulla ratione hæc in his partibus suscipi posse, quæ per
„ potentiam prædicti non sine læsione fidei, & præjudicio
„ sanctissimi viri, innoxiique, commissa sunt ". Postquam ergo Summus Pontifex, quæ mala in latrocinio Ephesino patrata forent, reduce Hilaro, intellexit, atque libellum appellationis a Flaviano ad se factæ recepit; mox Episcoporum vicinarum civitatum, vel eorum tantum, qui tunc ad celebrandam anniversariam diem assumptionis ejus ad Pontificatum, in urbem convenerant, coacto Concilio, Synodum dictam latrocinium Ephesinum damnavit, S. Flaviani appellationem admisit, irritam depositionem ejus declaravit, vetuitque, ne quispiam in locum illius superordinaretur, & in plena Episcopali communione apud omnes Flavianum confirmavit. Sua hæc

(1) Juxta edit. Cacciarii post epist.48. S. Leonis.

hæc omnia decreta prodidit, etiam antequam Valentianus apud Theodosium Imperatorem sese intercessorem interponeret, sicuti constat ex litteris ad Theodosium, ad Pulcheriam Augustam, ad Julianum Episcopum Coensem, ad S. Flavianum, & ad alios ab eo datis. Scripsit enim Leo has litteras 3. Idus Octobris, & Valentinianus nonnisi circa festum Principis Apostolorum anni sequentis Romam venit. Decretis Leonis omnis Ecclesia Occidentalis obsequentissime paruit; verum ne hoc idem faceret etiam Orientalis, Theodosius impediebat, bene quidem in Eutychetem, male autem in Flavianum animatus. Hinc Summus Pontifex nullam rationem omisit ad publicum Ecclesiæ bonum procurandum, ut ejus sibi favorem conciliaret; semper tamen, quamvis non exaudiretur, suprema, qua erat præditus, usus potestate fuit.

In multis sane epistolis S. Doctoris, evidentissimum hujus rei testimonium habemus. Hic nonnulla tantum eorum commemorabimus, quæ S. Leo ad Anatolium scripsit, quem propter Marciani, & Pulcheriæ preces Constantinopolitanum Episcopum probavit. Ea enim totam Flaviani causam complectuntur, & certum argumentum supremæ cujusdam auctoritatis præseferunt (1). " De fratribus vero (inquit)
" quos & epistolis tuis, & legatorum nostrorum relatione,
" communionis nostræ cupidos esse cognovimus, eo quod
" doleant, se contra potentiam, contraque terrores non
" tenuisse constantiam, sed alieno sceleri præbuisse consen-
" sum, quum eos ita formido turbasset, ut in damnationem
" Catholici, & innocentis Antistitis, & in receptionem de-
" testabilis pravitatis trepido famularentur obsequio; illud
" quidem, quod præsentibus, & agentibus nostris, consti-
" tutum est, approbamus, ut suarum interim Ecclesiarum
" essent communione contenti: sed cum legatis nostris,
" quos misimus, participata tecum sollicitudine, volumus
" disponatur; quatenus hi, qui plenis satisfactionibus male
" gesta condemnant, & accusare se magis eligunt, quam
Pp 2 " tueri,

(1) Juxta eamdem edit. epist. 61.

„ tueri, pacis, & communionis nostræ unitate lætentur:
„ ita ut digno prius anathemate, quæ contra fidem Catho-
„ licam sunt recepta, damnentur". Ex his autem comperimus, eos, qui propter metum in damnationem Flaviani consenserant, sua eos communione Leonem privasse, voluisseque, ut interim communione tantum suarum Ecclesiarum potirentur: si tamen plena satisfactione male gesta condemnarent, seque magis accusare, quam tueri eligerent; tunc sane illos etiam suæ communionis compotes fecit. Theodosio regnante, isti Episcopi in sui pœnitentia criminis patienter siluerunt: Ephesinum namque latrocinium ipse confirmaverat, nullasque contra illud preces admittebat. At vero ad regni gubernacula Marciano admoto, aliter sese res habuit. Tunc sane plurimi istorum Episcoporum suum errorem confessi fuerunt; & primo a Juliano Episcopo Coensi, & Legato S. Leonis, deinde a S. Leone, indulgentiam sui lapsus, atque infirmitatis petierunt, rogantes, ut in communionem Romanæ, ac propterea universalis Ecclesiæ, reciperentur. Leo tunc annuit votis eorum, & dicto ab eis in Eutychianam perfidiam anathemate, in communionem Ecclesiæ universalis recepit, indeque factum fuit, ut in Chalcedonensi Concilio, sicut ii, qui nullo amplius crimini obnoxii essent, admissi fuerint.

Qua ratione agi debeat cum Dioscoro Patriarcha Alexandrino, Juvenali Hierosolymitano, & Eustatio Berytensi in prima Phœnicia Episcopo, S. Leo in eadem epistola prosequitur. Constituit ergo nomina eorum, quoniam in Flavianum singulariter sæviissent, in sacro altari non misceri nominibus Sanctorum: " De nominibus autem Dioscori, (in-
„ quit) Juvenalis, Eustatii ad sacrum altare non recitandis Di-
„ lectionem tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidem
„ constituti faciendum esse dixerint, quodque honorandæ
„ S. Flaviani memoriæ non repugnet, & a gratia tua animos
„ christianæ plebis non avertat. Nam iniquum nimis est,
„ atque incongruum, eos, qui innocentes, & catholicos
„ sua persequutione vexarunt, Sanctorum nominibus sine
„ discre-

„ discretione misceri, quam damnatam impietatem non deferentes, ipsi se sua pravitate condemnent: quos convenit, aut percelli pro perfidia, aut laborare pro venia ".

Quid de Flaviano S. Leo decreverit, restat, ut ad totius causæ complementum nunc videamus. Ita ergo habet S. Leo in epistola ad Placidiam (1) " Scripsimus de hac re „ (hoc est Actis Ephesini latrocinii, & Appellatione S. Flaviani) ad gloriosissimum Principem, ut fidem, in qua renatus per Dei gratiam regnat, nulla sinat novitate corrumpi, quoniam Flavianus Episcopus in nostra omnium communione persistit, atque hoc, quod factum est sine consideratione justitiæ, & contra omnem canonum disciplinam, ratum haberi nulla ratio permittit ". Hinc etiam ad clerum, & populum Constantinopolitanum scribens, postquam eos consolatus, hortatusque fuit, ut in confessione Catholicæ fidei resisterent nequitiæ perfidorum, hæc superaddit (2): " Quisquis enim incolumi, atque superstite Flaviano Episcopo vestro, fuerit ausus sacerdotium invadere; „ nunquam in communione nostra habebitur, nec inter Episcopos poterit numerari ". Sustulit ergo S. Leo sententiam, quæ in Ephesino latrocinio adversus Flavianum lata fuerat, atque uti non depositum e sua sede eum habendum esse declaravit.

Hæc omnia in Synodo Occidentali Leo quidem decrevit; sua tamen, non Synodi auctoritate, uti ex ea loquendi ratione constat, qua ipse utitur: atque Synodum Occidentalem, hoc est, nonnullorum Episcoporum, vel vicinarum urbium, vel eorum, qui tunc Romæ aderant, sicuti supra exposuimus, in hac re in consilium adhibuit, non quo voto illorum ipse indigeret, sed ut eorum Pontificum morem sequeretur, qui in rebus gravioribus Episcopos in unum convocatos in consilium adhibere consueverunt, ut in definitione eorum, quæ constituebant, nihil diligentiæ prætermissum esse præseferrent.

§. X.

(1) Juxta eamdem editionem epist. 42. (2) Juxta eamdem edit. epist. 46.

§. X. A latrocinio Ephesino ad Synodum Œcumenicam Flavianus non reclamavit.

Contra sentit Quesnellus *Dissert.* 8. *in causa Flaviani* num. 4.: suam vero opinionem inde potissimum tuetur (1), quia S. Leo post receptam appellationem Flaviani, ut Synodus Œcumenica haberetur, diligentissime curavit, atque hac de re ad Theodosium Imperatorem scripsit, deque ea curavit, ut scriberent etiam Valentinianus, & Placidia Augusta. Id urget etiam Richerius in *Hist. Concil. General.* cap. 8. num. 8., & Dupinius *Dissert* 2. *De Antiqua Ecclesiæ Disciplina*. Samuel quoque Basnagius in *Annal. Politico-Ecclesiast.* ad an. 449. num. 21. ex quod Leo curaverit, ut in Italia Synodus Œcumenica haberetur, ad eum appellatum fuisse contendit, non *ut ad Episcopum*, *sed ut ad partem præcipuam Œcumenicæ Synodi*, quæ sententiam per se ferre non posset.

At vero non juris, sed facti habita ratione, ut Œcumenica Synodus in Italia cogeretur, S. Leo petiit. Nam ipse totam Flaviani causam expedivit, antequam de Concilio Œcumenico in Italia celebrando & per se, & per alios cum Theodosio ageret (2): & quod ipse definivit, semper immotum perstitit, quamvis nullum postea Concilium Œcumenicum in Italia habitum fuerit. Non jus ergo, quod ad Flaviani innocentiam vindicandam requirebatur, sed facti ratio, in qua versabatur, Leonem compulit, ut in Italia Synodum Œcumenicam haberi anniteretur. Quamvis ergo gesta Ephesini latrocinii ex se irrita forent, atque auctoritate Leonis rescissa essent; tamen Flavianus, contra obnitentibus Eutychianis, quibus Theodosius patrocinabatur, suam sedem recuperare non poterat. Huic rei illud quoque accedebat, a Leone sperandum non fuisse, ut Episcopi Orientales, qui Eutycheti adhæserant, suis litteris ad bonam frugem revocarentur, quum paulo ante in latrocinio Ephesino Apostolicos Legatos contra reclamantes non auscultassent (3). Quoniam igitur vis, non vero jus prævalebat; alia quoque remedia præter

(1) Id, eo auctore, urget etiam Febronius *De statu Ecclesiæ &c.* cap. 5. §. 9. num. 3. (2) Vide præced. §. (3) Vide 8. §. hujus cap.

ter illa, quæ essent juris, sapientissimus Pontifex a se adhiberi oportere existimavit. Imperator ergo ut a favore Dioscori, ejusque asseclarum averteretur, curandum esse vidit, id autem nunquam futurum, ut assequeretur, recte perspexit, nisi Episcopi Orientales, a quibus ille deceptus fuerat, in sanam mentem revocarentur. Hoc autem facile contingere poterat, si illi cum Occidentalibus simul convenirent, cumque eis de actis Ephesini latrocinii, omni vi submota, agerent; quemadmodum cum Illyricianis, & Palæstinis non multo post in Concilio Chalcedonensi feliciter evenit. Ob hanc sane rationem Concilium Œcumenicum in Italia, sub aliis a Theodosio principibus, habendum esse, S. Leo sapientissime prospexit, quemadmodum unicuique compertum esse poterit, qui utramque ad Theodosium epistolam ejus legerit. Ut ergo ea ratione, quæ magis opportuna erat, malis omnibus S. Leo mederetur, Synodum Œcumenicam in Italia haberi petiit, non vero, quia, aut habita ratione appellationis Flaviani, aut ejus auctoritatis, quæ ad rescindenda acta latrocinii Ephesini requirebatur, necessariam illam esse putaverit. Hinc vero est, ut, mortuo Theodosio, quum Marcianus revocasset Episcopos Catholicos in exilium pulsos, multique eorum, qui lapsi fuerant, pristinum errorem detestarentur, atque epistolæ dogmaticæ Leonis ad Flavianum subscriberent; tunc sane Leo, quamvis Concilium Œcumenicum, quod Marcianus, priori ejusdem Leonis petitioni obsequens, sese indicturum significavit, recusare omnino non posset; tamen illud, uti non amplius necessarium, differendum censuit, suisque Legatis commisit, ut interim scandalis Ephesini latrocinii remedium afferrent (1).

§. XI. Flaviani appellatio ad omnes Episcopos Occidentis devoluta non fuit.

„ Ad omnes Occidentis saltem Episcopos devolutam „ esse Flaviani appellationem " Quesnellus in citata Dissertatione num. 5. contendit. In quo sane cum Basnagio convenit,

(1) Vide epist. 43., & 44. S. Leonis juxta sæpe citatam edit.

nit, quum, ut vidimus (1), ipse velit, appellatum ad Leonem, ut *ad partem præcipuam Œcumenici Synodi*, quæ sententiam per se ferre non posset. Flavianum itaque misisse libellum appellationis per Hilarum Diaconum non solum ad Leonem, sed etiam ad Occidentales, nos concedimus, quum id tum ex epistola S. Leonis ad Theodosium, tum ex altera epistola Placidiæ Augustæ ad eumdem Theodosium perspectum habeamus (2). Eodem tamen consilio Flavianum hunc libellum dedisse tum ad Leonem, tum ad alios Occidentales, hoc vero est, quod negamus. Quid? anne fortasse Quesnellus contenderit, talem in Occidentalibus Episcopis auctoritatem esse, ut ipsi per se simul uniti ad suum examen judicia Orientalium etiam simul congregatorum revocare, &, si ipsis visum fuerit, rescindere possint? Profecto cur id juris Occidentales in Orientales, non vero Orientales in Occidentales habeant, nemo unus unquam ostendet. Quapropter ex eo quod Occidentales cum Ecclesiæ capite conjuncti essent, ejusque auctoritatem sequerentur, de sententia lata ab Orientalibus judicium ferre poterant. Qualecumque ergo tandem hoc illorum judicium foret; tota auctoritas ejus in Supremum Ecclesiæ caput semper refundebatur. Libellum igitur appellationis Flavianus & ad Leonem, & ad Episcopos Occidentales misit: ad Leonem ita quidem, ut ab eo certum de gestis Ephesini latrocinii judicium expectaret, utpote qui propter auctoritatem Primatus, jurisdictionis quidem, atque potestatis, quo supra universam Ecclesiam præfulgebat, Orientalium quoque judiciis præesset, eaque & suo examini subjicere, & rescindere, vel confirmare posset (3): ad Occidentales autem, ut illis quoque constaret de perfidia Dioscori, atque asseclarum ejus, ac propterea suam causam apud Leonem juvarent, si contingeret eos, quemadmodum in gravioribus causis sæpe usuvenisse Flavianus noverat, simul in unum unitos gestorum Ephesini latrocinii judices a Leone adhi-

(1) Præced. 5. (2) Vide epist. Leonis 48., & Placidiæ epist. post hanc 48. juxta sæpe cit. edit. (3) Vide quæ lib. præced. cap. 3. disseruimus.

adhiberi, quemadmodum revera plures adhibiti fuerunt, & hac de causa S. Leo ad Theodosium hæc habet (1): " Quæ „ scripta nostra non solum Apostolicæ Sedis auctoritate, sed „ etiam sanctæ Synodi, quæ ad nos frequens convenerat, „ unanimitate directa sunt ". Auctoritatem itaque Apostolicæ Sedi, Synodo autem unanimitatem S. Leo tribuit, ut innuat, in hujusmodi Synodos auctoritatem ab Apostolica Sede, sicuti a principio, dimanare, Patrum vero sedentium in eis unanimitatem attendendam esse, quatenus in cognitione, & judicio causæ transeunt in eamdem sententiam cum suo capite, atque cum Apostolica Sede. Hinc vero est, ut Valentinianus (2) in epistola ad Theodosium, quamvis eum roget, ut Synodum in Italia haberi consentiat; judicium tamen causæ, quæ definienda erat, ad Leonem deferat, cui *Principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit*: " Huic (scilicet „ Leoni) postulanti, & conjuranti (inquit) salutem nostram „ communem annuere non negavi, quatenus ad tuam man„ suetudinem meam petitionem ingererem, ut prædictus Sa„ cerdos, congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdo„ tibus intra Italiam, omni præjudicio submoto, a principio „ omnem causam, quæ vertitur, sollicita probatione cogno„ scens sententiam ferat, quam fides, & ratio veræ divini„ tatis exposcit ". Haud dissimili ratione etiam Placidia, rogans & ipsa quoque Theodosium, ut Synodum Œcumenicam in Italia haberi assentiretur, Sedi Apostolicæ rei judicandæ auctoritatem tribuit (3): " Hac itaque gratia (inquit) tua „ mansuetudo tantis turbis resistens, veritatem fidei Catho„ licæ religionis immaculatam servari præcipiat, ut secun„ dum formam, & definitionem Apostolicæ Sedis, quam & „ nos tamquam præcellentem similiter veneramur, in statu „ Sacerdotii illæso manente per omnia Flaviano, ad Conci„ lium Apostolicæ Sedis judicium transmittatur ".

§. XII. Ab Ephesini latrocinii sententia ad judicium San-

(1) Epist. 60. juxta cit. edit. (2) Juxta eamdem edit. post epist. 48. S. Leonis. (3) Post cit. epist. juxta eamdem edit.

cti Leonis Romani Pontificis etiam Theodoritus Cyrensis Episcopus appellavit.

Quamvis præter ea, quæ attulimus, referre quoque alia multa exempla possemus, quibus ab Orientalibus ad Apostolicam Sedem appellatum fuisse constat; tamen ne nimis in longum in ista re progrediamur, nostræ disputationi de Orientalibus appellationibus ad Sedem Apostolicam finem imponemus, ejus appellationis demonstrata veritate, quam Theodoritus ad S. Leonem detulit. Theodoritus itaque statim ac intellexit, in latrocinio Ephesino ab Episcopali gradu se dejectum esse, a tam iniquo judicio ad Leonem provocavit. Postquam ergo illi exposuit, quam præter omnem justi judicii formam in latrocinio Ephesino sententia depositionis in se lata fuisset, eumdem rogat, atque obsecrat, ut sibi ad ejus tribunal appellanti opem ferat (1): " Ego autem (inquit) " Apostolicæ vestræ Sedis expecto sententiam: oro, atque " obtestor Sanctitatem tuam, ut mihi rectum, ac justum tri- " bunal vestrum invocanti, opem ferat, jubeatque ad vos " venire, & doctrinam meam Apostolicis vestigiis inhæren- " tem ostendere ". In hisce verbis veram appellationis rationem inesse, nemini sane dubium esse potest. Nam ex iisdem compertum est, ad tribunal Apostolicæ Sedis Theodoritum confugisse, ejusque sententiam expectasse, paratum se reddere rationem eidem de sua doctrina, etiam voce, si Summus Pontifex jussisset. Leo autem hanc appellationem ad se delatam recepit, deque ea judicium tulit, quemadmodum ex epistola ejus ad Theodoritum habemus (2): " Sed " benedictus Deus noster, (inquit) cujus invincibilis veri- " tas ab omni hæreseos macula mundum te secundum Sedis " Apostolicæ judicium demonstravit. Cui dignam retribues " pro tot laboribus gratiam, si talem te, qualem probavi- " mus, ac probamus, pro universalis Ecclesiæ defensione " servaveris ". Hoc autem judicio Leonis Theodoritum suæ Ecclesiæ restitutum fuisse, Judices in Concilio Chalcedonensi testati

(1) Juxta eamdem edit. post epist. 48. S. Leonis. (2) Juxta eamdem edit. epist. 95.

testati fuere. Nam Act. I. (1) " Ingrediatur (dixerunt) & „ reverendissimus Episcopus Theodoritus, ut sit particeps „ Synodi, quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Ar- „ chiepiscopus Leo ". Quum autem Acti. VIII. de fide Theodoriti nonnulli dubitarent, atque is, ut suam rectam fidem probaret, Nestorio anathema dixisset; tunc Judices pro Theodorito rogarunt Patres (2), " Ut Ecclesiam suam reciperet, „ sicut & sanctissimus Leo Archiepiscopus judicavit ". At vero Patres consentientes Judicibus dixerunt: " Theodori- „ tus dignus est sede... Post Deum Leo judicavit ". Quid ultra requiri possit ad certitudinem ejus judicii, quod S. Leo de Theodoriti causa tulit, sane non video. Ab omni cum macula hæresis, de qua in Ephesino latrocinio accusatus fuerat, mundum esse, Leo pronuntiat, Episcopatum, a quo illum Dioscorus cum suis asseclis dejecerat, eidem restituit, idque Judices coram omnibus Patribus Concilii Chalcedonensis testantur; post Deum judicasse Leonem, Patres clamant. Revera ergo Theodoritus ad Leonem appellavit, factamque ad se appellationem Leo recepit, atque de ea suum judicium tulit.

§. XIII. Refelluntur, qui negant Theodoritum revera appellasse ad S. Leonem.

Quesnellus *Differt.* 10. *in causa Theodoriti* num. 2. & seq. ex verbis epistolæ Theodoriti ad S. Leonem, quæ nos modo in medium produximus, duo se colligere posse arbitratur: 1. a S. Leone Theodoritum quæsivisse, utrum pro pace Ecclesiæ judicio Dioscori acquiescere deberet, potiusquam ad alicujus Synodi judicium recurrere: 2. rogasse Leonem, quatenus ille tamen judicii Dioscori standum non esse arbitraretur, ut Concilium in Occidente Apostolica auctoritate convocaret, ad quod etiam ipse convenire posset, ut ab injusta sententia absolveretur. Illud prius ex iis probare contendit, quæ Theodoritus illis verbis: *Ego autem Apostolicam vestræ sedis expecto sententiam*, tum præmisit, tum etiam superaddidit.

(1) Tom. 4. Concil. edit. Venet. colum. 874. (2) Cit. tomo colum. 1523.

dit. Præmisit vero ista: " Ante omnia autem rogo, ut sciam „ a vobis, an injusta hac depositione me oporteat acquiescere, an non ". Hæc autem alia superaddidit: " Quod „ si in judicatis me manere jusseritis, manebo, neque ulli „ hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei, Salva„ torisque nostri judicium expectabo ". Alterum inde colligit, quia idem Theodoritus in epistola ad Renatum Romanæ Ecclesiæ presbyterum, cum rogat, ut persuadeat *Sanctissimo, ac Beatissimo Archiepiscopo, ut Apostolica utatur auctoritate, & præcipiat ad vestrum convolare Concilium*. Et in epistola ad Anatolium Patricium: " Tuam (inquit) magnificentiam „ exoro, ut hanc gratiam a triumphatore Imperatore obti„ neas, ut ad Occidentem accedam, ut ab illis Deo dilectis„ simis, sanctissimis Episcopis judicer ". Hæc etiam Dupinius *Dissert.2: De Antiqua Ecclesiæ disciplina* opponit.

Verum enimvero ut hæc Quesnelli inania effugia præcludamus, non multum sane est laborandum a nobis. Illud ergo primo animadvertimus, secundum vulgatam latinam editionem, verbum græcum ἐπικαλέομαι ita redditum fuisse, ut non *appellare*, sed *invocare* significaret; tamen, sicuti etiam Ballerinii fratres adverterunt, atque pluribus exemplis comprobarunt, in *Adnotat.6.* ad citatam epistolam Theodoriti, verbum illud græcum ad significandam appellationem, quæ fit ad judicem superiorem, sæpissime acceptum fuisse, dubitari non potest. Hic autem significare *appellare*, non verò *invocare*, constat ex contextu verborum. Ita enim habet Theodoritus etiam apud ipsum Quesnellum: " Obsecro ve„ stram Sanctitatem, ut mihi invocanti justum vestrum, & „ rectum judicium, opem ferat, & jubeat ad vos venire, „ & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequen„ tem ". Profecto dum quis invocat judicium alterius, ut opem sibi ferat, dum paratus est coram eo fidei suæ reddere rationem, dum hac de causa expectat, ut ab illo vocetur, idque facit, postquam injuste se condemnatum esse significavit; nihil sane aliud ille invocando petit, quam ut sententiam contra se antea latam suo examini hic alter subjiciat,

novum-

novumque de ea justicium instituat: in quo sane consistunt jura illius, ad quem appellatio defertur. At vero de his omnibus Leonem Theodoritus rogavit: ad eum igitur appellasse dicendum est. Inde vero prioris Quesnelli interpretationis manifesta falsitas deregitur. Qui enim scriptis consilium aliqua de re ab altero petit, non est sane, cur eumdem roget, ut ipse jubeat se ad illum venire, cur illius causæ, de qua condemnatus fuerit, reddere coram eo rationem expetat, non est, cur expectet sententiam illius, atque ad ejusdem tribunal recurrat, ut sibi opem ferat. Hæc Theodoritus a Leone se expetere significavit, atque sententiam illius ea de condemnatione, quæ in se lata fuerat, expectare præsetulit. Theodoritus ergo ad Leonem revera appellavit, non vero ab eo tantummodo quæsivit, utrum judicio Dioscori acquiescere deberet. Ex his autem, quæ pro se Quesnellus in hanc rem affert, id unum evincitur, Theodoritum paratum fuisse acquiescere sententiæ contra se latæ, semel ac a Leone intellexisset, nolle ipsum delatam ad se appellationem recipere, deque sententia contra ipsum lata judicium ferre. Verum id Leo non fecit, sed judicium contra Theodoritum factum rescidit, atque eum in suum Episcopatum restituit, quemadmodum jam ostendimus (1).

In epistola autem data ad Renatum ita quidem Theodoritus habet (2): " Quam ob causam oro Sanctitatem tuam Sanctissimo, ac Beatissimo Archiepiscopo persuadeat, ut Apostolica potestate utatur, & ad concilium vestrum advolare præcipiat "; verum quæ statim superaddit, firmitatem, auctoritatemque judicii, quod petit, in principatu Apostolicæ Sedis ab eo reponi declarant: " Habet enim (inquit) sanctissima illa sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab hæretica tabe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram conservavit. Quæ a vobis fuerint judicata, in his, qualiacumque ea erunt, judicii vestri æquitati confiden-

(1) Præced. §. (2) Juxta edit. Cacciarii post epist. 48. S. Leonis.

„ fidentes acquiescemus: & rogamus, ut judicium ex scri-
„ ptis constituatur". Judicium ergo, & tale quidem etiam, quod *ex scriptis constitueretur*, Theodoritus postulavit. Ex hoc autem semper magis magisque patet, præter omnem rationem Quesnellum contendisse, Theodoritum illud solummodo a Leone quæsivisse, utrum condemnationi a Dioscoro contra se latæ acquiescere deberet. Judicium sane Theodoritus a Leone petebat, atque in eo constituebat firmitatem sententiæ illius, quam Synodus latura foret. Hinc idem Theodoritus in Epistola ad Archidiaconum Romæ (1), rogat eum, " Leonis zelum accendere... incumbentem nebulam
„ discutere, & pro nocte obscura liquidam serenitatem effi-
„ cere, & injuste in se patratam cædem redarguere". Quum vero Theodoritus juxta id, quod sæpius factum fuerat, suam causam in Synodo definiendam esse putaret; mirandum non est, si Anatolium Patricium Constantinopolitanum rogaverit, ut sibi liceret *ad Occidentem accedere, & ab illis Deo dilectissimis, & sanctissimis Episcopis judicari*. Hoc tamen judicium sine auctoritate Summi Pontificis neque institui, neque suum robur habere potuisset (2).

Irrita quidem esse Acta Ephesini latrocinii, S. Leo putavit; inde tamen inferri non potest, sicuti Quesnellus in citata Dissertatione num. 4. fecit, revera nullum judicium ab eo in causa Theodoriti latum fuisse. Qua enim ratione in causa Flaviani, quamvis sententia lata contra illum omnino irrita foret, judicium a se ferendum esse, & quidem in Synodo Romana censuit; eadem quoque S. Leo duci potuit, ut etiam de causa Theodoriti ferret. Verum non est, cur hujus rei congruentes rationes perquiramus, quando Leo pronuntiavit, Theodoritum declaratum fuisse *ab omni hæresis macula mundum secundum Sedis Apostolicæ judicium*; quando Judices coram Patribus Chalcedonensibus dixerunt, Archiepiscopum Leonem Episcopatum Theodorito restituisse; quando demum Patres Chalcedonensis clamarunt, post Deum Leonem judicasse.

Una

(1) Cit. loco. (2) Vide hujus cap. §. 11.

Una autem cum Quesnello in eadem Dissertatione num. 6. Richerius in *Hist. Concil. General.* cap. 8. num. 32. ex his, quæ de causa Theodoriti in Concilio Chalcedonensi acta fuerunt, inferendum ducit, Theodoritum ad Leonem non appellasse, sed ad eum tantum confugisse, ut sibi opem ferret. Samuel autem Basnagius in *Annalibus Politico-Ecclesiast.* ad an. 449. num. 23. nullum a Leone judicium de Theodorito latum fuisse, inde coniicit, quia solummodo post Concilium Chalcedonense in suam sedem ille restitutus fuit. Petrus de Marca rei veritate convictus concedit lib. 7. *De Concord. Sacerd.*, *&* *Imper.* cap. 8. num. 3., Theodoritum & appellasse ad Leonem, & ab eo in suam communionem receptum fuisse; tamen illud animadvertit, Theodoritum ad Synodum Chalcedonensem accessisse, ut in ea sese defenderet, si quid contra illum opponeretur, quamvis auctoritate Leonis una cum aliis Patribus sederit. " Unde (inquit) colligere licet, absolutam non fuisse restitutionem Theodoriti, sed interim tantum valituram, donec quæstio principalis ex qua profecta erat ejus depositio, retractata fuisset ".

Verum falluntur sane omnes. Quod ergo juris erat, Leo constituit, atque definivit: supererat itaque tantum, ut illud exequutioni mandaretur. Hoc vero est, quod Patres Chalcedonenses juxta judicium Leonis præstiterunt, atque post Deum Leonem judicasse pronuntiarunt. Ob duplicem vero rationem causa Theodoriti in Actione VIII. Concilii Chalcedonen proposita fuit: primo quidem ut satisfieret iis, a quibus Theodoriti fides in suspicionem vocabatur. Ne ergo isti dubitare possent, Theodoritum obtexisse suum errorem Apostolicæ Sedi, & ut semper magis de illius orthodoxa fide omnibus compertum fieret, potuit absque ullo præjudicio Apostolicæ Sedis in Synodo Chalcedonensi discuti causa ejus. Deinde hanc Synodum Œcumenicam eo præsertim consilio Imperator haberi curavit, ut Episcopi in Ephesino latrocinio depositi, ac in exilium pulsi *per approbationem Synodi*, *atque sententiam omnium Episcoporum convenientium*, *Episcopatum*, *&* Eccle-

Ecclesias proprias reciperent (1). Quapropter Summus Pontifex annuens consilio Augustorum tam benemeritorum jam Legatos ad Synodum destinaverat, atque litteras dederat ad eamdem Synodum, in quibus præscripserat, quinam Episcopi in suam sedem restituendi forent (2). Hoc igitur intervallo temporis Leo, recepta appellatione Theodoriti ad se facta, de causa quidem illius judicium tulit, eumque in suam communionem recepit, atque sedi suæ restituit, & nihil, juris habita ratione, huic judicio jam deerat; actualis tamen restitutio perficienda supererat, quæ quum Synodo commissa videretur, ea postea secundum judicium a Sede Apostolica factum a Legatis ipsius Leonis, atque ab omnibus Patribus decreta fuit (3). Diuturniori itaque illo tempore, hoc est ab anno 440. usque ad 461. quo S. Leo Magnus universæ Ecclesiæ præfuit, ab Oriente ad Sedem Apostolicam appellatum fuisse, quæ usque modo disseruimus, neminem dubitare sinunt.

CAPUT V.

DE USU APPELLATIONUM IN ECCLESIA OCCIDENTALI AD SEDEM APOSTOLICAM POST SYNODUM SARDICENSEM, ET ANTE TEMPORA CONCILII TRULLANI.

§. I. CÆlestius sub Zosimo anno 417. ad Sedem Apostolicam appellavit.

Hujus rei Marium Mercatorem in *Commonitorio* cap. 1. testem amplissimum habemus. Refert enim, Cælestium Carthagine a Paulino accusatum de quinque capitulis, ab Episcopis illius regionis Ecclesiastica communione privatum fuisse, ex eo quod illa condemnare renuisset. " A qua sen-
" tentia (inquit Marius Mercator) ad Romani Episcopi exa-
" men

(1) Vide epist. Pulcheriæ Augustæ ad S. Leonem 77. juxta edit. Ballerinianam. (2) Lege epist. 93. juxta eamdem editionem.
(3) Vide Ballerinios fratres tom. 2. Oper. S. Leonis in Observat. ad 10. Quesnelli Differt. num. 9.

„ men credidit appellandum: qua mox idem ipse appellatio-
„ ne neglecta, Ephesum Asiæ urbem contendit". Non multo post Cælestium se contulisse Constantinopolim, atque ex hac urbe ab Attico Episcopo ejectum ob errores, quos profitebatur, ac deinde *Romam sub sancta memoriæ Zosimo Episcopo tota festinatione perrexisse*, tradit Marius Mercator. Tunc sane Cælestius suam causam contra judicium Carthagine in se latum apud Pontificem egit. Ita enim suam de eo narrationem idem auctor prosequitur: "Ubi de actis (quorum exem-
„ plaria habemus) interrogatus, quum ab illo cognitore ali-
„ quatenus terreretur, crebris responsionibus, & prosequu-
„ tionibus suis spem præseminavit, condemnare se illa capi-
„ tula, de quibus apud Carthaginem fuerat accusatus, pro-
„ mittens. Id enim & instantius jubebatur, & ob hoc ipsum
„ nonnulla illius sancti Sacerdotis humanitate dignus est ha-
„ bitus; & sic epistolam benignitatis plenam ad Afros Epi-
„ scopos meruit: qua ille abusus est, vel adhuc abutitur
„ ad multorum ignorantium deceptionem". Id intelligentes Africani Episcopi, *omnem causam, quæ apud eos facta fuerat* Summo Pontifici aperuerunt. Quamobrem Cælestius
„ Vocatus ad audientiam pleniorem, ut quæ promiserat, fe-
„ stinaret implere..... non solum non adfuit, sed etiam ex
„ memorata Romana Urbe profugit, atque ob hoc a beatæ
„ memoriæ prædicto Zosimo Episcopo scriptis amplissimis, &
„ longissimis perdamnatus est". Hæc Marius Mercator. Hac autem de appellatione quamvis Hieronymus, Augustinus, & Orosius nullam mentionem faciant, de ea tamen facit Zosimus in epistola ad Aurelium, & Episcopos Africanos, in qua hæc leguntur (1): "Cælestius Presbyter nostro se inges-
„ sit examini expetens ea, quæ de se Apostolicæ Sedi, aliter
„ quam oportuit, essent inculcata, purgari. Et licet multæ
„ occupationes majoribus vinculis Ecclesiasticorum negotio-
„ rum curam nostram, sollicitudinemque distraherent; ta-
„ men ne Fraternitatis vestræ de adventu, & discussione præ-
 „ dicti,

(1) Apud Coustantium in *Collect. epist. Rom. Pont.*, epist. 2. Zosimi num. 2.

„ dicti, diutius penderet expectatio, posthabitis omnibus, „ die cognitionis resedimus in S. Clementis Basilica: scilicet „ ut ad salutiferam castigationem tanti Sacerdotis auctoritas „ præsenti cognitioni esset exemplo. Omnia igitur, quæ „ prius fuerant acta, discussimus. Intromisso Cælestio, li- „ bellum ejus, quem dederat, fecimus recitari. Nec hoc „ contenti, utrum hæc, quæ scripsisset, corde loqueretur, „ an labiis, sæpenumero exploravimus ". Post nonnulla vero alia num. 6. superaddit, quæ ad evitandam fraudem requirebantur, in judicio Cælestii servata fuisse, atque ita concludit: " Quare intra secundum mensem aut veniant, qui „ præsentem redarguunt aliter sentire, quam libellis, & „ professione contexuit; aut nihil post hæc tam aperta, & „ manifesta, quæ protulit, dubii Sanctitas vestra resedisse „ cognoscat ". A Paulino, uti supra ex Mario Mercatore vidimus, Cælestius coram Patribus Carthaginensibus accusatus fuerat. Huic ergo ut Romam se conferret Zosimus indixit per Basiliscum Subdiaconum, cui gesta Apostolicæ Sedis deferenda Carthaginem commiserat (1): " Me, licet sermo- „ ne, (inquit Paulinus) Basiliscus Subdiaconus a tua Beati- „ tudine cum gestis Sedis Apostolicæ directis Carthagine „ convenit quarto nonas Novembris die, ut adessem ad Apo- „ stolicam Sedem, & tuæ judicio Sanctitatis ". Ex his autem, ut alia nunc omittamus, quæ in hanc rem a nobis afferri possent, hæc sane constant: 1. Cælestium, plurimis Episcopis judicantibus; Carthagine accusatum de quinque capitulis, & condemnatum. 2. Hoc facto judicio, eumdem Cælestium ad Summum Pontificem appellasse a judicio contra se lato a Patribus Carthaginensibus. 3. Cælestium ob ea, quæ promiserat, accepisse a Zosimo epistolam benignitatis plenam ad Episcopos Afros. 4. Non minus Cælestium *se ingessisse examini* Summi Pontificis, quam Summum Pontificem in causa illius egisse partes judicis, *discussisseque omnia*, *quæ prius fuerant acta*, atque *ad suum judicium* vocasse eos, qui de Cælestio aliter sentirent, ac ipse constituerat. 5. Patres Africanos nullo

(1) Apud Coustantium inter epist. Zosimi epist. 8. num. 4.

nullo modo conquestos fuisse, Zosimum Cælestii appellationem recepisse, atque judicasse de causa illius; immo vero audita Zosimi sententia, *omnem causam, quæ apud eos facta fuerat*, ad eumdem misisse, atque tunc a Zosimo sententiam latam ab Africanis Patribus fuisse confirmatam. Hæc autem omnia neminem dubitare sinunt, non minus Cælestium ad Sedem Apostolicam appellasse, & Sedem Apostolicam de causa Cælestii jam judicata ab Africanis Patribus sententiam tulisse, quam Patres Africanos hujusmodi appellationi, & sententiæ nullo modo obstitisse. Illud tantum nunc observandum superest, quod a S. Augustino præmonitum habemus *Cont. duas epist. Pelagianorum* num. 5. " Profecto quidquid interea „ lenius actum est cum Cælestio, servata dumtaxat anti- „ quissima, & robustissima fidei firmitate, correctionis fuit „ clementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravita- „ tis. Et quod ab eodem postea Sacerdote Cælestius, & Pe- „ lagius repetita auctoritate damnati sunt, paululum inter- „ missæ, jam necessario proferendæ ratio severitatis fuit, „ non prævaricatio prius cognitæ, vel nova cognitio ve- „ ritatis ".

§. II. Dupinii commenta de hac appellatione refelluntur.

Putat ergo ipse *Dissert. 2. De Antiq. Ecclesiæ Disciplina* appellationem Cælestii nihili factam fuisse ab Africanis Patribus, quia judicium illud, quod an. 412. simul congregati de Cælestio tulerant, an. 416. confirmarunt. Verum anne ignorat, Cælestium, semel facta appellatione, per multos annos ab ea destitisse, ac tandem post plurimum temporis apud Zosimum de illa egisse? " Qua mox idem ipse appella- „ tione neglecta, (inquit Marius Mercator in *Commonitorio* „ cap. 1.) Ephesum Asiæ urbem contendit, ibique ausus est „ per obreptionem locum presbyterii petere. Inde post ali- „ quot annos sub sanctæ memoriæ Attico urbem Constanti- „ nopolitanam petiit, ubi in similibus detectus, magno stu- „ dio sancti illius viri ex prædicta alma urbe detrusus est ... „ Prædictus tamen Cælestius etiam hinc ejectus, ad urbem „ Romanam sub sanctæ memoriæ Zosimo Episcopo tota festi-

 „ natione

„ natione perrexit " ibique tunc suam causam, de qua Innocentii tempore appellaverat, apud Zosimum Pontificem egit. Quare mirandum non est, Africanos Patres anno 416. confirmasse illud judicium, quod contra Cælestium an. 412. tulerant. Nam Zosimus anno 417. ad Summi Pontificatus apicem ascendit.

Illud quoque Dupinius frustra reponit, post prius Zosimi judicium de Cælestio, Patres Africanos an. 417. Cælestii, & Pelagii errores iterum damnasse, & Paulinum Diaconum jussu Zosimi Romam vocatum, sese conferre renuisse. Nam de hoc Concilio ita habet S. Prosper in *Chronico*: " Concilio „ apud Carthaginem habito ducentorum decem & septem „ Episcoporum, ad Pontificem Zosimum Synodalia decreta „ prolata sunt: quibus probatis, Pelagiana hæresis per totum mundum damnata est ". In hac autem Synodo Patres, quod Innocentius decreverat, se amplecti professi fuerunt. „ Ita (inquit idem Prosper in lib. *Cont. Collatorem* cap. 5.) „ ad Apostolicæ Sedis Antistitem B. Zosimum sunt loquuti: „ *Constituimus in Pelagium, atque Cælestium per venerabilem* „ *Episcopum Innocentium Beatissimi Apostoli Petri Sede prolatam* „ *manere sententiam* ". Dicendum ergo est, tunc sane Patres Africanos hujusmodi judicium contra Cælestium, & Pelagium tulisse, postquam, detecta fallacia illius, a Zosimo Papa *scriptis amplissimis, & longissimis perdamnatus fuit*, quemadmodum a Mario Mercatore traditum habemus (1). Ex quo etiam illud novimus, Patres Africanos, accepta epistola a Zosimo *plena benignitatis* erga Cælestium, *omnem causam*, *quæ apud eos facta fuerat*, illi exposuisse.

Paulinus vero Diaconus se quidem Romam non contulit; tamen non fuit, cur se conferret. Sicuti enim in epistola ad Zosimum (2) idem Paulinus habet, nihil tunc intererat, ut ipse ad urbem accederet: " Ubi tunc (inquit) „ nihil agere potui, quia is, qui ad Sedem Apostolicam „ provocaverat, defuit: quem oportuerat utique merita „ suæ

(1) Vide locum ejus præced. §. (2) Apud Coustantium in *Collect. epist. Roman. Pont.* epist. 8. num. 4. inter epistolas Zosimi.

„ suæ appellationis adstruere, maxime quum nihil agente
„ appellatore, secundum etiam humanas leges, superior
„ est semper ille, qui vicit".

Habita ratione Africanæ Ecclesiæ, hæc quidem sufficere possent ad illud jus adstruendum, de quo nos modo contendimus, semel ac qui contra nos sentiunt, maximum præcipuumque suæ sententiæ fundamentum in consuetudine, & decretis Africanæ Ecclesiæ non reponerent. Quapropter quum Adversarii nostri appellationibus ad Sedem Apostolicam Africanos Patres restitisse propugnent, indeque colligant, verum esse, quod ipsi volunt; ut quoad rem istam de Ecclesia Africana diligentius inquiramus, instituti nostri ratio postulat.

§. III. Appellationum Africanarum ad Romanam Sedem S. Augustinum testem locupletissimum habemus.

Plura sane loca ex Augustino in medium adducere possemus, quibus unicuique perspectum fieret, non solum eum in appellationes, quæ ex Africa ad Sedem Apostolicam fierent, omnino consensisse, sed suo etiam judicio illas probasse. Verum, ne diutius, quam par est, in hac re immoremur, ea solummodo, quæ habet S. Doctor in epistola ad Cælestinum data (1), nunc commemorabimus. Quum ergo quidam Antonius, qui ut Fussalensi Ecclesiæ præficeretur, idem Augustinus curaverat, non pastoris, sed oppressoris partes ageret, eum Fussalenses ad Synodum provinciæ accusarunt de variis criminibus. Instituto itaque a Patribus de illius agendi ratione judicio, decreverunt, ut potestas illius minueretur, & circumscriberetur, atque subtraherentur a jurisdictione ejus, uti ait Augustinus in citata epistola num. 4. *qui de intolerabili ejus dominatione, de rapinis, & diversis oppressionibus* cum veritate conquesti fuerant. At Antonius latam contra se sententiam canonibus contrariam esse clamavit, appellavitque ab ea ad Bonifacium Summum Pontificem, a quo quidem ut facilius, quod volebat, consequeretur, se apud eum a Numidiæ Primate commendari curavit. Ut Antonio

(1) Epist. 209., alias 261.

tonio suæ Ecclesiæ administratio restitueretur, si tamen illum *ordinem rerum Apostolicæ Sedi fideliter* recensuisset, Bonifacius decrevit (1). Ex hac vita Bonifacius decessit, antequam sententia ejus exequutioni mandaretur. Ad Cælestinum ergo Bonifacii successorem tunc Antonius suam appellationem detulit. Hoc audito, Africani Patres, qui sententiam in Antonium tulerant, sua *Gesta* ad Cælestinum miserunt, atque hæc nomine omnium ad eum Augustinus scripsit (2): " Collabora, obsecro, nobiscum, pietate venerabilis Domine Beatissime, & debita charitate, venerande Sancte Papa, & jube tibi, quæ directa sunt, omnia recitari. Vide Episcopatum qualiter gesserit: quemadmodum judicio nostro usque adeo consenserit, communione privatus, nisi prius Fussalensibus omnia redderentur, jam postea ut re acta, æstimatis rebus, solidos seposuerit, ut ei communio redderetur: quam versuta suasione sanctum senem Primatem nostrum, gravissimum virum, ut ei cuncta crederet, quem veluti omni modo inculpatum venerando Papæ Bonifacio commendaret, induxerit: & cetera, quæ a me quid opus est recoli, quum memoratus venerabilis senex ad tuam sanctimoniam universa retulerit ". Nam Africæ Primas, qui antea Antonium Bonifacio commendaverat, detecta fraude, Cælestino cuncta retulit, ne forte ab Antonio sibi illudi pateretur (3). Illud quoque deinde Augustinus Cælestino significat (4), quod " Judicia illis, (hoc est Fussalensibus) & publicas potestates, & militares impetus, tamquam exsequututos Apostolicæ Sedis sententiam sive ipse, (Antonius) sive rumores creberrimi comminantur, ut miseri homines Christiani Catholici graviora formident a Catholico Episcopo, quam, quum essent hæretici, a Catholicorum Imperatorum legibus formidabant ". Quapropter Cælestinum rogat, atque obsecrat, ne Antonium opponentem Ecclesiæ administrationem sibi circumscribi non potuisse, semel ac Episcopus illius esse persisteret, ullo modo

(1) Cit. epist. num. 9. (2) Cit. epist. num. 6. (3) Ibidem.
(4) Cit. epist. num. 9.

do audiat (1) : " In illis autem (inquit) multiplicibus
„ Gestis , quibus de illo nostrum judicium continetur , ma-
„ gis deberem vereri , ne tibi minùs severe , qûam oporte-
„ ret , judicasse videamur , nisi scirem vos tam propensos ad
„ misericordiam , ut non solum nobis , quia illi pepercimus ,
„ verum etiam ipsi existimetis esse parcendum . Sed ille ,
„ quod a nobis aut benigne , aut remisse factum est , in præ-
„ scriptionem vertere , atque usurpare conatur . Clamat :
„ *aut in mea cathedra sedere debui* , *aut Episcopus esse non debui* .
„ Propter hoc enim loca illa eidem dimissa , atque permissa
„ sunt , in quibus & prius Episcopus erat , ne in alienam
„ cathedram contra statuta Patrum translatus illicite dicere-
„ tur . Aut vero quisquam ita debet esse sive severitatis , si-
„ ve lenitatis exactor , ut qui non visi fuerint Episcopatus
„ honore privandi , nullo modo in eis aliquid vindicetur ;
„ aut in quibus aliquid visum fuerit vindicandum , Episco-
„ patus honore priventur " . Hujus rei exempla Augustinus
deinde profert (2) : " Existunt exempla , ipsa Sede Apostoli-
„ ca judicante , vel aliorum judicata firmante , quosdam
„ pro culpis quibusdam , nec Episcopali spoliatos honore ,
„ nec relictos omnimode impunitos . Quæ ut a nostris tem-
„ poribus remotissima non requiram , recentia memorabo .
„ Clamet Priscus provinciæ Cæsariensis Episcopus : aut ad
„ Primatum locus , sicut ceteris , & mihi patere debuit , aut
„ Episcopatus mihi remanere non debuit . Clamet alius ejus-
„ dem provinciæ Victor Episcopus , cui relicto in eadem pœ-
„ na , nusquam nisi in dioecesi ejus ab aliquo communicatur
„ Episcopo : clamet , inquam : aut ubique communicare
„ debui , aut etiam in meis locis communicare non debui .
„ Clamet tertius ejusdem provinciæ Laurentius Episcopus ,
„ & prorsus hujus vocibus clamet : aut in cathedra , cui or-
„ dinatus sum , sedere debui , aut Episcopus esse non debui .
„ Sed quis ista vituperat , nisi qui parum attendit , nec inul-
„ ta omnia relinquenda , nec uno modo omnia vindicanda " ?
Rem nostram modo attingamus . A judicio in Africa contra
se

(1) Cit. epist. num.7. (2) Cit. epist. num.8.

ſe lato ad Sedem Romanam Antonius appellavit, atque Bonifacius, qui tunc Romanæ Sedi præerat, decrevit, ut quæ illi ablata fuerat, Eccleſiæ adminiſtratio reſtitueretur, ſemel ac, prout ſibi expoſitum fuerat, rei veritas ſeſe haberet; & tamen Auguſtinus, & cum eo Patres, qui de Antonio ſententiam tulerant, nihil contra opponunt, quamvis Bonifacii judicium ſuæ ſententiæ contrarium ſit; & tamen Africæ Primas ſuis eam commendationibus apud Bonifacium adjuvat. Solum ergo tum Auguſtinus, atque cum eo ceteri Patres, tum etiam Africæ Primas illud curant, ne Cæleſtinus fallaciis, atque malis artibus Antonii in errorem ſe duci ſinat; ceterum quemadmodum appellationi factæ ad Bonifacium antea conſenſerant; ita huic alteri acquieſcunt, quam poſtea Antonius ad Cæleſtinum detulit. Nam *hic venerabilis ſenex*, ſicuti inquit Auguſtinus ad Summi Pontificis *ſanctimoniam univerſa retulit*. Auguſtinus autem una cum aliis Epiſcopis, qui de Antonio ſententiam tulerant, *multiplicia Geſta*, *quibus errorum judicium continebatur* (1), ad Cæleſtinum tranſmiſerunt. His accedit, peractum de Antonio judicium ab Africanis Patribus Cæleſtini ſententiæ Auguſtinum ſupponere, dum ſe vereri dicit, ne ei minus ſevere judicaſſe viderentur, quam oporteret. Tandem quod contra Antonium ab Africanis Patribus ſtatutum erat, ſe confirmare poſſe Auguſtinus dicit pluribus exemplis, quæ quidem non alibi, quam in Africa occurrerant, *ipſa Sede Apoſtolica judicante*, *vel aliorum judicata confirmante*. Cui iſta non ſufficiunt, ut in eam perſuaſionem veniat, ab Africanis judiciis ad Sedem Apoſtolicam appellatum fuiſſe, & quidem probante etiam S. Auguſtino una cum aliis Epiſcopis, probante quoque *graviſſimo*, *& ſanctiſſimo ſene* (2) Africæ Primate, non video ſane, quid ſufficere tandem poſſit.

§. IV. Contentiones, quæ de jure appellationum excitatæ fuerunt in Eccleſia Africana ſub Zoſimo, Bonifacio, atque Cæleſtino, nullo adjumento eſſe poſſunt Adverſariis noſtris.

Quæ

(1) Cit. epiſt. num. 7. (2) Auguſtinus in cit. epiſt. num. 3.

Quæ hac de re sub Zosimo gesta fuerunt ; nostram sententiam confirmant. Nam est jam ostensum a nobis (1), Cælestium a judicio Patrum Africanorum appellasse, suumque hujusmodi appellationem effectum habuisse. Ad eumdem Zosimum appellavit etiam Apiarius Presbyter a judicio excommunicationis, quod Urbanus Episcopus Siccensis contra eum tulerat, Zosimusque in suam communionem eum recepit. Gravis inde orta in Africana Ecclesia contentio fuit, ex eo quod Zosimus contra canones egisse videretur. Verum Pontifex tres in Africam Legatos misit, Faustinum Potentinæ Ecclesiæ Episcopum, Philippum, & Asellum Presbyteros, qui curarent, ut Apiarius ab Africanis in sui communionem reciperetur. Hi ergo Carthaginem profecti Zosimi *Commonitorium* secum detulerunt, quod coram 217. Patribus Carthagine congregatis lectum fuit. Quatuor autem mandata eo in *Commonitorio* continebantur, sicuti ex epistola Patrum Carthaginensium ad Bonifacium data perspectum habemus (2): „ Unum de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sacerdotem: alterum ne ad comitatum Episcopi importune navigent: tertium de tractandis Presbyterorum, & Diaconorum causis apud finitimos Episcopos, si a suis excommunicati perperam fuerint: quartum de Urbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam vocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret “. Quid ad hæc Patres Carthaginenses? Ipsi per se in citata epistola declarant, quam ad Bonifacium, mortuo Zosimo, dederunt: „ Quoniam Domino placuit, (inquiunt) ut de his, quæ nobiscum egerunt sancti fratres nostri, Coepiscopus Faustinus, & Compresbyter Philippus, & Asellus, non beatæ memoriæ Episcopo Zosimo, a quo ad nos mandata, & litteras attulerunt, sed tuæ venerationi, qui es divinitus constitutus, humilitas nostra rescriberet, ea breviter insinuare debemus, quæ utrorumque concordia terminata sunt, non ea, quæ prolixis gestorum voluminibus conti-

(1) Hujus cap. §. 1. (2) Vide Codicem Canonum Ecclesiæ Africanæ cap. 134. Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 939.

„ nentur, in quibus, salva quidem charitate, non tamen „ sine parvo altercationis demorati sumus, ea gestis deliberantes, quæ nunc ad causam pertinent..... Apiarius Presbyter, de cujus ordinatione, & excommunicatione fuerat exortum non solum Siccensi, verum etiam toti Africanæ Ecclesiæ non leve scandalum, de omnibus erratis suis veniam petens, communioni est restitutus. Prior autem Coepiscopus noster Siccensis Urbanus, quod in eo corrigendum visum est, sine ulla dubitatione correxit. Quia vero paci, & quieti Ecclesiæ non tantum in præsens, sed etiam in posterum prospiciendum fuit, quoniam talia multa præcesserant, ut vel similia, vel etiam graviora deinceps præcaveri oporteret; placuit nobis, ut de Siccensi Ecclesia, retento scilicet gradu honoris sui, Presbyter removeretur Apiarius, & accepto epistolio, ubicumque alibi vellet, & posset, Presbyteri munere fungeretur". Hic parumper sistamus; reliqua, quæ in eadem epistola habent Patres Carthaginenses, deinde expendemus. 1. Zosimus, prout etiam in causa Cælestii sese gesserat, ad se factam ab Apiario Presbytero appellationem suscepit, illumque in pristinum gradum restituit. 2. Mandavit Urbanum Episcopum excommunicandum, vel etiam Romam vocandum, nisi Apiarium in communionem reciperet. 3. Tres Legatos in Africam direxit, ut ab Africanis idem Apiarius suæ dignitati restitueretur. 4. Patres una simul numero 117. Carthaginem conveniunt, atque etiam cum iis Apostolicæ Sedis Legatis confidentibus, *utrorumque concordia* decernunt communioni Apiarium restituendum esse, atque de hac sua sententia Bonifacium certiorem faciunt. Ceterum neque conqueruntur, Zosimum edixisse, Urbanum aut excommunicandum, aut Romam vocandum, nisi Apiarium in communionem reciperet, neque aliquo modo renuunt suscipere Legatos, qui in illa causa, de qua in Africa judicium latum erat, ad se missi fuerant; quin immo non renuunt, ut illi una secum in judicio sedeant. Hæc vero omnia demonstrant, ex contentionibus, quæ sub Zosimo in Africana Ecclesia excitatæ fuerunt, non evin-

evinci, Patres Africanos sibi persuasum habuisse, a suo judicio ad Sedem Apostolicam appellari non posse.

Antequam autem ulterius hac in re pergamus, videamusque, quomodo Africani Patres, hoc est, Concilii VI. Carthaginensis, Bonifacio sese opposuerint, est illud præmonendum a nobis, Canones Sardicenses Africanis Patribus omnino incognitos hoc tempore fuisse, nullumque eos codicem habuisse, in quo illi reperirentur. Id sane incredibile cuipiam fortasse videri poterit, quum non solum *Gratus* Africanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, sed etiam plures alii Africani Episcopi huic Synodo interfuerint (1), cunctaque Synodalia acta, & potissimum Canones secum detulisse, quam valde probabile sit, atque Hosius præses Concilii Sardicensis Afris valde familiaris fuerit, ideoque quin illud Afris multum commendaverit, nullo modo dubitari posse videatur. Tamen aperta confessione eorumdem Patrum omnino compertum habemus, eos in ignoratione hujusmodi Canonum fuisse versatos. Nam in citata epistola ad Bonifacium aperte affirmant, in nullo codice Nicæni Concilii se adinvenire potuisse illos Canones, quos Zosimus in *Commonitorio* incluserat ad vindicandum jus appellationum ad Sedem Apostolicam (2): „ Quamvis enim (inquiunt) plures codices legeremus, sed „ nusquam in Nicæno Concilio, in Latinis codicibus legimus, quemadmodum in supradicto Commonitorio inde „ directa sunt. Tamen quia hic in nullo codice græco potuimus invenire, ex Orientalibus Ecclesiis, ubi perhibentur eadem decreta posse etiam authentica reperiri; magis „ nobis desideramus afferri. Pro qua re tuam quoque venerationem obsecramus, ut scribere etiam ipse digneris „ ad illarum partium Sacerdotes, hoc est, Ecclesiæ Antiochenæ, Alexandrinæ, & Constantinopolitanæ, & si aliis „ etiam placuerit tuæ Sanctitati, ut inde ad nos iidem Canones apud Nicæam Civitatem a Patribus constituti veniant; te potissimum hoc beneficium cunctis Occidentalibus Ecclesiis in Domino conferente “.

 Hoc

(1) Vide hujus lib. c.3.§.1. (2) To.1.Conc. edit.Hard. col.939.

Hoc semel præmisso, sciendum est, Patres Africanos; quemadmodum in hac eadem epistola traditur ab eis, a Faustino Episcopo, Philippo, & Asello Presbyteris, legatis Apostolicæ Sedis quæsivisse, *quod in litteris* ferrent, atque tunc legatos protulisse eis Zosimi *Commonitorium*, in quo ad vindicandum jus appellationum Apostolicæ Sedi, Canones Sardicenses descripti habebantur, quos tamen Zosimus citaverat sub nomine Nicænorum (1). Hos ergo Canones quum ignorarent Africani Patres, iisque tantum Zosimus insisteret, illorum, quæ in iisdem continebantur, habita ratione; dixerunt, sicuti habetur in citata epistola ad Bonifacium: „ Nullo modo nos talia, qualia commemorare jam nolumus, „ tolerare cogemur: sed credimus, adjuvante misericordia „ Domini Dei nostri, quod tua Sanctitate Romanæ Ecclesiæ „ præsidente non sumus jam istum typhum passuri. Et ser„ vabuntur erga nos, quæ, nobis etiam non differentibus, „ custodiri debeant cum fraterna charitate ... si forte aliter „ se habent Canones Concilii Nicæni". His autem Africani Patres omnino sese opponere videntur juri appellationum ad Sedem Apostolicam; tamen si rem ipsam penitus introspiciamus, ita non est. Zosimus pro fundamento suæ assertionis ponebat Canones Sardicenses, qui apud Africanos incogniti erant: quapropter isti, quæ in hujusmodi Canonibus continebantur, sese pati non posse ajebant: superaddiderunt tamen: *si forte aliter se habent Canones Concilii Nicæni*, hoc est, si Canones Nicæni Concilii aliter haberent, ac Zosimus in suo Commonitorio eos retulerat. Quapropter eo intervallo temporis, quo Canones Sardicenses apud Antiochenam, Alexandrinam, & Constantinopolitanam Ecclesiam quærendi erant, se servaturos dixerunt, quod in illis continebatur: " Quod donec fiat (inquiunt in eadem epistola) „ hæc, quæ in Commonitorio prædicto nobis allegata sunt, „ de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ Sa„ cerdotem, & de Clericorum causis apud suarum Provincia„ rum Episcopis terminandis, nos usque ad probationem „ serva-

(1) Hujus lib. cap. 4. §. 1.

„ servaturos esse profitemur, & Beatitudinem tuam ad hoc „ nos adjuturam, in Dei voluntate confidimus". Hac loquendi ratione Africani Patres, se quidem non omnino persuasos esse demonstrant de jure appellationum ad Sedem Apostolicam; verumtamen & se servaturos profitentur, quæ in *Commonitorio* ex Canonibus Sardicensibus sibi præscripta habebantur, & huic juri se acquieturos, semel ac de illo sibi perspectum foret ex Canonibus Sardicensibus. Quapropter huic eos juri absolute repugnasse, dici non potest; quin immo si ad eam rationem attendamus, qua se cum Apiario gesserunt, sicuti modo animadvertimus, quæ exigit hujusmodi jus servasse comperiemus, ac propterea de eo saltem aliqua ratione sibi certum fuisse.

Quemadmodum autem Coustantius monet, (1) " Satis „ illi (Zosimo) erat, Afris, qui in Carthaginensi II. Con„ cilio Can.10. profitentur, atque Codice Canonum Eccle„ siæ Africanæ c.13. repetunt: a nobis *Veterum statuta serva„ ri debere*, Sardicensis Synodi proponere auctoritatem, ne„ que ipsi metuendum erat, ne decreta respuerent, quæ „ Primatem suum (adde ex Athanasio & 35. alios Episcopos „ Africanos) vel præsentia, vel subscriptione comprobare „ didicisset. Tantum ea de causa decretis illis, quæ Zosimus „ Nicæna appellaret, concedere non posse epistola 2. ad Cæ„ lestinum num.4. scribunt, quia, inquiunt, in nulla *inve„ nimus Patrum Synodo scriptum*. Si hoc tam gravi in Synodo „ constitutum reperissent, eos statim Zosimi voluntati obse„ quuturos fuisse, quis dubitet "?

Nunc Africanorum Patrum agendi rationem expendamus, quam hac in re sub Cælestino tenuerunt. Apiarius ergo ille, quem Patres in sui communionem receperant, ob nova crimina a suo Episcopo depositus fuit: is vero sententiæ contra se latæ non acquiescens, sicuti antea in priori condemnatione ad Zosimum; ita in hac altera ad Cælestinum appellavit. Cælestinus & in suum locum Apiarium restituit, & Faustinum Legatum pro exequutione sui decreti in Africam misit.

(1) Tom.1. *Collect. epist. Roman. Pont.* Adnot. d. ad epist.15. Zosimi.

misit. Congregato itaque Africano Concilio, nihil Faustinus non egit, ut Apiario tum communio, tum pristinus gradus dignitatis restitueretur. Verum frustra. Quum enim Synodus de causa Apiarii judicium instituisset, ex propria tandem ipsius Apiarii confessione, multis eum criminibus obnoxium esse comperit, quemadmodum Patres in sua ad Cælestinum epistola retulerunt (1): " Adveniente sane (inquiunt) ad nos
„ sancto fratre, & Coepiscopo nostro Faustino, Concilium
„ congregavimus, & credidimus ideo cum illo missum,
„ (Apiarium) quoniam sicut per ejus operam Presbyterio
„ antea redditus fuerat; ita nunc posset de tantis criminibus
„ a Trabacenis objectis, eo laborante, purgari ". Narrant deinde, quæ in *triduano laboriosissimo agitato judicio* sibi contigerint, ac tandem de confessione criminum ab eodem Apiario facta ita habent: " Tetriore quippe, ac putidiore obsti-
„ natione compressa, qua tantum libidinum cœnum impu-
„ dentia negationis volebat obruere, Deo nostro ejus con-
„ scientiam coarctante, & occulta, quæ in illius corde, tam-
„ quam in volutabro criminum jam damnabat, etiam homi-
„ nibus publicante, repente in confessionem multorum ob-
„ jectorum flagitiorum dolosus negator erupit; ac tandem
„ de omnibus incredibilibus opprobriis ultroneus se ipse con-
„ vicit ". Hanc epistolam ad Cælestinum ejus Concilii Patres dederunt, quod Africanum vulgo dicitur: diversorum autem præcedentium Conciliorum, quæ in Africa habita fuerant, quædam compilatio in eo facta fuit, iterumque in 105. titulis statuuntur, quæ in præcedentibus Carthaginensibus Conciliis, Milevitano, Hipponensibus, & aliis, jam decreta fuerant. Post ea vero, quibus Cælestinum de Apiarii sceleribus, & eorumdem confessione ab ipso facta certiorem faciunt, multa sane habent, quibus jus appellationum ad Apostolicam Sedem omnino sustulisse videntur: 1. Pontificem rogant, *impendio deprecamur*, inquiunt, ne ad suam communionem admittat illos, quos ipsi communione privarent: 2. Decretum Nicæni Concilii, quo canone 5. statutum est, *ut hi, qui abjiciun-*

(1) Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 947.

ciuntur, *ab aliis non recipiantur*, in medium proferunt, atque illud etiam ad Episcopos extendendum esse tradunt: 3. Nicæna decreta commisisse judicio Metropolitanorum causas tam inferiorum Clericorum, quam Episcoporum, & quoad *improba refugia* Clericorum Ecclesiæ Africanæ nulla definitione derogatum esse: 4. Quæcumque negotia eo loci definienda esse, in quo suam originem habuerunt, Patres Nicænos sapientissime prospexisse, neque existimandum, unicuique provinciæ gratiam Spiritus Sancti defuturam: 5. Judicio transmarino testes, qui requiruntur, facile adesse non posse: nulla autem definitione Patrum constitutum esse, ut ad judicia exercenda Legati ab urbe in Africam mitterentur, quoniam in nullis Nicænis codicibus, atque etiam in iis, quos sibi Cyrillus Alexandrinus, & Atticus Constantinopolitanus transmiserat, repererant eos canones Nicæni Concilii, quos Faustinus Episcopus in *Commonitorio* Zosimi sibi antea legerat: 6. Cælestinum rogant, ut ad se non mittat suos *Clericos exequutores*, ne seculi mos in Ecclesiam introducatur.

Ad hæc Patres in supradicto Africano Concilio congregati hunc canonem ediderunt, anno 416. in II. Milevitano Concilio cap. 20. antea promulgatum, qui in codice canonum Ecclesiæ Africanæ sub num. 125. habetur (1): " Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, & ceteri inferiores Clerici in causis, quas habuerint, si de judiciis suorum Episcoporum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant; & inter eos quidquid est, finiant adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si ab eis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur ".

Sunt qui putant (2), ex his omnibus non illud quidem colligi posse, Patres Africanos juri appellationum sese opposuisse, sed illi solummodo rationi, qua ea nimis facile, quam par

(1) Cit. tomo Concil. colum. 934. (2) Vide Natalem ab Alexandro in Hist. Ecclesiast. sec. 4. Differt. 18. quæst. unica prop. 3.

par erat, recipiebantur, quamvis factæ non ab Episcopis, sed etiam a simplicibus Presbyteris. Id vero colligunt ex his verbis, quæ in præcitata epistola leguntur: " Ne in sua pro„ vincia communione suspensi a tua Sactitate vel festinato, „ vel præpropere, vel indebite videantur communioni resti„ tui ". Hæc quidem tantum si haberentur; eamdem & nos quoque opinionem amplecteremur: verum ab ea nos avertunt alia sane multa, de quibus usque modo mentionem fecimus. Dicimus ergo, Patres Africanos errore facti deceptos aliquandiu ipsi juri appellationum ad Sedem Apostolicam obstitisse, statim tamen postea illud admisisse, facti errore detecto. Zosimus in suo Commonitorio jus appellationis in canonibus Sardicensibus, citatis sub nomine Nicænorum, prout tunc fieri consueverat (1), reposuerat. Patres Africani quum in suo codice Nicænorum canonum non adinvenissent illos, quorum auctoritate Zosimus utebatur, se eosdem servaturos professi fuerunt, quoad usque de iis quæsivissent ab Antiochena, Alexandrina, atque Constantinopolitana Ecclesia. Eo intervallo temporis, quod inter primam, & alteram Apiarii appellationem intercessit, Nicænos canones a S. Cyrillo Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopo, & ab Attico Constantinopolitano Antistite receperunt, in quibus ii canones non continebantur, quos Zosimus ad adstruendum jus appellationum in medium protulerat (2). Quare illud jus impugnare instituerunt, arbitrantes quidem non esse jus, sed injuriam, eo vel maxime, quia non solum Episcoporum, sed etiam simplicium Presbyterorum appellationes Romanus Pontifex susciperet, atque judicaret. Contra appellationes inde etiam valde commoti fuerunt, quia ex Apiarii manifesta confessione noverunt, eum Summo Pontifici in sua appellatione illusisse. Hinc mirandum non est, si ex Concilio Nicæno id collegerunt, quod nullo modo colligi poterat. Quod antequam ostendamus, duo præmonenda esse censemus: 1. Faustinum Legatum Apostolicæ Sedis una cum Africanis Patribus in causa Apiarii judicem sedisse:

(1) Hujus lib. cap. 4. §. 1. (2) Vide cit. epist. ad Cælestinum.

sedisse (1) : 2. Africanos Patres *impendio deprecatos fuisse* Cælestinum, ne ad suam communionem illos admitteret, quos sua ipsi communione privassent. Hæc vero duo ostendunt, Africanos Patres, dum juri appellationum obstiterunt, simul etiam illud tum facto, tum dicto saltem aliquo modo agnovisse, sicuti contingere solet iis, qui contra conscientiam aliquid negant. Nam deprecatio si proprie accipiatur, non super ea cadit, quæ secundum jura ab alio petuntur: Faustinus autem ut in causa Apiarii judex sederet, nulla alia ratione Africani Patres pati potuere, nisi quia in ea Summi Pontificis legatione fungebatur.

Ita ergo se habet canon 5. Nicæni Concilii (2), cujus auctoritatem Africani Patres Cælestino opposuerunt: " De " his, qui communione privantur seu ex Clero, seu ex Laico ordine, ab Episcopis per unamquamque provinciam, " sententia regularis obtineat; ut hi, qui abiiciuntur, ab " aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio, videantur a congregatione seclusi. Ut hoc ergo decentius " inquiratur, bene placuit annis singulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus simul Episcopis Provinciæ congregatis, " discutiantur hujusmodi quæstiones; & sic qui suo peccaverint evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab " omnibus æstimentur, usquequo vel in communi, vel Episcopo placeat, humaniorem pro talibus ferre sententiam ". Tota vis hujus Canonis in eo sane posita est, ut qui ab uno Episcopo excommunicatus fuerit, ab altero Episcopo ejusdem Provinciæ tamen, ac ille prior, ad communionem recipi non possit; ac propterea definitio Patrum Nicænorum unamquamque Provinciam singulatim acceptam respicit, ita ut solummodo voluerint, Clericum, vel laicum, qui esset a suo Episcopo communione privatus, ab altero ejusdem Provinciæ Episcopo ad communionem recipi non posse. Nam

(1) Vide initium cit. epist. (2) Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 323.

per unamquamque Provinciam, non vero in omnibus Provinciis, ſententia regularis, decernunt, ut obtineat. Singulæ ergo Provinciæ a Nicænis Patribus diviſim, non vero una ſimul accipiuntur. Id autem ex ſecunda parte Canonis magis magiſque confirmatur. Nam in ea decernitur, rem in Provinciali Concilio expendendam eſſe, ſi dubium fuerit, utrum Clericus, vel laicus ſui Epiſcopi puſillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet vitio, a communione excluſus fuerit. Quod ſi in Concilio conſtiterit, Clericum, vel laicum contra ſuum Epiſcopum revera peccaſſe; tunc ſane decernitur, ut *excommunicati ab omnibus rationabiliter æſtimentur*, ab omnibus, inquam, qui ad illam Provinciam ſpectarent, quia provincialia decreta vim præcepti abſolute habent in illa Provincia, in qua feruntur, quamvis de iis agatur, quæ ad diſciplinam ſpectant. Unde illud quoque ſtatuitur, ut Clericus, vel laicus, quos contra ſuum Epiſcopum peccaſſe, in Concilio Provinciali conſtiterit, ſicuti excommunicati ab omnibus rationabiliter æſtimentur, *uſquequo vel in communi, vel Epiſcopo placeat humaniorem pro talibus ferre ſententiam*. Nomine vero omnium hìc non intelliguntur omnium Provinciarum Præſules, ſed illius ſingillatim Provinciæ, in qua Synodus habita fuerit. Totus ergo Nicænus Canon ſingulos cujuslibet Provinciæ Epiſcopos reſpicit, atque per eum eiſdem interdicitur, ne ad ſuam communionem illum recipiant, quem alter ejuſdem Provinciæ Epiſcopus excommunicaverit, ſed, ſi neceſſe ſit, de eo ulterius judicium inſtitui decernitur in Synodo Provinciali, & hujus Concilii definitioni ſtandum eſſe ab omnibus, qui ad eam Provinciam ſpectant.

De interpretatione Africanorum Patrum nunc videamus. Hi ſane quod eſt in Nicæno Canone conſtitutum pro ſingulis Epiſcopis uniuſcujuſque Provinciæ, referunt non ſolum ad omnes Epiſcopos quarumlibet Provinciarum, ſed etiam ad Supremum totius Eccleſiæ Præſulem, eoque & huic quoque facultatem ablatam volunt ſententiam ferendi de iis, quæ in Africa judicata fuerint. Deinde quod in Nicæno Canone pro laicis, & Clericis conſtitutum eſt, etiam ad Epiſcopos

pos extendunt. Nam in sæpe citata epistola inquiunt: " Decreta Nicæna sive inferioris ordinis Clericos, sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis commiserunt ". Nicæni autem Patres non sanxerunt, *quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda*, quemadmodum volunt Africani Præsules, sed solummodo ab omnibus cujuslibet Provinciæ Episcopis standum esse definitioni sui Concilii Provincialis: de altero autem judicio, quod fieri non possit neque a Concilio Œcumenico, neque a Summo Pontifice, nullam mentionem habent: immo illud nullo modo sese excludere, aperte innuunt, quia definitio eorum cujuslibet singularis Provinciæ Præsules respicit. Non existimandum autem, unicuique Provinciæ gratiam Spiritus Sancti defuturam, etiam nos concedimus; verum anne inde fit, ut judiciorum ordo, quo ea ab inferioribus tribunalibus ad superiora deferuntur, perverti debeat? Nimis multa in Ecclesiastica historia exempla occurrunt, quibus contigisse comperimus, ut quæ etiam primis Ecclesiæ temporibus in Synodis Provincialibus judicata fuerant, in Œcumenicis iterum judicarentur. In judicio autem transmarino facile adesse testes non possunt; verum huic incommodo per authentica scripta aliunde prospicitur, neque propter illud superiorum tribunalium potestati, atque auctoritati unquam derogatum fuisse legimus. Nulla tandem definitione Patrum constitutum esse, ut a Sede Apostolica Legati in Africam mitterentur ad ea judicia discutienda, de quibus ad illam provocatum fuerat, Africani Patres cum veritate affirmare poterant, quia quum Canones Sardicenses neque apud se haberent, neque a Cyrillo Alexandrino, neque ab Attico Constantinopolitano eos recepissent, putabant, hujusmodi Canones editos non fuisse. Propter talem ignorationem tamen non fiebat, ut non injuste quererentur. Ex eo quod autem Africani Patres ultimo Cælestinum rogent, ne Clericos exequutores in Africam mittat, id sane confirmatur, quod nos supra præmonuimus, antequam de Canone 5. Concilii Nicæni loqueremur.

Nunc vero de eo Canone, quod in Codice Ecclesiæ

Africanæ ſub num.125. legitur. Eſt ergo animadvertendum, in eodem Codice Can.15. tum quoad Epiſcopos, tum quoad Presbyteros, Diaconos, & Clericos ſtatutum eſſe, ut ad ſecularia tribunalia non audeant recurrere tam in iis cauſis, quæ civiles, quam in aliis, quæ criminales appellari conſueverunt. Poſtea vero ita ſtatuitur (1). " . Hoc etiam placuit,
„ ut a quibuſcumque Judicibus Eccleſiaſticis ad alios Judices
„ Eccleſiaſticos, ubi eſt major auctoritas, fuerit provocatum;
„ non eis obſit, quorum fuerit ſoluta ſententia, ſi convinci
„ non potuerint, vel inimico animo judicaſſe, vel aliqua
„ cupiditate, aut gratia depravati ". Hic Canon deſumptus eſt ex Concilio Carthaginenſi III. Can.10. (2) Item in codice Eccleſiæ Africanæ Can.105. ita ſtatutum legitur (3): " Qui-
„ cumque autem non communicans in Africa, in tranſma-
„ rinis ad communicandum obrepſerit, jacturam clericatus
„ excipiat ". Hic quoque Canon deſumptus eſt ex Concilio Milevitano Can. 18. (4) " Quum obreptum (ſicuti Na-
„ talis ab Alexandro in *Hiſt. Eccleſiaſt.* ſec. 4. Diſſert. 28.
„ quæſt. unica prop.3. recte monet) ex Ulpiano idem ſit,
„ quod mendacio, & dolo impetratum: hujus Canonis ge-
„ nuinus ſenſus eſt: ſi quis excommunicatus in Africa men-
„ daciis, & dolis impetraverit communionem a Romana Se-
„ de, Clericatu privetur. Verum eos non percellit Canon
„ iſte, qui legitimæ appellationis ſuffragio ad Sedem Apo-
„ ſtolicam confugerit ". Et re quidem vera qua tandem ratione eos percellere poteſt, ſi Canone 15. decretum legitur, ut non obeſſet eis, qui judicium tuliſſent, dum tamen convinci non poſſent judicaſſe, vel inimico animo, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravatos, non obeſſet, inquam, quando *a quibuſcumque Judicibus Eccleſiaſticis ad alios Judices Eccleſiaſticos, ubi eſt major auctoritas, fuerit provocatum*? At Can.105. a Patribus ita abſolute pronuntiatur: " Ad tranſ-
„ marina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra
„ Afri-

(1) Tom.1. Concil. edit. Harduini colum.874. (2) Cit. tomo colum.962. (3) Eodem tomo colum.923. (4) Eodem tomo colum.1220.

„ Africam in communionem suscipiatur “. Verum si hoc ita se habet, quomodo *a quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi est major auctoritas provocari potest?* quomodo statutum tantum de iis, qui *in transmarinis ad communicandum obrepserint, ut jacturam Clericatus accipiant?* Ne ergo Patres, quæ inter se pugnant, simul constituisse dicamus, illa ultima verba Canonis ita legenda arbitramur: „ Ut Clerici, qui ad transmarina, non ad Primates suos „ provocaverint, in communionem non recipiantur “ quemadmodum in eo codice legitur, quem Hadrianus I. Carolo Magno dedit. Unde Africanis Clericis non illud quidem vitio vertebatur, quod ad transmarina provocarent, sive ad tribunal Romani Pontificis, sed quod, uti inquiunt, per saltum provocarent, contemptis judiciis suorum Primatum, & Africæ Conciliorum (1). Hac sane ratione fit, ut in definitionibus Patrum Africanorum nihil pugnans occurrat, atque etiam simul illud constat, Canone 125. nihil ab eis statutum fuisse, quod adversetur juri appellationum ad Sedem Apostolicam. Nam eo jure appellationum, quod habet Apostolica Sedes, non impeditur, quin in Concilio Provinciali ea judicia discutiantur, quæ ab Episcopo contra Clericum, vel laicum lata fuerint.

Quod autem de ea ratione diximus, qua ultima verba canonis 125. legi debent, ex facto ipso Africanorum magis magisque confirmatur. Nam & in Cælestii appellationem ad Sedem Apostolicam æquo animo antea consenserant (2), & postea sub Pontifice Cælestino in appellationem Antonii Fussalensis consenserunt (3), sequentibusque temporibus in eadem sententia perstitere. Ut enim plura nunc exempla referre omittamus, quibus ab Africa ad Sedem Apostolicam tempore S. Gregorii Magni appellatum fuisse constat, quorum sane infra mentionem faciemus, Diaconum Donadacum Victoris Episcopi sui judicio dejectum e gradu dignitatis, ad S. Gregorium appellasse, Sanctumque Gregorium Columbo Episco- po

(1) Vide Natalem ab Alexandro cit. loco. (2) Hujus cap. §. 2.
(3) Hujus cap. §. 3.

po Numidiæ commisisse, ut sollicite de causa Donadaci inquireret, ne ipse, quam debebat, pœnam non lueret, ex lib. 12. Indict. 5. epistola 8. compertum habemus.

Quapropter ut paucis rem istam totam concludamus, aliquando quidem Africani Patres decepti errore facti, hoc est, putantes non esse constitutum canonibus Sardicensibus; quod eis, & quidem unicum tantum, ad vindicandum jus appellationum ad Sedem Apostolicam Zosimus opponebat, idem jus impugnarunt; verum, quemadmodum jam explicavimus, ad rem eorum non faciebat, quod ex Nicæno Concilio desumptum sibi favere arbitrabantur. His accedit, graviter fuisse commotos ad impugnandas appellationes ob factum Apiarii, quem ex ipsius confessione Cælestino illusisse noverunt, quemque Faustinus Legatus Apostolicæ Sedis impensius defendebat, & in causa ejus advocati potius, quam judicis partes tuebatur. Tamen dum hoc facere perstitere, de jure appellationum ad Sedem Apostolicam se aliquo modo persuasos esse, simul ostenderunt. Nam simul cum eis in Concilio Carthagine congregato consedentibus Legatis Apostolicæ Sedis, *utrorumque* concordia Apiarius communioni restitutus fuit, neque Africani conquesti fuere, Zosimum decrevisse, Urbanum Episcopum, a quo Apiarius a communione exclusus fuerat, aut excommunicandum, aut Romam evocandum, si illum in communionem non reciperet. Quo autem tempore sub Cælestino ob errorem facti, uti dicebamus, appellationes ad Sedem Apostolicam acrius impugnasse videntur, & Faustinum Legatum Apostolicæ Sedis una simul secum judicem sedere in causa Apiarii consentiunt, & deprecatione cum Cælestino utuntur, ut eum avertant tam a suscipiendis Africanis appellationibus, quam a mittendis Clericis exequutoribus in Africam. Est ergo compertum, quod nos volebamus, contentiones, quæ de jure appellationum excitatæ fuerunt in Africana Ecclesia sub Zosimo, Bonifacio, atque Cælestino, nullo adjumento esse posse Adversariis nostris. Singillatim vero nos, atque per partes explicanda esse duximus, quæ hac de re in Africana Ecclesia sub Zosimo,

Boni-

Bonifacio, atque Cæleſtino contigerunt, quia Petrus de Marca *De Concord. Sacerd.*, *& Imper.* lib. 7. cap. 17. num. 5. & ſeqq., ac deinde alii, noviſſimeque Febronius *De Statu Eccleſ.* cap. 5. §. 6. num. 5., Africanæ Eccleſiæ auctoritate quod contra nos modo volunt, manifeſte ſe eviciſſe arbitrantur.

§. V. Quæ ſub Leone Magno in cauſa Celidonii geſta fuerunt, de Gallicanis ad Sedem Apoſtolicam appellationibus, neminem dubitare ſinunt.

Celidonium ergo appellaſſe ad Sedem Apoſtolicam a judicio Hilarii contra ſe lato, Leonem de hoc judicio ab Hilario contra Celidonium lato ſententiam tuliſſe, decreto autem Leonis tum Hilarium, tum Epiſcopos Gallicanos acquieviſſe, tria ſunt, quæ a nobis oſtendi debent, ut de eo, quod nunc volumus, omnibus perſpectum eſſe poſſit. Quia tamen Queſnellus Diſſert. 5. Apologetica pro S. Hilario Arelatenſi Epiſcopo contra nos pugnat auctoritate ejus, qui vitam S. Hilarii ſcripſit, quem ipſe eſſe putat S. Honoratum Maſſilienſem Epiſcopum, & S. Hilarii Diſcipulum, eſt id primo diſcutiendum a nobis, cuinam potiſſimum hac in re, de qua agimus, fides adhibenda ſit, utrum S. Leoni, an auctori vitæ S. Hilarii (1). Leoni ſane potius, quam auctori vitæ S. Hilarii fides ut adhibeatur, vera critices ratio omnino ſuadet. Hic ergo nos auctoritatem Leonis cum Hilarii auctoritate non comparamus, qua enim ratione in hoc toto negotio Hilarius ſeſe geſſerit, traditum memoriæ poſterorum ab eo non habemus: id tamen a Leone ea in epiſtola accepimus, quam ad Viennenſis provinciæ Epiſcopos dedit. Quapropter non eſt, cur quiſpiam calumietur, Hilarii auctoritatem deprimi a nobis, Leonis autem nimis extolli: tunc enim eſſet, cur de hoc quiſpiam quereretur, quando in iis, quæ de ſe referret, nullam Hilario fidem, omnem autem Leoni haberemus, dum Hilarii geſta commemoraret. Comparatio ergo non inter Leonem, & Hilarium, ſed inter Leonem, & Auctorem vitæ S. Hilarii a nobis

(1) Vide hanc vitam adnexam Operibus S. Leonis in edit. Pariſien. an. 1675.

a nobis instituitur, & istam illi in hac re, de qua agimus, longe præferendam esse dicimus. Quandoquidem ea critices sanioris prima regula est, ut, si cetera paria sint, iis potissimum scriptoribus fides adhibeatur, qui narrant, quæ suo tempore contigerunt, non ita autem facile aliis, qui referunt, quæ ab aliis didicere. Hæc autem regula longe tutior evadit, si non solum suo tempore, sed etiam a se gesta memoriæ posterorum quispiam tradiderit, eaque neque privatim gesserit, neque latere voluerit, sed dum publicum judicium exerceret, quod omnibus, atque iis potissimum, quorum maxime intererat, perspectum esse voluerit. Hæc omnia profecto in S. Leone unita simul habemus, non vero in Auctore vitæ S. Hilarii. Leo enim non solum quæ suo tempore contigerant, sed quæ ipse quidem non privatim, sed in Patrum Concilio egerat, in epistola data ad Episcopos provinciæ Viennensis distincte narrat, sua eis decreta indicit, Celidonium a se absolutum, Hilarii vero judicium rescissum commemorat, & non solum indicat eis rationem gestorum omnium, sed etiam *chartis* rerum ordinem ostendit. " Quæ igitur (inquit) „ apud nos in causa Celidonii Episcopi gesta confecta sint, & „ quæ Hilarius dixerit, dum cum eodem, præsente supradicto Episcopo, audiretur, inditus chartis rerum ordo demonstrat " (1). Auctoris vitæ S. Hillarii testimonium nunc expendamus. Illud ergo nos depressum non velle profitemur, sed solummodo in hac potissimum re, de qua agimus, testimonio Leonis apud unumquemque longe inferius esse debere contendimus. Neque enim quæ ipse viderit, aut fecerit, de suo magistro narrat, sed quæ audiverit, atque ab aliis noverit. Discipulus Hilarii deinde fuerat: unde mirandum non est, si ea potissimum litterarum mandare monumentis satagerit, quæ in sui magistri decorem cedere possent, alia vero tacitus prætererit, cujusmodi illud est, de quo nunc agimus, Romæ videlicet a Leone rescissum fuisse judicium, quod ille de Celidonio tulerat. Unde merito Pagius ad an. Christi 445. num. 14. " Verum (inquit) Papebrochius longe rectius

„ sta-

(1) Juxta edit. Baller. epist. 10. cap. 3.

„ statuit, potiorem in hujus causæ narratione esse auctoritatem S. Leonis, quam Auctoris vitæ S. Hilarii: quia Leo tam Sanctus fuit, ut mentiri nollet, tam antiquus, ut nemo propinquior haberi possit testis hujus rei, cui interfuit, quamque ipse ut judex gessit. Præterquamquod Auctori vitæ S. Hilarii injuria magna non fieret, si diceretur in iis, quæ Romæ gesta erant anno 445. in auditu, & relatu Arelatensis Cleri post annos viginti, aut triginta narrandis scripsisse minus vera: magna autem fieret S. Leoni, si vera dubitaretur scripsisse in epistola ad Episcopos Viennensis provinciæ. Quum enim istum possit excusare bona fides audita referentis; Leo non posset non damnari impudentissimæ calumniæ falsa scribens. Quis, obsecro, intelligens, quam Sanctus vir Leo fuerit, huic dubitabit dare fidem; illi, quamvis Sancto, contraria scribenti derogare? Hæc Papebrochius..... Profecto qui animum attenderit ad ea, quæ pluribus Sanctis Viris contigere in iis referendis, quibus ipsimet præsentes non fuere, S. Honoratum in iis, quæ Romæ in causa Celidonii coram S. Leone gesta fuerant, male edoctum fuisse putabit". Affert autem Pagius exemplum S. Aviti scribentis ad Gundabodum Burgundiæ Regem, tumultuum, qui Constantinopoli orti fuerant seculo sequenti sub Imperatore Anastasio, causam fuisse Macedonium Patriarcham Constantinopolitanum. " Porro Avitus (inquit Pagius) ad Principem suum non alia scripsit, quam quæ ab aliquo Episcopo, aut Viro illustri, aut sanctitate claro ex Oriente acceperat: neque enim verosimile est, Episcopo natalibus, pietate, & scientia conspicuo, cum aliis, quam cum hujusmodi Viris, fuisse litterarum commercium. Honorato itaque Massiliensi Episcopo idem, quod Avito Viennensi Metropolitæ accidit; & quemadmodum hic de Macedonii causa, sic & ille de causa Leonis (seu Celidonii) relationem parum sinceram habet".

At quid? Nonne quæ Auctor vitæ S. Hilarii de eodem S. Hilario in cap. 17. habet (quæ sane a Quesnello nobis opponuntur) cum iis recte conciliari possunt, quæ apud S. Leo-

nem in epistola 10. (1) ad Episcopos provinciæ Viennensis legimus? Semel enim ac ponamus (quod sane improbabile non est) Auctorem vitæ S. Hilarii suum magistrum defendendum sibi propofuisse quoad eam totam rationem, quam ille servavit, dum de causa Celidonii apud Sedem Apostolicam ageretur, quæ tum ipse, tum S. Leo de S. Hilario tradunt, inter se consentiunt. Nam S. Leo de eo affirmat (2), B. Apostolo Petro se subjicere noluisse: Beatissimi Petri reverentiam verbis arrogantioribus minuisse: eum non habuisse aliquid rationabile, quod in sanctorum Concilio Sacerdotum respondere posset: ad ea se occulta cordis ipsius transtulisse, quæ nullus Sacerdotum dicere, nullus Laicorum posset audire: gessisse tumorem mentis: insolentibus sermonibus vulnera suæ animæ inflixisse: & se ipsum suis responsionibus innodasse, ac tandem improvisum abscessisse, cursu celeri multa itinera conficientem. Contra Auctor vitæ S. Hilarii in capite 17., Hilarium commendat, quia solus tantos sustinuit, nequaquam minantes expavit, inquirentes edocuit, altercantes vicit, potentibus non cessit, in discriminis vitæ positus communioni suæ, quem cum tantis viris damnaverat, conjugi nullatenus acquievit, & custodibus appositis, hyemis rigore sæviente, quos ratione non flexerat, credidit relinquendos. Hæc sane sunt, quæ Quesnellus *Dissert.* 5. *Apologetica* pro S. Hilario par. 1. cap. 1. iis opponit, quæ a S. Leone in epistola ad Episcopos provinciæ Viennensis tradita habemus. Auctori autem vitæ S. Hilarii potius, quam S. Leoni, fidem adhibendam esse statuit. Præter omnem rationem tamen, sicuti modo ostendimus. Nunc quod volumus. Profecto semel ac duo de aliqua re gesta diversa ratione sentiant, & unus eorum præclare, & fortiter ab aliquo rem illam gestam fuisse tueatur, alter vero non præclare, sed præter omne jus, & cum obstinati animi pervicacitate; ille sane ejus, qui rem gessit, fortitudinem, & animi firmitatem commendabit, alter vero condemnabit fractionem legum cum obstinatione animi conjunctam. Hoc sane est, quod in S. Leone, & Auctore

(1) Juxta Ballerin. edit. (2) Cit. epist. cap. 2. & 3.

ctore vitæ S. Hilarii usuvenisse dicendum est, semel ac Auctorem vitæ S. Hilarii ipsum Hilarium in eo, quod gessit in causa Celidonii, commendare sibi proposuisse statuamus, sicuti cum omni probabilitate statui potest, immo & debet, quum S. Leoni potius, quam illi, hac in re fides adhibenda sit. Quapropter dum Auctor vitæ Hilarii eumdem commendat, " Quod solus tantos sustinuit, quod nequa„ quam minantes expavit, quod inquirentes edocuit, quod „ altercantes vicit, quod potentibus non cessit "; Leoni non opponitur; qui Hilarii tumorem mentis depingit, arrogantiam exponit, quamvis nihil habuisset, quod in Concilio Sacerdotum responderet, atque turpem fugam ejus commemorat. Contraria ergo est tum in Auctore vitæ S. Hilarii, tum in S. Leone sentiendi ratio, atque sententia, si ad rem istam attendamus, non vero contrarius est loquendi modus.

Illud quidem ab Auctore vitæ S. Hilarii traditum habemus, ipsum Hilarium, dum causa ejus Romæ ageretur, in discrimine vitæ fuisse, aufugisseque Roma, custodibus appositis; nullo autem modo id a Leone accepimus. Verum quisnam unquam crediderit, quod Auctor vitæ Hilarii refert, quum ex S. Leone noverimus (1), *improvisum* Hilarium abscessisse, & *cursu celeri itinera multa conficientem*, *ut de scurrili velocitate potius*, *quam de Sacerdotali moderatione*, gloriam captaret? Si Hilarius aufugisset, e manu custodiarum sese eripiens, habuisset sane Leo, cur de eo gravius conquereretur. Deinde quandonam unquam illis Episcopis, qui ad dicendam causam suam Romam veniebant, custodiæ apponebantur? quomodo Hilarius ad hunc finem Romæ degens in vitæ periculo fuit, si Leo in epistola ad Episcopos provinciæ Viennensis testatur, omnem se cum eo benignitatem adhibuisse, ut suum errorem recognosceret?

Auxiliaris Præfecti auctoritate Auctor vitæ S. Hilarii cap. 17. confirmat, quod ipse de constantia Hilarii prædicavit, atque ex eo rem eamdem suadere contendit etiam Quesnellus; verum eodem modo tum Auctorem vitæ Hila-

 rii,

(1) Cit. epist. cap. 5.

rii, tum Auxiliarem Præfectum probasse rationem, quam idem Hilarius tenuit, dicendum est, atque etiam auctoritatem tum Auxiliaris Præfecti, hominis secularis, tum etiam Auctoris vitæ S. Hilarii supra auctoritatem Leonis prævalere non debere. Quæ enim, hac de re si loquamur, in Leonem cadunt, eadem quoque cadere in Auxiliarem Præfectum ne fingi quidem potest. Illud quoque cum Christiano Lupo (1) quispiam non falso autumaverit, " Auxiliaris verba „ esse afflicti senis, infirmi, ac magni Episcopi consolato- „ ria, ideoque non per fallacem adulationem, scripta tamen „ per dispensatoriam commiserationem: ut omnia videren- „ tur agere de sola reparatione Celidonii. Absit, ut tantus „ Romani imperii minister contra suorum Principum avitam „ fidem, & perpetuam in novissima etiam contra Hilarium „ lege professionem, laudarit, aut probarit impugnari, ac „ everti Romanas appellationes. Fuisset crimen læsæ etiam „ humanæ majestatis ".

Nunc autem, hoc semel statuto, fidem Leoni potius, quam Auctori vitæ S. Hilarii adhibendam esse; illud primo ostendamus, Celidonium a judicio Hilarii contra se lato ad Sedem Apostolicam appellasse, Leonem vero hujusmodi appellationem suscepisse, atque de sententia lata ab Hilario contra Celidonium judicasse. Celidonius ergo Episcopus accusatus fuerat apud Hilarium Episcopum Arelatensem, sicuti tradit Auctor vitæ S. Hilarii cap.17., *eum internuptam suo adhibuisse consortio, & seculi administratione perfunctum capitali aliquos condemnasse sententia*. Hisce ergo de rebus ab Hilario una cum aliis probatissimis Sacerdotibus examine instituto, decretum fuit ab eis, ut Celidonius ab Episcopatu *voluntate propria se removere deberet*. Huic judicio Celidonius non acquievit, sed ab eo ad Summum Pontificem provocavit, Romamque se contulit, ut ibidem suam causam defenderet. Id audiens Hilarius, & ipse quoque Romam petiit, ut judicium semel a se latum tueretur. In Concilio itaque Episcoporum,

(1) Tom.8. Oper. ejus Differt.1. *De Gallicana Eccl. Romanis Appellat.* cap.2.

porum, præsente S. Leone, tum Celidonius, tum Hilarius suam causam egit: Hilarius *rationabile, quod in sanctorum Concilio Sacerdotum posset respondere, non habuit*: Celidonius vero *se injuste Sacerdotio fuisse dejectum, manifesta testium responsione coram Hilario monstravit, ita ut Hilarius, quod contra opponeret, non haberet*. *Remotum* hac de causa fuit illud *judicium, quod prolatum in hac sententia legebatur: quod tamquam viduæ maritus Sacerdotium tenere non posset* (1). Hìc sane Quesnello nihil occurrit, quod contra reponere possit. Nam neque suus ille Auctor vitæ S. Hilarii, neque Auxiliaris præfectus in eadem vita, cujus auctoritatem tanti ipse facit, Hilarium & Romam se contulisse, & suam causam in Concilio defendisse negant; quin immo hac de re Hilarium cum Leone *tractatum* habuisse, ejus vitæ Auctor commemorat. Aliunde autem S. Leo, quæ Romæ in Concilio Sacerdotum gesta fuerant, publicis litteris significavit Episcopis provinciæ Viennensis, inter quos sane Hilarius connumerabatur. De facti ergo veritate nemini dubium esse potest, sicuti neque etiam Quesnello fuit. Hoc autem in facto nihil eorum defuisse, quæ ad veram appellationem requirùntur, æque manifestum est. Judicium, quod in Galliis una cum aliis Sacerdotibus Hilarius de Celidonio tulerat, ad Sedem Apostolicam delatum fuit: de eo examen Apostolica Sedes instituit: tam Celidonium, qùi condemnatus fuerat, quam Hilarium, qui illum condemnaverat, audivit: Celidonium absolvit, Hilarii autem judicium jam factum rescidit. Hìc autem plura animadvertenda in rem nostram occurrunt. 1. Non esse existimandum, Celidonium id consilii cepisse, quod nihil sibi prodesse posset: parum enim ad condemnationem ejus intererat, si ab Apostolica Sede sententia in eum lata rescinderetur, semel ac, uti Quesnellus ait *Dissert.* 5. *Apologetica* pro S. Hilario par. 1. cap. 14. " Si quis ..... ad extraneos judices vellet „ per appellationis libellum confugere; is Episcoporum con„ cordiam cohærentem collidere, unitatemque scindere me„ rito putabatur ". 2. Non fuisse sane, cur Hilarius appellatio-

(1) Vide epist. 10. S. Leonis juxta edit. Ballerin. cap. 3.

tionem a suo judicio delatam ad Sedem Apostolicam tanti faceret, ut propter eam tam longum iter aggrederetur, atque Romam se conferret, multoque minus erat, cur suam coram Summo Pontifice, & Patribus simul congregatis causam diceret, suique judicii rationem redderet, semel ac quæ in Gallia judicia lata fuissent, Romæ ad examen revocari non posse, sibi persuasum habuisset. 3. Hilarium in hac causa, quam tanto æstu defendebat, id pro se afferre neglexisse, quod per se obvium multum illi prodesse poterat, quisnam unquam arbitratus fuerit? Nam si Gallicana judicia apud Apostolicam Sedem expendi non posse putavisset, immo, ut vult Quesnellus, a primis Ecclesiæ temporibus usque ad illam ætatem id semper servatum in Gallia fuisset, ut judicia ejus Romæ non expenderentur, quidnam ei ad sui defensionem promptius efficaciusque occurrere poterat, quam ejusmodi jus, aut consuetudinem in medium proferre? Id autem Hilarium fecisse, non solum a S. Leone, a Valentiniano in sua *Novella*, & ab Auctore vitæ S. Romani, quos sibi adversari Quesnellus fatetur, traditum non habemus, sed neque etiam ab Auctore vitæ S. Hilarii, neque ab Auxiliari Præfecto in epistola ad Hilarium apud Auctorem vitæ ejus; quos tamen sibi suffragantes Quesnellus agnoscit. Nam Auctor vitæ Hilarii cap. 17. illud quidem refert, Hilarium cum humilitate depoposcisse, " Ut Ecclesiarum statum more solito (Leo) " ordinaret: adstruens aliquos apud Galliam publicam merito " excepisse sententiam, & in Urbe sacris Altaribus interesse. Rogat, atque constringit, ut si suggestionem suam " libenter excepit, secrete jubeat emendare, & se ad officia, non ad causam venisse; protestandi ordine, non accusandi, quæ sunt acta suggerere ". Verum ex his illud tantum evincitur, Hilarium, antequam de sententia ejus in Concilio ageretur, rogasse Leonem, ut sicuti antea etiam in Urbe uti damnati habiti fuerant, qui justam in Gallia damnationem subierant; ita etiam cum Celidonio idem servaretur, quatenus de justitia sententiæ in eum latæ non dubitabat. Ceterum quoad rem istam jus aliquod Leoni opposuisse

fuiſſe non legimus; & quamvis ſe non veniſſe dixerit, ut accuſatoris partes ageret; veniſſe tamen affirmavit, ut proteſtaretur, atque ſuggereret, quæ acta erant, & hæc quoque ſuperaddidit: " Porro autem ſi aliud (Leo) velit, ſe non „ futurum eſſe moleſtum ". Hæc autem cadere in eum non poſſe, qui judicia lata in Gallia examini, & ſententiæ Apoſtolicæ Sedis ſubjecta non eſſe putaverit, nemo non videt. S. Leo non privatim, ſed in Concilio coram Patribus Hilarii judicium poſt inſtitutum de eo examen reſcidit, deque hoc Epiſcopos provinciæ Viennenſis, apud quos ſane uſum appellationum interdictum fuiſſe, Queſnellus contendit, ſuam per epiſtolam ad eos datam certiores fecit, illoſque monuit: *remotum fuiſſe judicium, quod prolatum in hac ſententia legebatur: & redditum Eccleſiæ ſuæ, & huic, quam amittere non debuerat, dignitati, Coepiſcopum Celidonium, ſicut geſtorum ſeries, & poſt decurſam cognitionem ſententia, quæ a nobis eſt prolata, teſtatur* (1). Dubitari ergo a nemine poteſt, quin Celidonius a judicio contra ſe lato in Galliis ad Sedem Apoſtolicam appellaverit, eam appellationem Sedes Apoſtolica receperit, ſententiamque latam in Galliis reſciderit.

Decreto autem Leonis tum Hilarius, tum Gallicani Epiſcopi obſequti fuerunt, contra ac Queſnellus in citata Apologia tuetur. Ejus enim par.3. cap.2. Hilarium ſententiæ Leonis non acquieviſſe inde autumat, quia ab Auctore vitæ illius cap.17. traditum habemus, Hilarium ſcripſiſſe *Apologias*, poſtquam ab urbe receſſit, atque in ſuam ſedem ſeſe reſtituit. At verba Auctoris vitæ Hilarii, quem tantopere commendat, omnibuſque præponendum tuetur, in eum ſenſum detorquet, quem idem Auctor nullo modo patitur. Hæc ex Auctore vitæ S. Hilarii, eademque idem Auctor revera habet, Queſnellus refert: " In civitatis receſſu totum „ ſe ad placandum animum S. Leonis inclinata humilitate „ convertit, miſſo primum S. Ravennio tunc Presbytero, „ poſtmodum proprio ſucceſſore; deinde S. Nectario, San„ ctoque Conſtantio, præcipuis Sacerdotibus. Et quia quan„ tum

(1) Vide epiſt.10. juxta edit. Ballerin. cap.3.

„ tum in hac causa dictaverit, nulla possum ratione conne-
„ ctere; Auxiliaris &c. " Hoc profecto loci Auctor vitæ Hilarii commemorat, quæ idem Hilarius scripsit, postquam inclinata humilitate se totum convertit ad placandum animum S. Leonis, atque in hunc finem suos ad eum Legatos primo Ravennium, deinde Nectarium, & Constantium misit. Bella sane fuisset ratio placandi animum S. Leonis, si quod Romæ degens fecerat idem Hilarius, ad sua reversus, apologetica oratione defendere instituisset, eaque refellere judicium a S. Leone contra se latam! Deinde ubinam Auctor vitæ Hilarii dicit, Hilarium scripsisse *Apologias*, postquam ad suam Ecclesiam rediit? Multum sane illum dictasse ea occasione tradit, qua suos Legatos ad placandum animum Leonis Romam misit: quæ ergo dictavit, talia fuisse dicendum est, ut ad placandum animum Leonis conducerent.

Verum Quesnellus, ut aliis suadeat, quod sibi proposuit, non solum Auctoris vitæ Hilarii verbis falsum sensum affingit, sed etiam eadem parte dissertationis cap.3. ad adstruendum decreto S. Leonis Hilarium non obtemperasse, quæ ab Auctore vitæ Hilarii ad illud tempus referuntur, quo Hilarius Romæ degebat, & in discrimine vitæ positus illud feliciter evasit, ipse transtulit ad aliud tempus, quo Hilarius mortuus fuit: ita enim eo loci habet: " Nunquam tamen
„ resiliit Hilarius (a pristina sententia:) sanctæ post mortem
„ memoriæ ab ipso Leone appellatus, & ut testatur laudatus
„ toties ejus vitæ scriptor, etiam *in discrimine vitæ positus*
„ *communioni ejus, quem cum tantis viris damnaverat, con-*
„ *jungi nullatenus acquievit* ". At Auctor vitæ Hilarii cap.17. hæc quidem de Hilario habet, quod ipse " In discrimine
„ vitæ positus communioni suæ, quem cum tantis viris dam-
„ naverat, conjungi nullatenus acquievit "; verum ista de Hilario habet, dum ille Romæ commoraretur, ibique suam causam defenderet. Unde post nonnulla alia, quæ tum in eodem 17. capite, tum in sequenti 18. de Hilario tradit, & illud potissimum, quod *in civitatem regressus totum se ad placandum tunc animum S. Leonis inclinata humilitate convertit*;

cap.19.

cap.19. describit mortem illius. Pervertit ergo Quesnellus narrationem Auctoris vitæ S. Hilarii, ut Hilarium id fecisse ostendat, quod ipse sibi confinxit. Et re quidem vera, si, quemadmodum ipse animadvertit, Hilarius sanctæ post mortem memoriæ ab ipso Leone appellatus fuit; id omnibus evidenti argumento esse debet, Hilarium decreto Leonis usque ad mortem non obstitisse. Sed quomodo usque ad mortem decreto Leonis obstare potuit, si Valentinianus sua Constitutione missa in Gallias decretum Leonis præcepit, ut servaretur, nominatimque Hilario interdixit, ne illi contraire auderet (1)? " Quid enim (inquit Valentinianus) " tanti Pontificis auctoritati in Ecclesiis non liceret? Sed " nostram quoque præceptionem hæc ratio probavit, ne " ulterius nec Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari " sola mansueti Præsulis permittit humanitas, nec cuiquam " alteri Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis " Romani Antistitis liceat obviare... Hac perenni sanctione " censemus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quam " aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat " sine venerabili Papæ urbis æternæ auctoritate tentare. " Sed hoc illis, omnibusque pro lege sit, quidquid sanxit, " vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas: ita ut quisquis " Episcoporum ad judicium Romani Antistitis evocatus venire " neglexerit, per moderatorem ejusdem provinciæ adesse " cogetur ".

Nunc de Gallicanis Episcopis videamus. Etiam istos obstitisse decreto Leonis citatæ Dissertationis par.1. cap.8. Quesnellus censet. Ita vero censet, quia Ravennius, qui S. Hilario in sede Arelatensi successit, Metropoliticam dignitatem obtinuit, qua juxta decretum Leonis Hilarius spoliatus fuerat, eamque Episcopo Viennensi S. Leo detulerat. Verum enim vero illud a Quesnello falso supponitur, non solum Hilarium, sed etiam Ecclesiam Arelatensem Metropolitica dignitate a S. Leone privatam fuisse. Quemadmodum

(1) Vide hanc Constitut. post citatam epist. 10. S. Leonis juxta edit. Ballerin.

enim Ballerinii fratres in *Observat.* in cap. 2. par. 3. Differt. 5. Quesnelli num. 2. animadverterunt, non in Ecclesiam Arclatensem, sed solummodo in Hilarium S. Leo sententiam dixit; idque, præter alia, quæ in epistola 10. leguntur, hæc verba capitis 3. manifeste probant: „ Nec ultra Hilarius conven„ tus audeat indicere Synodales. Non ergo intersit ulli ordi„ nationi: non ordinet. Noverit se non solum ab alieno jure „ depulsum, sed etiam Viennensis provinciæ, quam male „ usurpaverat, potestate privatum ". At tantum abest, Gallicanos Præsules obstitisse decreto Leonis, ut sua agendi ratione maximam illi subjectionem hac in re præsetulerint. Nam, monito a se Leone de unanimi Ravennii electione in Episcopum Arelatensem, eumdem rogarunt, ut Metropoliticam dignitatem, qua Hilarium privaverat, ex eo quod pietatem ejus offendisset, conferre dignaretur: ita enim Episcopi comprovinciales Metropolis Arelatensis in ea epistola habent, quam hac de re ad S. Leonem dederunt (1): " Un„ de præmissis officiis, quæ Apostolatui vestro jure debentur, „ suggestionem nostram, quæ justitiæ partibus fungitur, „ audiendam a corona vestra minime dubitamus: quippe „ quum non aliqua nova institui, sed prisca per vos opta„ mus, & antiqua reparari. Nec enim justum est, ut hono„ rem ejus, quem, ut probavimus, impense diligitis, illa„ res minuat, qua pietatem vestram alter offendit. Et sane „ manifestum est, Ecclesiæ Arelatensi Divinæ gratiæ favorem „ adesse, cui talem habere contigit Sacerdotem, per quem „ privilegia dignitatis antiquæ, quæ dolebat sibi pro tempo„ re diminuta, gauderet in perpetuum, recentioribus Apo„ stolicæ Sedis auctoritatibus reformata ". Illusit sibi ergo Quesnellus, aut aliis illudere voluit, non minus dum affirmavit, Hilarium semper restitisse decreto Leonis, quamquando hoc idem asseruit de Gallicanis Præsulibus.

Usque modo hac de re. Quamvis enim præter ea, quæ soluta sunt a nobis, nonnulla quoque alia pro se Quesnellus in medium adducat; his tamen nos diutius immorandum non esse

(1) Juxta edit. Ballerin. 65. cap. 1.

esse arbitramur, quum illa refutaverimus, quæ aliquid contra nos valere posse videbantur, remque totam in suas partes divisam ita explicaverimus, ut de ea omnibus compertum esse possit. Quid enim? Anne, ut uno exemplo utar, illud quispiam magni fecerit, quod non solum ad minuendam, sed etiam omnino abolendam auctoritatem S. Leonis Quesnellus Dissert. 5. Apologetica pro S. Hilario par. 3. cap. 3. affert, hoc est: *Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt*, quemadmodum Valens, Gratianus, & Valentinianus ad Gracchum Præfectum Urbis scripserunt (1)? Nam ea verba sunt sane referenda ad eos, qui judicio subsunt, quales profecto in causa nostra erant Celidonius, & Hilarius, non ad alios, qui illud exercent, qualis S. Leo fuit. Deinde Quesnelli interpretatione semel admissa, inde consequeretur, ut Principes per se, vel per alios sua jura in judicio tueri non possent, quia *omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt*. Tandem causa Celidonii contra Hilarium in Concilio discussa, atque finita fuit; & nisi dicamus, Leonem mentitum fuisse; quod nullus ne leviter quidem suspicatus fuerit, in eo Hilarius nihil rationabile habuit, quod responderet. At hac de re plus quam satis.

§. VI. In causa Episcopi Projecti, non secus ac in Celidonii, clarissimum Gallicanarum appellationum ad Sedem Apostolicam testimonium habemus.

De duobus in causa Projecti Hilarium apud Sedem Apostolicam accusatum fuisse, ex S. Leone in epistola ad Episcopos provinciæ Viennensis novimus (2): 1. adhuc vivente Episcopo Projecto, substituisse in locum ejus Pratoclum, non servato ordine, quem in hujusmodi electione juxta regulas canonicas servari oportebat: 2. quod non habebat, in aliena provincia jus sibi usurpasse. Quod ergo Hilarius hoc in negotio fecerat, S. Leo in Concilio Episcoporum ob Projecti ad se delatas querelas, lacrymabilesque litteras civium, qui pro-

(1) Codicis Theodosiani lib. 2. tit. 2. (2) Juxta cit. edit. epist. 10. cap. 4.

Projecto Episcopo suberant, omnino rescidit, atque decrevit, ut Episcopus Projectus in suo Sacerdotio permaneret, & submoveretur, qui in locum ejus superordinatus fuerat (1): „ Nos tamen (inquit) quod vobis credidimus, Deo judice, „ placiturum, in commune cunctis fratribus consulentes, „ & male ordinatum submoveri, & Episcopum Projectum in „ suo Sacerdotio remanere debere decrevimus: id statuen„ tes, ut si quisquam fratrum nostrorum in quacumque pro„ vincia decesserit, is sibi ordinationem vindicet Sacerdotis, „ quem illius provinciæ Metropolitanum esse constiterit". Hoc decretum una cum præcedenti de Celidonio in sua epistola ad Episcopos provinciæ Viennensis S. Leo misit, & fuit illud, non secus ac alterum, Valentiniani Constitutione firmatum. Quæ supra initio §. præcedentis disseruimus de fide S. Leoni præstanda in iis, quæ de Celidonii causa ipse tradit, eadem hac quoque in causa Projecti valent, quum etiam ipsa in eodem judicio agitata, atque definita fuerint. Non est ergo, cur Quesnellum in 2. par. suæ Apologeticæ Dissertationis cap. 1. & seqq. contra hujusmodi judicium Leonis multa turbantem, tum Hilarii jurisdictionis, tum Projecti Episcopatus habita ratione, nunc moremur. Ballerinii fratres hac quoque in re illum confutando *Observationum* par. 2. Quesnellianæ Dissertationis Apologeticæ pro S. Hilario, suam præclare operam locarunt.

§. VII. Tempore S. Gregorii Magni ab Ecclesiis Occidentalibus ad Sedem Apostolicam appellatum fuisse, multa exempla demonstrant.

Quamvis ad eam facti veritatem, quam nunc propugnamus, nihil amplius desiderari posse videatur; tamen ad eamdem semper magis magisque adstruendam facere non possumus, quin nonnulla exempla earum appellationum commemoremus, quæ tempore S. Gregorii Papæ ad Sedem Apostolicam factæ fuerunt. Nam, ut utar verbis Petri de Marca *De Concord. Sacerd.*, *& Imper.* lib. 7. cap. 18. num. 3. " Inter „ omnes Pontifices nemo peritior fuit jurium Sedis Apostoli-

„ ex

(1) Cit. epist. cap. 3.

„ cæ quoad appellationes, quam Gregorius Magnus. Rebus „ ille gerendis admotus per multos annos Ecclesiæ Orientalis „ mores introspexerat, quum Sedis Apostolicæ Apocrisarium „ ageret Constantinopoli ". Quatuor ergo tantum diversarum appellationum, quæ ad Gregorium Magnum factæ fuerunt, nunc mentionem faciemus, ne longiores simus.

1. Felicissimus, & Vincentius Diaconi, gravi injuria a suo Episcopo accepta, ad judicium S. Gregorii ex Africa recurrerunt, illeque constituit, qui ordo in judicio hujus causæ servari deberet.

Id constat ex epistola S. Gregorii (1) ad Hilarium Monachum Africæ: " Felicissimus, atque Vincentius (inquit San„ ctus Gregorius) Diacones Ecclesiæ Lumigensis, oblata pe„ titione, quæ tenetur in subditis, suggesserunt ab Argen„ tio ejusdem civitatis Episcopo gravem se injustitiam pertu„ lisse, & , accepto præmio, Donatistas in Ecclesia fuisse „ præpositos, eumque inter alia non leve aliud facinus, „ quod dici nefas est, commisisse, commemorant. Propte„ rea experientiæ tuæ præsentis præcepti pagina duximus in„ jungendum, quatenus præfatum Episcopum idoneæ satis„ factioni committere non omittas, tuaque instantia in lo„ cis illis fiat ex more Concilium, & omnia secundum obla„ tæ petitionis textum canonice coram positis partibus sub„ tili indagatione perquirantur. Et quæcumque eorum judi„ cio fuerint terminata: te exequente, modis omnibus com„ pleantur ". In his autem, quæ ex S. Gregorio accepimus, duo potissimum animadvertenda occurrunt: 1. hanc causam in *prima instantia*, ut dicunt, judicio Apostolicæ Sedis subjectam fuisse, deque ea jussisse Gregorium, ut judicium in Africa fieret, prout a se præscriptum habebatur; hoc est, Hilario, uti Legato Apostolicæ Sedis Concilium indicente, Patres simul convenirent, *ut omnia secundum oblatæ petitionis textum canonice coram positis partibus subtili indagatione* perquirerentur, quodque illorum fuisset judicio definitum, Hilarius exequendum curaret. Decreto 5. canonis Sardicensis Gre-

(1) Lib. 1. Indict. 9. epist. 84., alias 82.

Gregorii determinatio consona fuit: in eo enim constitutum erat, esse in potestate Summi Pontificis, ut judicium causæ ad se delatæ vel committeret Episcopis finitimæ provinciæ, vel aliquem mitteret, qui una cum iisdem judicio interesset. 2. Felicissimum, & Vincentium fuisse Diaconos. Erat autem primo in Milevitano, deinde in Africano Concilio sancitum, ut Clerici ad Primates suos recurrerent, eisque culpæ tribuebatur, si *per saltum*, ut inquiunt, & omissis Metropolitis, ad judicia transmarina appellarent (1). Quapropter dicendum est, jam ab hoc tempore decretum illud in Africa servari non consuevisse.

2. Ex Illyrico Hadrianus Thebarum Episcopus ad judicium S. Gregorii appellavit.

Hadrianus Thebanus in Thessalia Episcopus ob quædam crimina degradatus fuit a Joanne Episcopo Larissæ suo Metropolita, Joanne, & Cosma Diaconis illum accusantibus. Ab hoc judicio Hadrianus ad Joannem Episcopum primæ Justinianæ, Vicarium Apostolicum appellavit; qui quidem sententiam Episcopi Larissæi ratam habuit. Neque etiam judicio istius Hadrianus acquievit, sed suam ad Gregorium causam detulit, atque Romam accessit. Gregorius autem in epistola ad Joannem Episcopum primæ Justinianæ (3), postquam se relegisse testatus fuit, quæ tam coram Joanne Episcopo Larissæo, quam coram illo in hac causa acta fuerant, primo Joannem Episcopum primæ Justinianæ de injusto judicio arguit, deinde eum graviter reprehendit, ex eo quod ad Sedem Apostolicam non misisset aliquos, qui peracti a se judicii rationem redderent, semel ac ad eam appellatum fuisse novit: postremo Hadrianum absolvit a judicio utriusque Joannis, ac Joannem Episcopum primæ Justinianæ spatio triginta dierum sacra communione privat: " Sed tantum
„ (inquit) Fraternitas tua nescio quo mentis motu, Divi-
„ no humanoque jure contempto, abruptam protulit in
„ ejus damnatione sententiam: quæ licet non esset appella-
„ tione

(1) Hujus lib. cap. 3. §. 5. (2) Vide hujus cap. §. 5. (3) Epist. lib. 3. Indict. 11. epist. 6.

„ tione suspensa, contra leges tamen canonesque prolata, „ ipsa non poterat jure subsistere. Postquam autem ex abun- „ danti appellationem tibi constat esse porrectam, mirati su- „ mus, cur nec homines tuos secundum cautionem Hono- „ rato Diacono nostro per responsales tuæ Ecclesiæ exposi- „ tam, qui tui judicii rationem possent reddere, transmisi- „ sti. Quod factum te vel de contumacia, vel de conscien- „ tiæ trepidatione redarguit. Si igitur hæc, quæ nobis obla- „ ta sunt, veritate vallantur: quoniam occasione vicium „ nostrarum consideramus vos injusta præsumere: de his alias „ secundum id, quod a nobis deliberatum fuerit, Christo „ auxiliante, decernemus. Quod vero ad præsens attinet, „ cessatis prius, atque ad nihilum redactis prædictæ senten- „ tiæ tuæ decretis, ex B. Petri Principis Apostolorum aucto- „ ritate decernimus, triginta dierum spatio te sacra com- „ munione privatum “. In epistola quoque ad Joannem La-rissæum eumdem graviter increpat de ea agendi ratione, quam cum Hadriano tenuerat (1); & quamvis, uti ipse inquit, humanius *decernendo* Dominici communione corporis eum privatum esse non velit, statuit tamen, ab illa omni potestate excidisse, quam in Hadrianum, ejusque Ecclesiam habebat.

Hic autem illud animadvertendum esse censemus, præter omnem rationem sane agere Petrum de Marca, dum lib.7. *De Concord. Sacerd.*, *&* *Imper.* cap. 21. num. 1. & 2., facta mentione duarum Constitutionum Gregorii IV., & Leonis IV., in quibus sancitum legitur, *ut post auditionem Primatuum diœceseos* liceat Episcopo appellare ad Sedem Apostolicam, atque interim nullus de causa illius judicet, aut judicare præsumat, id acceptum esse affirmat num. 3. “ Ex „ more usurpato a Gregorio Magno; qui tamen Gallias, & „ Africam distinguebat ab aliis Provinciis, & diverso pror- „ sus modo se gerebat cum aliis “. Nam de usurpato more eum Gregorium accusat, quem *inter omnes Pontifices neminem fuisse peritiorem* confitetur *jurium Sedis Apostolicæ quoad appella-*

(1) Cit. loco epist.7.

pellationes, quem ita sæpius se protestatum fuisse novimus (1): „ De Ecclesiasticis vero privilegiis, quod vestra fraternitas „ scribit, hoc, postposita dubitatione, teneat: quia sicut „ nostra defendimus; ita singulis quibusque Ecclesiis sua ju- „ ra servamus. Nec cuilibet, favente gratia, ultra quam „ meretur, impertior, nec ulli hoc, quod sui juris est, „ ambitu stimulante, derogo; sed fratres meos per omnia „ honorare cupio, sicque studeo honore singulos subvehi, „ dummodo non sit quod alteri jure ab altero possit appo- „ ni “ (2). Illud quoque Petrus de Marca falso affirmat, alia ratione, ac cum aliis, cum Afris, & Gallis S. Gregorium sese gessisse. Nam cum Afris quoad rem istam idem servasse, ac cum omnibus aliis, jam ostendimus; idem vero etiam cum Gallis servaturum fuisse, si occasio tulisset, esse inde omnibus perspectum debet, quia Apostolicæ Sedi *jure competere aliorum sententias retractare*, uti rem certam habuit (3).

3. Etiam in Florentio Episcopo Epidaurensi Illyricianæ appellationis ad Sedem Apostolicam sub Gregorio Magno habemus exemplum.

Hac in appellatione Epidaurenses cives actores fuerunt, sibique restitui petierunt a Summo Pontifice suum Episcopum Florentium, quem Natalis Salonitanus Episcopus, & Metropolita Dalmatiæ iniqua sententia ab Episcopatu dejecerat. Quapropter Gregorius Sabinianum Jaderæ Episcopum monuit, ut de causa Florentii se certiorem faceret, si quid de ea novisset; si autem non novisset, inquireret, & sibi cuncta manifestaret, ut de illa certum judicium ferre posset (4): „ Præterea (inquit) habitatores Epidaurensis civitatis Flo- „ rentium, quem suum esse dicunt Episcopum, sibi a nobis „ restituendum studiosissime poposcerunt, asserentes frustra „ eum ad solam tantummodo voluntatem Natalis Episcopi „ detrusum exilio. Et ideo si quid de ejus causa fraternitas „ ve-

(1) Epist. lib. 2. Indict. 10. epist. 47., alias 39. (2) Legatur epist. 52. ejusdem lib. & epist. 29. & 30. lib. 3. (3) Legatur epist. 29., alias 30., ad Constantium Mediolanensem Episcopum lib. 10. Indict. 3.
(4) Epist. lib. 8. Indict. 1. epist. 10., alias 22.

„ vestra cognovit, nobis suis subtiliter epistolis innotescat.
„ Si autem necdum cognovit, requirat, nobisque renunciet;
„ ut quidquid de eo statuendum sit, certi deliberare, ad-
„ jutore Domino, valeamus “.

4. Ex epistola S. Gregorii (1), seu Capitulari 1. ad Joannem Defensorem, ab Hispania appellatum fuisse ad Sedem Apostolicam, compertum habemus.

Hac in epistola S. Gregorius Joanni Defensori, quem in Hispaniam legatum miserat, in hunc modum rationem præscribit, quam servare deberet in examine, & judicio causæ Januarii Episcopi Malacitani, ac cujusdam Presbyteri, nec non Stephani Episcopi: 1. mandat Presbyterum ab exilio revocari, & suæ Ecclesiæ restitui, si res ita se haberet, quemadmodum Januarius Episcopus illius exposuerat. Si autem Presbyterum conscium esse alicujus criminis deprehensum fuisset; tunc, ipso præsente, seque defendente, tum de crimine, tum de probationibus illius a Joanne requirendum statuit, ut videret, quid de eo decernendum esset. Ad Januarium Malacitanum Episcopum deinde venit, atque hæc in ejus discussione causæ Joanni servanda præcipit: eum, qui in locum ejus superordinatus fuerat, sacerdotio privatum ab omni Ecclesiæ ministerio repellendum mandat, si contra Januarium, nulla *criminalis causa*, *quæ exilio*, *vel depositione digna sit*, *mota*, *sive probata fuerit*. Episcopis autem, qui illum ordinaverant, vel ordinationi consenserant, Dominici Corporis, & Sanguinis per sex menses communione privatos, pœnitentiam in Monasterio agere debere decernit: iis tamen pœnitentiæ tempus minuendum esse constituit, si in hoc scelus metu compulsi consenserint. Tandem ad Stephani Episcopi causam descendit: quia ergo Stephanus Episcopus in sui odium quædam crimina conficta, & nihil secundum ordinem gestum, atque injuste se condemnatum querebatur, quid in examine causæ illius servari debeat, ut rei veritas perspicua fieri possit, Joanni præscribit, atque Stephano suam Ecclesiam restitui mandat, semel ac compertum habea-

(1) Epist. lib.13. Indict.6. epist.45., alias 111.

habeatur, nec *solemniter* omnia acta fuisse, nec *causam probatam, quæ exilio, vel depositione digna sit*. Hæc postea superaddit: " Quod si forte aliqua de objectis contra memoratum
" Stephanum Episcopum probata sunt, aliqua vero doceri
" minime potuerunt: cauta omnino consideratione pensan-
" dum est, utrum leviora capitula, an certe graviora pro-
" bata sint, ut ex eis qualiter definitionem tuam formare
" debeas, possis scire ..... Si autem talem culpam antedi-
" ctum Episcopum commisisse constiterit, quod absit, ut
" constet eum non irrationabiliter fuisse depositum; eadem
" ejus depositio confirmetur, & Ecclesiæ res suæ omnes re-
" stituantur, quæ ablatæ claruerint ". Quam in causa Stephani Episcopi, & commemorati Presbyteri Joannes Defensor Apostolica auctoritate sententiam tulerit, ignoramus: est tamen ex ipso perspectum, quid in causa Januarii Episcopi Malacitani decreverit: hujusmodi enim fuit judicium illius (1):
" Dum igitur ex deputatione Beatissimi, atque Apostolici
" Domni mei Papæ Gregorii, ego Joannes Defensor inter
" Januarium Episcopum Malacitanæ civitatis, atque inter il-
" los, & illos Episcopos cognitor resedissem, necesse habui
" causam prædicti Januarii interna inquisitione discutere, &
" a partibus subtiliter quærere veritatem, si ut petitio ejus
" continet, transmissis Clericis, a memoratis Episcopis una
" cum hominibus gloriosi Comitioli de Ecclesia fuerit violen-
" ter abstractus. Qui dum multa contra se invicem, sicut
" gesta testantur, objicerent, ad conclusionis hunc utræque
" partes aliquando terminum pervenerunt, petentes me de
" agnitis debere judicare. Unde sollicite relegens, quæ acta
" sunt, & veritatem diligenti investigatione perquirens,
" nullam in antedicto Januario culpam, quæ exilio, vel de-
" positione digna esset puniri, sed magis illum ejectum de
" Ecclesia violenter inveni. Et quamvis hujusmodi temeri-
" tatem legum censura districtissime feriat; ego tamen le-
" gum vigorem Sacerdotali moderatione temperans, mediis
" sacro-

(1) Hæc sententia in edit. Maurina legitur post citatam epist. S. Gregorii.

„ sacrosanctis Evangeliis, quibus præsentibus ab initio in hoc cognitor resedi judicio, ea, quæ contra eum statuta sunt, licet jure non teneant, nec alicujus sint momenti, injusta tamen, & infirma esse pronuntio". Alia deinde contra eos decernit, qui ad Januarii condemnationem concurrerant. Hisce vero omnibus nihil magis expressum desiderari potest non solum ad illud jus adstruendum, quod penes Apostolicam Sedem inesse propugnamus, sed etiam ad evincendum apud Hispanos ejusdem juris, quæ debebatur, habitam fuisse rationem.

Petrus de Marca *De Concord. Sacerd., & Imper.* lib. 7. cap. 18. num. 11. quoad appellationem ad Sedem Apostolicam duorum Episcoporum Stephani, & Januarii nobiscum consentit; tamen num. 12. hujusmodi judicii rationem haud æquo animo tulisse Hispanos, inde se suspicari autumat, quia in Concilio IV. Toletano can. 28. Hispani Præsules ita sanxerunt: " Episcopus, Presbyter, Diaconus, si a gradu suo „ injuste dejectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, „ non potest esse, quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat „ coram Altario de manu Episcopi". Verum anne fortasse juri appellationum adversatur, alterum judicium Episcoporum in ipsa provincia de re judicata institui, atque in eo absolvi illum, qui in priori judicio condemnatus erat, si ejusdem detecta, atque probata innocentia fuisset? Nullo enim Sardicensi canone vetitum legimus; ne post unum Episcoporum Comprovincialium judicium de crimine alicujus Episcopi alterum quoque ab Episcopis vicinioribus fieret, si qui in priori judicio damnatus fuerat, de injusta sententia conquerebatur (1). Hoc vero est, quod Toletani Patres non constituunt, sed præsupponunt, decernuntque tantum, eum, qui in altero judicio absolvitur, in pristinum statum restitui non posse, nisi gradum amissum recipiat coram Altario de manu Episcopi. Quapropter ob hujusmodi decretum Concilii Toletani Episcopos Hispanos haud æquo animo tu-

(1) Vide hujus lib. cap. 3. §. 3. & seq.

lisse eam judicii rationem, quam Gregorius servari præcepit, nemo unquam dixerit.

Usque modo tam in præcedenti, quam in isto capite de appellationibus tum ab Oriente, tum ab Occidente factis ad Sedem Apostolicam post Concilium Sardicense usque ad tempus Trullanæ Synodi, hoc est, ab anno 347. usque ad annum 688., vel 692., ac propterea, habita ratione facti, nullus non videt, Petrum de Marca falso putasse, post Synodum Sardicensem usque ad tempus Synodi Trullanæ ab Oriente ad Sedem Apostolicam appellatum non fuisse. Solum ergo nunc superest, ut Febronium refutemus, qui Stephanum Baluzium potissimum sequutus, longius etiam, quam Petrus de Marca, progressus fuit.

§. VIII. Febronius contra apertam, atque evidentem historiæ veritatem exordium appellationum ad Sedem Apostolicam a collectione Decretalium repetit.

„ Sacrum illud jus (inquit *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. 5. „ §. 6. num. 6.) quamcumque causam terminandi intra pro„ vinciam haud dubie mansisset integrum, nisi infausta illa „ Isidori collectio, referta falsis epistolis decretalibus totam „ Ecclesiasticæ disciplinæ faciem sus deque vertisset. His „ etenim appellationes ad Sedem Apostolicam in quacumque „ etiam levissimi momenti causa sunt propositæ, immo & jus „ tribûtum Summo Pontifici, ut de causis in quocumque lo„ co enatis in prima instantia cognoscere vellet, & judicium „ ferre". Hac in re Febronius Baluzium sibi sequendum constituit, virum alioquin maxima eruditione præditum, qui tamen in isto doctrinæ capite non solum gravissime erravit, sed etiam & minori moderatione præ Febronio usus fuit, & Ecclesiam occasione Decretalium a pristina, & antiqua doctrina deviasse, novamque fuisse sequutam, affirmare non erubuit. Hæc enim ille habet in Præfatione ad Antonium Augustinum *De Emendatione Gratiani* num. 1. " Nam tum (scilicet tem„ pore Caroli Magni) quasi aliqua fatali necessitate quum „ mutarentur regna, mutatum quoque est jus Ecclesiasticum, „ id est,

„ id eſt, antiquo jure, quod per ſeptingentos amplius an-
„ nos valuerat, ſucceſſit jus novum ex ſuppoſititiis ſanctiſſi-
„ morum Romanæ urbis Epiſcoporum epiſtolis ab impuden-
„ tiſſimo illo nebulone Pſeudo-Iſidoro prolatis compactum,
„ & ex novellis eorum conſtitutionibus, qui poſt Caroli tem-
„ pora Sedem Apoſtolicam occuparunt". Num. 2. "Jus
„ iſtud novum, quo exarmata ſunt jura, ut Tertulliani ver-
„ bis utamur, introductum fuiſſe diximus ævo Caroli Magni,
„ favorabili videlicet, ſi unquam alias, tempore, ob ma-
„ gnam confuſionem, quæ in politiam eccleſiaſticam invecta
„ erat ex ſtupenda, & miſerabili Epiſcoporum, reliquorum-
„ que Clericorum inſcitia, & vetuſtorum canonum ignoran-
„ tia". Poſt alia tandem hæc num. 3. ſuperaddit: "Conſti-
„ tuto namque hoc novo jure, eo deinceps omnes uti cœ-
„ pere, qui tranſalpinæ poteſtatis amplificationem affecta-
„ bant, & qui rerum omnium impunitam libertatem tenere
„ cupiebant: qui niſi ſacroſancti juris antiqui prudentiam,
„ & uſum ab Eccleſia expuliſſent, obtinere non poterant li-
„ centiam cupiditatum ſuarum. Sed quum æterno, ſi ſuperi
„ paterentur, ſupplicio mactatum eſſet illud jus, quo uti
„ Eccleſiam voluerunt, qui eam fundavere, lata eſt quo-
„ dam modo lex impunitatis, aditu videlicet reſerato, ja-
„ nuaque patefacta appellandi in omnibus cauſis Sedem Apo-
„ ſtolicam, & Pontificem Romanum".

Si hanc loquendi rationem in ignoto aliquo auctore deprehenderemus, facile foret, ut quid ille profiteretur, conjiceremus. Hic tamen nos Baluzium quoad hæc omnia refutandum non aggredimur: neque enim id inſtituti noſtri ratio patitur. Eminentiſſimus Aguirrius in *Collect. Concil. Hiſpaniæ* tom. 1. in Præfatione Iſidori ad Concilia Diſſertatione 5. Patres, & Romanos Pontifices a nota *ſtupendæ*, *& miſerabilis ignorantiæ* luculentiſſime vindicavit. Diſſertatione 6. oſtendit, tempore Nicolai I., hoc eſt, poſt annum 858., invectum in Eccleſia non fuiſſe jus appellationum ad Apoſtolicam Sedem occaſione epiſtolarum Iſidorianæ collectionis, ipſiuſque Nicolai æquitatem in cauſis Rothadi, & utriuſque

Hinc-

Hincmari contra Baluzii calumnias defendit. Tandem in 7. Dissertatione palam fecit omnibus, qui manifestæ evidentique veritati repugnare nolint, jus appellandi ad Sedem Apostolicam, quod tribuitur Episcopis in epistolis Isidorianæ collectionis, neque novum esse, neque contrarium antiquis Canonibus, ac propterea dici non posse seculo 8., aut 9. in Ecclesiam introductum fuisse. Hoc vero est, quod nos æquo jure contra Baluzium, & Febronium urgere possumus. Quod antequam faciamus, illud paucis animadvertendum censemus, hoc, quod Baluzius affirmat *de fatali necessitate*, qua jus Ecclesiasticum mutatum est, & novum antiquo successit, sententiæ Novatorum effutientium, Ecclesiam a sua pristina sanctitate, & puritate defecisse, affine esse. In veteri namque ecclesiastico jure non solum plura spectantia ad disciplinam tradita habemus, sed etiam multa alia, quæ sunt dogmata fidei. Hinc recte Aguirrius Dissertatione 5. Excursu 1. num. 5. & 6.: " Sane (inquit) quotquot Romani Pontifices, „ quotquot Concilia, & Patres longe ante tempora Caroli „ Magni, fidem, & rectam doctrinam in Ecclesia Romana „ non defecturam collegerunt ex pollicitationibus Christi „ Petro factis, & crediderunt, portas inferi non prævalituras adversus eam, . . . horrerent, si audirent, venturum „ tempus, & quasi *fatalem necessitatem*, ut tota Ecclesia regeretur novo aliquo jure, contrario iis sacris Canonibus, „ & orto ex farragine, ac quisquiliis alicujus impudentissimi „ nebulonis. Expendant, quæso, omnes viri docti, & pii, „ quotquot intra sinum suum Romana Ecclesia complectitur, „ an in ea opinione, & verbis lædatur ipsius honor; quamvis idem auctor revera Catholicus nihil minus cogitaverit. „ Sed forte religioni non duxit ita scribere, aut abductus „ immoderata crisi, qua excedunt recentiores aliqui circa „ sacra quælibet antiquitatis monumenta, aut præoccupatus „ nimio Gallicanarum libertatum amore, qui vel Catholicos, „ & eruditos homines exerrare facit, & quodammodo oblivisci Sedis Apostolicæ, quam se colere testantur iis thesibus, & supremorum Parlamentorum aliquot decretis in

„ Gal-

„ Gallia editis, quæ (teste Marca ipso, Archipræsule eru- „ ditissimo, & Regio Ministro, in libello Barcinone edito an- „ no 1646.) *Catholicæ Ecclesiæ dignitatem summopere lædunt* “.

Verum a Baluzio, &, eo magistro, etiam a Febronio falso obtrudi: *mactato antiquo jure, januam patefactam appellandi in omnibus caussis Sedem Apostolicam*, hoc sane est, quod modo volumus, & jure quidem meritoque volumus. Nam pluribus est jam ostensum a nobis, longe ante tempora Concilii Sardicensis ab Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali ad Sedem Apostolicam appellatum fuisse. Habita autem Sardicensi Synodo, hoc de jure manifesta decreta edita legimus, & ad Apostolicam Sedem Ecclesiam Orientalem, & Occidentalem appellasse usque ad illud tempus, quo S. Gregorius Magnus universæ Ecclesiæ præfuit, jam demonstravimus (1): idemque etiam quoad sequentia secula a nobis facile confici poterat: nisi hac in re, quam par erat, longiores esse timuissemus.

Ex his autem etiam Bohemeri calumnia refellitur: nam ipse quoque in *Jure Ecclesiastico Protestantium* lib. 1. tit. 29. §. 4. non solum originem illius juris, quo ad Sedem Apostocam appellatur, repetit a collectione Decretalium Isidori; sed etiam lib. 2. tit. 28. §. 1. effutit, quod “ Fraudibus variis „ usi sunt Pontifices, ut appellationes ad se traherent “. Fingi ne quidpiam audacius hujusmodi calumnia potest?

§. IX. Adversarii nostri irrito conatu contra nos pugnant auctoritate Canonis 2. Concilii Constantinopolitani I.

Concilium Constantinopolitanum I. eo tempore habitum fuit, quod a Sardicensi Concilio usque ad Trullanum interfluxit. Quapropter quum hoc in capite jam confecerimus a Synodo Sardicensi usque ad Trullanam ab Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali ad Sedem Apostolicam appellatum fuisse, nunc superest, ut ostendamus nihil contra evinci ex Canone 2. Constantinopolitani I. Concilii, quem Adversarii (2) nobis oppo-

(1) Vide hæc duo ultima capita. (2) Inter alios Quesnellus videatur Dissert. 5. Apologetica pro S. Hilario par. 1. cap. 15., & Dupinius *De Antiqua Ecclesiæ disciplina* Dissert. 2. cap. 1. §. 1. & seq.

opponunt. Hæc ergo ſunt verba Canonis (1): " Qui ſunt ſu-
„ per Diœceſim Epiſcopi nequaquam ad Eccleſias, quæ ſunt
„ extra præfixos ſibi terminos, accedant; nec eas hac præ-
„ ſumptione confundant, ſed juxta Canones Alexandrinus
„ Antiſtes &c. Non vocati autem Epiſcopi ultra ſuam Diœce-
„ ſim non accedant propter ordinationes facendas, vel pro-
„ pter alias diſpenſationes Eccleſiaſticas. Servata vero, quæ
„ ſcripta eſt de gubernationibus regula, manifeſtum eſt,
„ quod illa, quæ ſunt ſuper unamquamque Provinciam,
„ ipſius Provinciæ Synodus diſpenſet, ſicut Nicæno conſtat
„ decretum eſſe Concilio ". Dupinius (2) Chriſtianum Lu-
pum falſo arbitratum dicit, hoc 2. Canone Concilii Con-
ſtantinopolitani non 5., ſed 6. Canonem Nicæni Concilli
explicari, atque tradit in priori quidem parte Conſtantino-
politani Canonis haberi rationem 6. Nicæni Canonis, in altera vero 5. At hoc ad ſe parum referre affirmat, dum il-
lud admittatur, " Conſtantinopolitani Synodi Patres exiſti-
„ maſſe, omnem adminiſtrationem, ac proinde judicia Epi-
„ ſcoporum pertinere ad Synodum Provinciæ ſecundum re-
„ gulam, ac mentem Nicænorum Patrum ".

Paucis quod ego puto de reſpectu habito non ad 5., ſed ad 6. Canonem Nicænum in Canone 2. Concilii Conſtantinopolitani. Canone 5. Nicæni Concilii præſcribitur, qua ratione Epiſcopus ſe gerere debeat erga illos, qui vel ex Clero, vel ex laico ordine communione privati fuerint; Canone autem 6. tum Patriarcharum, tum Metropolitanorum fines juriſdictionis præſcribuntur. Hoc quoque in 2. Conſtantinopolitano Canone juriſdictio Epiſcoporum definitur, præcipiturque, ne Epiſcopi accedant ad illas Eccleſias, *quæ ſunt extra præfixos ſibi terminos*. Inde vero conſequebatur, ut, *conſtituta hac regula de gubernationibus*, negotia, quæ in aliqua Provincia occurrere poterant, a Synodo ejuſdem Provinciæ componenda eſſent, quemadmodum in altera parte Canonis 2. Conſtantinopolitani ſancitum legimus. Quare cum

(1) Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 809. (2) Loco mox citato.

cum Christiano Lupo tom. 8. Operum ejus, Differt. 1. *De Gallicanæ Ecclesiæ Romanis appellationibus* cap. 10. sentiendum arbitror, Canonem 2. Constantinopolitanum ad 6. Nicænum Canonem referri. Verum ad rem quoque nostram id parum spectat.

Nunc de vero sensu 2. Constantinopolitani Canonis. Eo sane tendit determinatio ejus, sicut unicuique legenti ex se constat, ut Episcopi non excedant terminos suæ jurisdictionis, ac nemo eorum in Diœcesi alterius aliquid auctoritatis exerceat. Quemadmodum vero unus Episcopus ultra, quam par est, suam auctoritatem extenderet, si alterius Episcopi jurisdictionem invaderet; ita etiam si Episcopi unius Provinciæ simul uniti negotia alterius Provinciæ propria auctoritate definire vellent, alienum jus invaderent. Hoc vero est, quod vetant Constantinopolitani Patres, & quemadmodum in priori parte Canonis decreverunt, ne unus Episcopus, quæ spectant ad jurisdictionem alterius Episcopi, sibi subiiceret; ita in hac altera statuere, ne Episcopi unius Provinciæ jura alterius Provinciæ invaderent; idque faciunt, *sicut Nicæno constat decretum esse Concilio*, hoc est Canone 6. " Altera Canonis pars (Concilii Constantinopolitani, inquit „ Christianus Lupus in scholiis ad eumdem Canonem) idem „ statuit, quod prima pars tertii Sardicensis. Horrende „ grassabatur alienarum præsertim ordinationum invasio. „ Etenim, ut Eusebii Vercellensis Episcopi, Luciferi Cala„ ritani, & Eusebii Samosatensis pios labores taceam, Apol„ linarius, Laodicensis hæresiarcha, ut scribit Facundus „ Hermianensis Episcopus ex S. Petro Alexandrino, in Pa„ triarchalem Antiochenam Cathedram intruserat suum di„ scipulum Vitalem, ei soli ab omnibus communicari man„ dans, Paulinum autem verum istic Episcopum anathema„ tizari. Ab eadem factione intrusos Episcopos in varias „ Cappadocum Ecclesias, testatur Gregorius Presbyter in „ vita S. Gregorii Nazianzeni. Etiam Macedonius, atque „ Eudoxius, Constantinopolitani Pseudo-Episcopi, ita fue„ rant in jura aliena grassati. Etiam Synodus Seleuciensis,

„ ejecto Eudoxio, Antiochenis dederat Anianum Episco-
„ pum, quomodo olim Antiochena Alexandrinis Grego-
„ rium, de quo Julii Pontificis querelas quis ignorat? ...
„ Hæc ergo omnia ne fiant deinceps, Canon compescit ". Toto itaque cœlo Adversarii nostri a veritate aberrant, dum auctoritate 2. Canonis Constantinopolitani jus appellationum ad Sedem Apostolicam sublatum fuisse contendunt.

Eodem modo falluntur etiam, dum ad auctoritatem Canonis 9. Concilii Chalcedonensis confugiunt. Ita vero habet hujusmodi Canon (1): " Si quis Clericus adversus Cle-
„ ricum habet negotium, non deserat proprium Episcopum,
„ & ad secularia judicia recurrat: sed prius actio ventiletur
„ apud Episcopum proprium, vel certe consilio ejusdem Epi-
„ scopi, apud quos utræque partes voluerint, judicium ob-
„ tinebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis
„ correctionibus subjacebit. Quod si Clericus habet causam
„ adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum,
„ apud Synodum Provinciæ judicetur. Quod si adversus Pro-
„ vinciæ Metropolitanum Episcopus, vel Clericus habet
„ querelam, petat aut primatem diœceseos, aut sedem re-
„ giæ urbis Constantinopolitanæ, & apud ipsam judicetur ". Hisce similia statuta leguntur etiam in Canone 17. At vero judiciorum, quæ *primæ instantiæ* dicuntur, Patres Chalcedonenses in hisce Canonibus rationem habuerunt, constitueruntque, ut Clericus contra Clericum ad Episcopi, Clericus contra Episcopum ad Synodi Provinciæ, Episcopus, vel Clericus contra Metropolitanum ad Primatis, seu ad sedis regiæ urbis judicium recurreret, nullusque auderet (& hac sane de causa, uti constat ex initio Canonis, descriptus judiciorum ordo stabilitus fuit) ad secularia judicia accedere. Hoc sane scandali genus ab Ecclesiasticis removere Patres Chalcedonenses contenderunt, indeque etiam Canone 12. ab iisdem sancitum fuit, ut qui *convolarunt ad potestates, & per pragmaticam formam in duo provinciam unam diviserunt* contra Ecclesiastica statuta, ne in posterum sub pœna *amissionis gradus proprii* quidquam tale auderent. CA-

(1) Tom. 2. Concil. juxta edit. Harduini colum. 606.

CAPUT VI.

DE EO FUNDAMENTO, QUOD APPELLATIONES AD SEDEM APOSTOLICAM IN JURE DIVINO HABENT.

§. I. JUs appellationum ad Sedem Apostolicam ab ejus suprema legislativa potestate proxime proficiscitur.

Etiam antequam in Sardicensi Concilio lex ulla conderetur de appellationibus ad Apostolicam Sedem, sæpius ad eam tum ab Orientali, tum ab Occidentali Ecclesia appellatum fuisse, jam ostendimus (1). Appellationes autem ad se factas Apostolica Sedes recepit, deque iis, de quibus appellabatur, judicium tulit. Hanc potestatem Julius in epistola ad Eusebianos ad consuetudinem revocavit (2): ad decreta Synodi Sardicensis (3), atque simul ad consuetudinem ex Traditione proficiscentem revocavit etiam Innocentius I. in epistola 2. ad Victricium (4) inquiens num.5. " Si quæ „ autem causæ, vel contentiones inter Clericos tam superioris ordinis, quam etiam inferioris, fuerint exortæ, ut „ secundum Synodum Nicænam, congregatis ejusdem provinciæ Episcopis, jurgium terminetur, nec alicui liceat „ (sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus „ causis debet reverentia custodiri) relictis his Sacerdotibus, „ qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu Divino gubernant, ad alias convolare provincias ". Ita prosequitur Summus Pontifex num. 6. " Si majores causæ in medium „ fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus „ statuit, & beata consuetudo exigit, post judicium Episcopale referantur ". Quæ ex priori loco præter omnem rationem expuncta vellet Quesnellus, Coustantius animadvertit (5): quæ autem ex altero Febronius *De statu Ecclesiæ* cap.4. §.1. num.1. Ballerini fratres (6). S. Leo quoque hujus- modi

(1) Hujus lib. toto cap.2. (2) Vide locum ejus hujus lib. cap.2. §.6. (3) Vide quæ animadvertimus hujus lib. cap.4. §.1.
(4) Apud Coustantium in Collect. epist. Rom. Pontif. (5) In Adnot. hujus epist. (6) Tom.3. Oper. S. Leonis colum.207.

modi potestatem in consuetudine positam affirmavit epist. 10. cap. 2. (1): " Nobiscum itaque (inquit ad Episcopos provinciæ Viennensis) vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam
" Sedem pro sui reverentia a vestræ etiam provinciæ Sacer-
" dotibus innumeris relationibus esse consultam, & per di-
" versarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat,
" appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata
" fuisse judicia; adeo ut, servata unitate spiritus in vinculo
" pacis, commeantibus hinc inde litteris, quod sancte age-
" batur, perpetuæ proficeret charitati: quoniam sollicitudo
" nostra non sua quærens, sed quæ sunt Christi, dignitatem
" divinitus datam nec Ecclesiis, nec Ecclesiarum Sacerdoti-
" bus abrogabat ". Tandem, ut alios omittamus, hanc potestatem, de qua loquimur, in quodam jure, & in Canonibus reposuit Gelasius Papa in epistola 7. ad Episcopos Dardaniæ (2): " Cuncta (inquit) per mundum novit Ecclesia,
" quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes
" B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi: utpote quod de
" omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus
" liceat judicare judicio: siquidem ad illam de qualibet mun-
" di parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo
" sit appellare permissus ". Principium ergo hujusmodi tum consuetudinis, tum juris investigandum nunc aggredimur, dicimusque proxime proficisci ab illa suprema legislativa potestate, quam Summus Pontifex super universam Ecclesiam habet.

Supremum jus legislativæ potestatis, semel ac illud sit revera supremum, & non secundum nomen, necessario exigit, ut in eo genere, in quo supremum est, & nullum supra se habeat, & etiam nullum ei subjectum non sit: supremum enim dicitur, tum quia aliud admitti non debet super illud, tum quia undequaque extenditur, si eorum ratio habeatur, quæ sub eo cadere possunt. Summus autem Pontifex supremam legislativam potestatem super universam Ecclesiam

(1) Juxta edit. Ballerin. (2) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 905.

clesiam habet (1): omnia igitur, quæ sub hujusmodi legislativa potestate cadere possunt, hoc est, omnes Ecclesiasticæ leges, judicia, atque decreta, ab illius suprema legislativa potestate subtrahi neque possunt, neque debent. At vero multa sane omnino subtraherentur, semel ac a judiciis, vel decretis ab alia quavis Ecclesiastica potestate editis, nullus appellandi locus ad Sedem Apostolicam reliquus foret: hæc enim judicia, aut decreta, quamvis lata ab Ecclesiasticis illi nullo modo subderentur: igitur jus appellationum ad Sedem Apostolicam ab ejus suprema legislativa potestate proxime proficiscitur.

§. II. Jus appellationum ad Sedem Apostolicam ob ejus supremam legislativam potestatem ex ipso jure naturæ perspectum est.

Appellatio res est, quæ ex principiis legis naturæ derivatur, atque cum ipsa appellatione necessario conjungitur, ut ille, ad cujus judicium provocamus, sua supra alterum, a quo provocatur, quoad eam judicii rationem, de qua agitur, auctoritate valeat (2): semel ac ergo Apostolica Sedes supremam legislativam potestatem habeat, atque hac de causa qui judicia Ecclesiastica ferre possunt, illi subjecta esse debeant (3), inde consequitur, ut de jure appellationum ad Sedem Apostolicam ob ejus supremam legislativam potestatem ex ipso jure naturæ perspectum sit.

§. III. Ipsa ratio supremæ legislativæ potestatis facit, ut ad Apostolicam Sedem appellari possit, etiam omisso ordine judicum inferiorum.

Ipsa natura appellationum non exigit, ut ab uno judice provocetur ad alterum, qui proxime sequitur secundum ordinem auctoritatis, deinde ad alios juxta eumdem ordinem, quousque ad supremum judicem perveniatur (4); sed cum ipsa appellatione necessario conjungitur, ut ille, ad cujus judicium provocamus, sua supra alterum, a quo provocatur, quoad illam judicii rationem, de qua agitur, auctoritate

ritate

(1) Lib. 19. cap. 3. (2) Hujus lib. cap. 1. §. 2. & seq.
(3) Præced. §. (4) Hujus lib. cap. 1. §. 7.

ritate valeat (1): igitur semel ac de suprema auctoritate agatur, quæ in hoc, vel illo ordine judiciorum dari potest, ad eam appellandi locus semper esse debet, etiam omisso ordine judicum inferiorum: ipsa ergo ratio supremæ legislativæ potestatis facit, ut ad Apostolicam Sedem appellari possit, etiam omisso ordine judicum inferiorum.

Id autem confirmatum habemus quotidiana experientia, qua novimus, in civili quoque regimine supremo Principi offerri libellos, omissis inferioribus judicibus, contra sententiam latam ab aliquo judice iisdem adhuc inferiorem, ac supremum Principem quod decretum definitumque fuit, rescindere.

§. IV. Jus appellationum ad Apostolicam Sedem in Primatum auctoritatis, & jurisdictionis ultimo refunditur, atque ab illo, uti a suo primo principio proficiscitur, ex eo quod a suprema legislativa potestate ipsum proxime derivetur.

Suprema legislativa potestas, quam Summus Pontifex super universam Ecclesiam obtinet, a Primatu auctoritatis, & jurisdictionis, quem super eamdem Ecclesiam ipse habet, omnino proficiscitur (2): ad supremam autem legislativam potestatem proxime consequitur hoc jus appellationum, de quo nunc agimus (3): jus igitur appellationum ad Sedem Apostolicam in Primatum auctoritatis, & jurisdictionis ultimo refunditur, atque ab illo, uti a sui primo principio proficiscitur, ex eo quod a suprema legislativa potestate ipsum proxime derivetur. Hinc S. Leo jura Primatus ab Hilario violari conquestus fuit epist. 12. cap. 2. (4), dum ille appellationi Celidonii sese opponere videretur: & Valentinianus epist. 55. (5) ad Theodosium inter jura Primatus retulit *generalem potestatem de fide*, & *Sacerdotibus* (id est Episcopis) *judicare*. Leonis ergo doctrinæ, sanctitati, atque auctoritati nimis illiberaliter Quesnellus detrahit, dum affirmare audet Differ. 5. Apo-

(1) Cit. loco §. 3. (2) Lib. 19. cap. 3. §. 1. & seqq. (3) Hujus cap. §. 1. & seq. (4) Juxta edit. Ballerin. (5) Juxta eamdem editionem.

Apologetica par.3. cap.3. illum in præjudicata opinione fuisse, ex eo quod putaverit, *auctoritati*, *& splendori sedis suæ* deberi, ut appellationes ad eam deferrentur, ac propterea *novum jugum* Gallicanis Ecclesiis, & Sacerdotibus illarum parasse, *quod nec illi*, *nec eorum Patres portare potuerunt*.

§. V. Jus appellationum ad Sedem Apostolicam etiam ab illius perfecte monarchico regimine proxime dimanat.

Ratio regiminis perfecte Monarchici in eo posita est, ut unus præsit omnibus, sive simul, sive singulatim acceptis, ita ut nulla sit societas, sive hominum cœtus, nullusque item homo singularis, quavis tandem dignitate præfulgeat, qui illi non subjiciatur. Unus tantum super omnes in regimine perfecte Monarchico sua præfulgere non solum dignitate, sed etiam auctoritate, atque potestate debet (1). Ex hac vero ratione regiminis jus appellationum ad supremum imperans proxime consequi, nemo non videre debet. Nam in appellatione qui est alicujus, aut etiam quorumdam ad id simul unitorum judicio damnatus ad superius tribunal provocat, suasque in eo rationes contra sententiam semel acceptam experitur. Hoc autem superius tribunal si penes eum non sit, qui omnino præest tum illis, contra quos sententia lata fuit; tum aliis, qui munus judicis obierunt, penes nullum alium esse poterit. Quum igitur in regimine perfecte Monarchico unus præsit omnibus sive simul unitis, sive singulatim acceptis; hoc in regimine jus appellationum ad supremum imperans necessario admittatur oportet. At Ecclesiæ regimen perfecte monarchicum est (2): ergo in regimine ejus jus appellationum ad supremum imperans admittatur oportet: jus itaque appellationum ad Sedem Apostolicam etiam ab illius monarchico regimine proxime dimanat.

§. VI. Quia Ecclesiæ regimen est perfecte Monarchicum ad ejus Supremum imperans appellandi locus semper esse debet, habita ratione judiciorum, atque etiam pœnarum, quæ in ipsis judiciis infliguntur.

Publi-

(1) Vide quæ lib.20. cap.3. hac de re disseruimus. (2) Cit. lib. cap.4.

Publica jurisdictio ad publica judicia requiritur, quemadmodum nemini compertum non est. Semel ac autem in regimine perfecte Monarchico publica aliqua jurisdictio admittatur, non subjecta auctoritati, & potestati illius, qui ipsum Monarchicum regimen tenet, actum sane est de ratione ipsius Monarchici regiminis, quia tunc una tantum non esset suprema potestas (1). Hæc vero jurisdictio in Ecclesiæ regimine, quod perfecte Monarchicum est (2), admittitur, dum a judiciis latis ab Ecclesiasticis potestatibus Suprema inferioribus ad ipsam Supremam nullus appellandi locus relinquitur. Tunc enim hujusmodi inferiores potestates in suis judiciis, quæ sine publica jurisdictione exerceri non possunt, Supremæ potestati nullo modo subjacerent. Si igitur ad ipsam rationem judiciorum attendatur, Monarchicum Ecclesiæ regimen exigit, ut ad ejus Supremum imperans semper sit appellandi locus.

Idem dicendum est, si pœnarum, quæ in judiciis infliguntur, ratio habeatur. Nam in alios publicam pœnam decernere, ejus tantum est, qui publica jurisdictione in republica potitur. Hæc autem publica jurisdictio in regimine perfecte monarchico, & una, & suprema omnium non esset, quemadmodum necessario requiritur, si admittatur alia publica jurisdictio, quæ independenter ab illa publicas pœnas in peccantes decernere possit. Quum ergo Ecclesiæ regimen perfecte Monarchicum sit (3); dicendum sane est, ad ejus Supremum imperans appellandi locum semper esse debere, si ad ipsam rationem pœnarum attendatur.

§. VII. Ipsa ratio regiminis perfecte Monarchici facit, ut ad Apostolicam Sedem appellari possit, etiam omisso ordine judiciorum inferiorum.

Ipsa natura appellationum non exigit (4), ut ab uno judice provocetur ad alterum, qui proxime sequitur secundum ordinem auctoritatis, deinde ad alios juxta eumdem ordinem, quousque ad Supremum judicem perveniatur: aliun-

(1) Lib. 19. cap. 3. §. 1. & seqq. (2) Cit. lib. cap. 4. (3) Citatis in locis. (4) Hujus lib. cap. 1. §. 7.

aliunde vero si de regimine perfecte Monarchico agatur, judicio supremi imperantis non minus subjectum est, quod ab inferioribus judicibus, quam quod a superioribus decernitur; immo ipsi quoque judices tum inferiores, tum superiores illi æque subduntur (1). Quum ergo Ecclesiæ regimen sit perfecte Monarchicum (2), ipsa ratio regiminis illius facit, ut ad Apostolicam Sedem appellari possit, etiam omisso ordine judiciorum inferiorum.

§. VIII. Jus appellationum ad Sedem Apostolicam in Primatum auctoritatis, & jurisdictionis ultimo refunditur, atque ab illo, uti a suo primo principio proficiscitur, ex eo quod ab ipsa ratione Monarchici regiminis illud proxime derivetur.

Regimen Ecclesiæ perfecte Monarchicum ad ipsum Primatum auctoritatis, & jurisdictionis consequitur, atque cum eo certo quodam nexu conjungitur (3): ab hoc autem Ecclesiæ regimine perfecte Monarchico jus appellationum ad Sedem Apostolicam proxime consequitur (4): jus igitur appellationum ad Sedem Apostolicam in Primatum auctoritatis, & jurisdictionis ultimo refunditur, atque ab illo, uti a sui primo principio proficiscitur, ex eo quod ab ipso Ecclesiæ regimine perfecte Monarchico proxime derivetur.

§. IX. Etiam Primatus auctoritatis, & jurisdictionis super universam Ecclesiam in se spectati habita ratione, constat de jure appellationum ad Apostolicam Sedem.

Primatus auctoritatis, & jurisdictionis, ex eo quod non nomine tenus, sed re ipsa talis sit, atque super universam Ecclesiam extendatur, ea omnia in se complecti debet, in quibus potestas, & jurisdictio Ecclesiastica exercetur. Id enim si non habeatur, non erit sane verus Primatus auctoritatis, & jurisdictionis, qui totam Ecclesiam in sui regimine contineat. At vero in judiciis, quæ hac, vel illa de re a sacris Præsulibus fiunt, potestas, & jurisdictio Ecclesiastica exercetur: ratio igitur Primatus auctoritatis, & jurisdictio-

(1) Lib. 19. cap. 3. §. 1. & seqq. (2) Cit. lib. cap. 4. (3) Lib. 20. cap. 4. (4) Hujus cap. §. 5. & seq.

nis, qui super universam Ecclesiam extenditur, ex sui natura exigit, ut illa sibi subjecta sint, ejusque supremæ auctoritati subdantur. Hæc autem subjectio omnino tolleretur, habita ratione judiciorum, quæ a sacris Præsulibus de hac, vel illa re fierent, si ab iis ad sententiam ejus appellari non posset, qui Primatum auctoritatis, & jurisdictionis super universam Ecclesiam habet. Quum igitur Summus Pontifex ille sit, qui Primatum auctoritatis, & jurisdictionis super universam Ecclesiam habet (1), inde sane consequitur, ut Primatus auctoritatis, & jurisdictionis super universam Ecclesiam etiam in se spectati habita ratione, constet de jure appellationum ad Sedem Apostolicam.

§. X. Ab ipsa ratione Primatus auctoritatis, & jurisdictionis super universam Ecclesiam proficiscitur jus appellationum ad Sedem Apostolicam, etiam quando agitur de rebus ad disciplinam spectantibus.

Ecclesiæ Præsules, auctoritate, quam habent, procul dubio utuntur, etiam dum illa constituunt, quæ ad disciplinam spectant: si ergo Primatus auctoritatis, & jurisdictionis, qui ad universam Ecclesiam extenditur, ut sit revera talis, & non secundum nomen, necessario requirit, ut sub se ea omnia complectatur, in quibus potestas, & jurisdictio Ecclesiastica exercetur, inde sane consequitur, jus appellationum ad Sedem Apostolicam de rebus quoque ad disciplinam spectantibus proficisci ab ipsa ratione Primatus auctoritatis, & jurisdictionis super universam Ecclesiam. " Siquidem Romanus Pontifex (inquit Natalis ab Alexandro in *Hist. Ecclesiast.* sec.4. Differt.28. qu. unica proposit.3.) vi Primatus, quem agnoverunt, & venerati sunt, non minus tutor est, & vindex, & exequutor Canonum per universam Ecclesiam, quam judex controversiarum fidei: nec minus est Ecclesiasticæ promotor, & judex disciplinæ, quam assertor, & conservator fidei, Unde non solum in causis fidei, verum etiam in causis disciplinæ consuluere semper Sedem Apostolicam totius orbis Christiani Episcopi, & relationes ad eam miserunt ". §. XI. Jus

(1) Lib.18. cap.1., & lib.19. cap.2.

§. XI. Jus appellationum ad Apoſtolicam Sedem ſuum primum fundamentum in jure Divino habet, ac propterea illud eſſe quamdam *transfuſionem* ejus poteſtatis, quæ competebat Imperatoribus, non ſine evidentiſſima falſitate dici poteſt.

Petrus de Marca lib.7. *De Concord. Sacerd., & Imper.* cap.3. num.6. non illud tantum tuetur, Sardicenſi Concilio *deberi primam originem juris Summi Pontificis quoad judicia canonica*, quod quidem jus ab ipſo reponi non in *appellatione*; ſed in quadam *reviſione* eum confutando jam animadvertimus (1); ſed illud quoque contendit (2), hanc poteſtatem concedendi reviſionem illorum quoque judiciorum, quæ in Synodis Provincialibus lata fuiſſent, quamdam *transfuſionem* eſſe juris illius, quod in hanc rem habebant Imperatores, illudque Pontifices aſſequutos fuiſſe non ſine detrimento Imperatoriæ auctoritatis.

Verum ſicuti in aliis doctrinæ capitibus, ita in hoc quoque ille fallitur, atque ex ipſo facto conſtat de errore ejus. Nam ex iis Eccleſiaſticis legibus, in quibus de appellationibus ad Sedem Apoſtolicam agitur, novimus hujuſmodi jus deductum fuiſſe a propria poteſtate Romani Pontificis, quam ipſe per ſe antea obtineret, illudque etiam compertum habemus, Imperatores hoc de jure ſibi ablato cum Sardicenſibus Patribus nunquam fuiſſe conqueſtos. His accedit, longe ante tempora Concilii Sardicenſis, & etiam antequam Conſtantinus Chriſtianæ religioni nomen daret, ad Sedem Apoſtolicam appellatum fuiſſe (3). Si ergo hoc jus appellationum ad Sedem Apoſtolicam a jure Imperatorum vel derivatum, vel ſubtractum haberemus, dicendum ſane foret, illud profectum fuiſſe ab ea auctoritate, quam Imperatores ethnici ſuper Eccleſiam habebant. Deinde Summi Pontifices dum de hoc jure appellationum ad Sedem Apoſtolicam loquuti fuere, illud vel in conſuetudine, vel in alio jure repoſitum eſſe affirmarunt (4). At neque in alio jure,

Aaa 2 neque

(1) Hujus lib. cap.3. §.5. (2) Eodem cap. nu.1. (3) Vide quæ diſſeruimus hujus lib. cap.2. §.1. & ſeqq. (4) Vide hujus cap. §.1.

neque in consuetudine reponere potuissent, si ab Imperatoribus subtractum in eos transfusum esset. Postremo in jus Divinum eam consuetudinem, atque illud jus, de quo Summi Pontifices loquuti fuerunt, dum de appellationibus ad Sedem Apostolicam ageretur, referri oportere, jam confecimus (1).

§. XII. Jus appellationum ad Sedem Apostolicam non pendere ex jure Primatus, non solum non evincitur ex iis locis, quæ Febronius pro se in medium adducit, sed etiam ex iisdem omnino constat, hoc alterum jus ab illo priori derivari.

De statu Ecclesiæ cap.5. §.6. Concilii Lugdunensis habiti anno 567. auctoritatem primo loco nobis opponit, in quo ita sancitum legitur: " Ut si quid inter Episcopos ejusdem „ Provinciæ contentionis emerserit, Metropolitani sui, & „ comprovincialium Episcoporum judicio sint contenti: quod „ si diversæ Provinciæ fuerint, conveniant Metropolitani „ duo, atque communi fratrum studio res judicetur ". Ita Patres in 2. Canone (2); quo etiam pœnam in eos statuerunt, qui *se ab hac conditione quacumque calliditate subtraherent*. At vero anne fortasse Patres Lugdunenses hoc decreto omnem potestatem appellandi ad Sedem Apostolicam sublatam voluerunt? Id si voluissent, auctoritas illorum hac in re nihili fieri deberet, quum præscribendi jura Summi Pontificis nullam auctoritatem haberent. Non voluerunt tamen, quemadmodum ex facto ipso novimus. Nam hoc in Concilio, quemadmodum Gregorius Turonensis tradit lib.5. *Hist.* cap.21. Salonius, & Sagittarius Episcopi dignitate Episcopali ob plurima sua flagitia privati fuerunt. Verum isti, uti habet Gregorius, „ Accedentes coram Papa Joanne, exponunt se, nullius rationis existentibus causis, dimotos. Ille vero epistolas ad „ Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui jubet. „ Quod Rex sine mora, castigatis illis verbis multis, implevit ". Hanc autem Synodum, teste S. Gregorio, Rex Guntramnus cogi præcepit, ut in ea de Salonio, atque Sagittario judicium fieret. Semel ac ergo in ea ad Apostolicam Sedem appel-

(1) Præced. §. (2) Tom.3. Concil. edit. Harduini colum.353.

appellandi locus sublatus fuisset, pati ipse non debuisset, ut Salonius, & Sagittarius ad eam appellarent, multoque minus ferre, ut sententia illius absoluti evaderent, atque ipse uti absolutos, præcipiente Summo Pontifice, habendos juberet. Quapropter Patres Lugdunenses in 2. Canone id tantum spectasse dicendum est, ut Episcopi in iis contentionibus, quæ inter se orirentur, Metropolitanorum suorum judicio acquiescerent, atque ita inter se divisi non persisterent.

2. Febronius opponit in Capitulis, quæ Hadrianus Papa tradidit Ingilramno Mediomatricæ urbis Episcopo capitulo 12. hæc legi: " Prudentissime, justissimeque Nicæna, sive Afri„ cana decreta definierunt, quæcumque negotia in suis lo„ cis, ubi orta fuerint, finienda: maxime quia unicuique„ concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad „ Concilium suæ Provinciæ, vel etiam universale provocare ". Hæc sane in citato capitulo leguntur. Verum cap.3., antequam statuatur, quæ ratio in judiciis, singularum Provinciarum habito respectu, servari debeat, ita statutum legitur (1): „ Salvo Romanæ Ecclesiæ in omnibus Primatu, manifestum „ est, quod illa, quæ sunt per unamquamque provinciam, „ ipsius provinciæ Synodus dispenset, sicut in Nicæno con„ stat decretum esse Concilio ". Cap.20. " Nam si ipse (Epi„ scopus) Metropolitanum, aut judices suspectos habuerit, „ aut infestos senserit, apud Primatem Diœceseos, aut apud „ Romanæ Sedis Pontificem judicetur ". Cap.23. " Placuit, „ si Episcopus accusatus appellaverit Romanum Pontificem, „ id statuendum, quod ipse censuerit ". Cap. 28. " Quod „ si adversus ejusdem provinciæ Metropolitanum Episcopus, „ vel Clericus habuerit querelam, petat Primatem Diœce„ seos, ut apud ipsum judicetur, aut apud Sedem Apostoli„ cam ". Tandem cap. 42. " Ut Provincialis Synodus „ retractetur per vicarios Romani Pontificis, si ipse decreve„ rit. " Anne ista pro Febronio faciunt? Anne ipso capitulo 9. explicatum non habemus, quo sensu 12. capitulum accipi debeat?

3. Ex

(1) Tom.3. Concil. edit. Harduini colum.1065.

3. Ex Concilio Francofordiensi hunc Canonem in medium adducit: " Statutum est a Domno Rege, & Sancta Sy„ nodo, ut Episcopi justitias faciant in suis parochiis. Si „ non obedierit aliqua persona Episcopo suo de Abbatibus, „ Presbyteris, Subdiaconibus, Monachis, & ceteris Cleri„ cis, vel etiam aliis in ejus parochia, veniant ad Metro„ politanum suum, & ille dijudicet causam cum suffraganeis „ suis. Comites quoque nostri veniant ad judicium Episco„ porum. Et si aliquid est, quod Episcopus Metropolitanus „ non possit corrigere, vel pacificare; tunc tandem veniant „ accusatores cum accusato cum litteris Metropolitani, ut „ sciamus veritatem rei ". Ut cetera nunc omittamus, de quibus nunc differendum non est a nobis, sistamusque tantum in iis, de quibus nunc contra Febronium disputamus, dicimus, ex citato Canone Concilii Francofordiensis nihil minus colligi posse, quam quod Febronius vellet. Quid? anne cum jure appellationum repugnat, ut a judicio Episcoporum appellatio fiat ad Metropolitanum? Hoc vero est, quod in isto Canone decernitur. Nihil igitur in eo occurrit, quod opponatur juri appellationum ad Sedem Apostolicam. Verum enim vero hujusmodi jus uti res certa præsupponitur in Canone 8. ejusdem Concilii, in quo ita definitum legimus (1): " De altercatione Viennensis Episcopi & Elifanti „ Arelatensis Episcopi lectæ sunt epistolæ B. Gregorii, Zosi„ mi, Leonis, & Symmachi, quæ definierunt, eo quod „ Viennensis Ecclesia quatuor suffraganeas habere sedes de„ beret, quibus illa quinta præemineret; & Arelatensis Ec„ clesia novem suffraganeas habere deberet, quibus ipsa „ præemineret. De Tarentasia vero, & Ebreduno, sive „ Aquis, legatio facta est ad Sedem Apostolicam, & quid„ quid per Pontificem Romanæ Ecclesiæ definitum fuerit, „ hoc teneatur ". Verum Febronius hunc Canonem fortasse non animadvertit.

4. Nititur Febronius auctoritate Hincmari Archiepiscopi Remensis, qui ad Nicolaum I. ita scribit apud Flodoardum *Hist.*

(1) Tom. 4. Concil. edit. Harduini colum. 905.

Hist. Ecclesiæ Remensis lib.3. cap.13. " Absit a nobis, ut privi-
„ legium primæ, & summæ Sedis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
„ Pontificis pro sic parvo pendamus, ut controversias, & jur-
„ gia tam superioris, quam etiam inferioris ordinis, quæ
„ Nicæni, & ceteri sacrorum Conciliorum Canones, & In-
„ nocentii, atque aliorum Sanctæ Romanæ Sedis Pontificum
„ decreta, in Synodis Provincialibus a Metropolitanis præ-
„ cipiunt terminari, ad vestram summam auctoritatem fati-
„ gandam ducamus ". Post hæc vero omnia valde profecto efficacia ad probandum, quod sibi proposuerat, ita Febronius pronuntiat: " Hæc sufficiunt, & perpetuo suffecissent
„ ad excludendas appellationes Romanas, nisi Isidorianis de-
„ cretis tanta Ecclesiæ, & Traditionis monumenta obscurata,
„ & quodammodo convulsa fuissent ". Verum jus appellationum non pendere ab Isidorianis decretis satis est ostensum a nobis (1): quæ ipse Febronius superius in medium adduxit, nullo modo pugnare contra jus appellationum ad Sedem Apostolicam, jam demonstravimus. Nunc pauca de Hincmaro Archiepiscopo Remensi. Hic ergo apud Flodoardum in eo ipso loco, quem Febronius citat, proxime post ea, quæ ille exscripsit, ista superaddit: " At si forte de Episcopis causa
„ nata fuerit, ut & certa, & expressa in sacris regulis non
„ habeamus judicia; & ob id in Provinciali, vel in Com-
„ provinciali nequeat examine definiri, ad Divinum Ora-
„ culum, id est, Apostolicam Sedem, nobis inde est recur-
„ rendum. Si etiam de majoribus causis a Provinciali Episco-
„ po ad electorum judicium non fuerit provocatum, & in
„ aliqua causa idem Episcopus fuerit judicatus, id est, a gra-
„ du suo in Comprovinciali Synodo dejectus; & putat se bo-
„ nam causam habere, & appellaverit, qui dejectus est, &
„ confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & voluerit se
„ audiri: si justum putaverit, ut renovetur examen, scri-
„ bendum est ab his, qui causam examinarunt post judicium
„ Episcopale, eidem Summo Pontifici, & ad illius disposi-
„ tionem secundum septimum Sardicensis Concilii capitulum
reno-

(1) Hujus lib. cap.2. & seqq.

„ renovabitur examen ... Is enim eſt (Pontifex,) qui ſecun-
„ dum Ezechielem Prophetam moratur in gazophylacio,
„ quod reſpicit viam meridianam, & excubat in cuſtodiis
„ templi. Et nos Metropolitani ad comparationem illius ſu-
„ mus, qui in miniſterio altaris; quod eſt ante faciem tem-
„ pli, in quo carnes incenduntur, ſervimus, & controver-
„ ſias carnalium in Synodis Provincialibus laborantes dirimi-
„ mus, & de majoribus, ac majorum cauſis ad examen ſum-
„ mæ Sedis Pontificis poſt judicium referre curamus". Anne iſta cum ſententia Febronii aliquo modo conciliari poſſunt? anne eam omnino non deſtruunt? Jus ergo appellationum ad Sedem Apoſtolicam non pendere ex jure Primatus non ſolum non evincitur ex iis locis, quæ Febronius pro ſe in medium adducit, ſed etiam ex iiſdem conſtat, hoc alterum jus ab illo priori derivari.

§. XIII. Quamvis jus appellationenum ad Sedem Apoſtolicam Divinum ſit, non repugnat, ut illud, mandante Apoſtolica Sede, per alios exerceatur.

Inter jura diſtinguatur oportet: nonnullorum exercitium aliis committi non poteſt, quorumdam vero poteſt: illa non in exteriori ſolummodo exercitio verſantur, ſicuti iſta, ſed ſuum intrinſecum habent in ipſa dignitate perſonæ fundamentum, cum ea neceſſario connexum. Hujus profecto conditionis non eſt jus appellationum, quum uſus illius in exteriori tantum actione conſiſtat, ac propterea etiam aliis communicari poteſt: igitur quamvis jus appellationum ad Sedem Apoſtolicam Divinum ſit, non repugnat, ut illud mandante Apoſtolica Sede, per alios exerceatur.

§. XIV. Expedit aliquando ut hoc jure, licet Divino, Sedes Apoſtolica non utatur.

S. Bernardum ſequuti ita putamus, illiuſque auctoritate explicamus, quando id non expediat. Hæc enim ille habet lib. 3. *De Conſiderat. ad Eugenium* cap. 2. num. 10. " Et ſi
„ hinc mea quæratur, vel potius curetur ſententia, dico, ap-
„ pellationes ut non contemnendas, ſic nec uſurpandas omni-
„ no..... Fateor grande, & generale mundo bonum eſſe ap-
„ pella-

„ pellationes : idque tam necessarium , quam solem ipsum „ mortalibus. Revera quidem sol justitiæ est, prodens, ac re„ darguens opera tenebrarum. Prorsus fovendæ, & manu te„ nendæ sunt: sed quas extorsit necessitas, non calliditas ad„ invenit. Usurpatoriæ sunt hujusmodi omnes, non subve„ nientes in necessitate, sed opitulantes iniquitati. Quidni „ veniant in contemptum? Quanti ut talibus quoque defer„ rent, etiam de proprio cessere jure, ne longo, & casso „ itinere fatigarentur? Plures tamen sua amittere non feren„ tes, appellationes minus opportunas, & celsa nomina im„ portunius contempserunt". Si ergo conditionis hominum ratio habeatur, ob quam videmus, nonnullos eo quoque abuti, quod salubriter institutum est, dubitari non potest, quin aliquando sit maxime expediens, ut Sedes Apostolica judicio aliorum aliquas causas finiri patiatur, de quibus ultimo decerni sua tantum sententia posset.

Febronius *De Statu Ecclesiæ &c.* cap.5.§.7. num.4. etiam hunc Bernardi locum nobis opponit : verum injuria id sane facit. Abusum namque appellationum hoc loci S. Bernardus condemnat: ceterum appellationes in se spectatas fatetur esse *grande, & generale mundo bonum, idque tam necessarium, quum solem ipsum mortalibus*. Quoniam vero, sicuti supponi potest, hunc Bernardi locum Febronius legerat, illud sane advertere contra se debuisset, S. Bernardum ejusdem cap. num. 6. hæc ad Eugenium scribere: " Appellatur de toto mundo ad te. Id „ quidem in testimonium singularis Primatus tui". Quum ergo Febronius in citato cap. §. 6. contendat, *Romano Pontifici ex natura, & jure Primatus non competere jus appellationum*; Sanctus autem Bernardus affirmet, consensione totius orbis fieri, ut in testimonium Primatus suas ad Sedem Apostolicam appellationes omnes deferant, inde consequitur, ut nullus sit magis Febronio contrarius, quam ipse Bernardus.

Ad *usurpatorias* autem appellationes S. Cyprianus epist. 55. respicit, dum ita habet: " Oportet utique eos, quibus „ præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concor„ diam cohærentem sua subdola, & fallaci temeritate collide-

„ re, sed agere illic causam suam, ubi accusatores habere;
„ & testes sui criminis possent". De Fortunato enim, & Felicissimo, aliisque nonnullis, qui se consociaverant cum illis, hac in epistola S. Cyprianus agit, quorum sane crimina nimis manifesta erant, & evidenti judicio jam convicta.

CAPUT VII.

DE EO FUNDAMENTO, QUOD APPELLATIONES AD SEDEM APOSTOLICAM HABENT IN JURE CIVILI PRIORUM SECULORUM.

§. I. Constat de jure appellationum ad Apostolicam Sedem ex Rescripto Gratiani.

Anno Christi 378., lata imperiali lege (1), Gratianus constituit, " Quod si vel Metropolitani Episcopi, vel cujus-
„ cumque Sacerdotis iniquitas est suspecta, aut gratia; ad
„ Romanum Episcopum, aut Concilium quindecim Episcopo-
„ rum finitimorum accersitum liceat provocare". Illud quoque idem Gratianus antea edixerat, quod " Si in longinquio-
„ ribus partibus (ab urbe Roma) alicujus ferocitas talis
„ emerserit, omnis ejus causæ cognitio ad Metropolitæ in
„ eadem provincia deducatur examen, vel si ipse Metropoli-
„ tanus est, Romam necessario, vel ad eos, quos Romanus
„ Eiscopus judices dederit, sine dilatione contendat". In his autem Gratianus duo statuit: 1. ut quis appellare possit ad Sedem Apostolicam a judicio Metropolitæ, vel cujuscumque Episcopi, quando iniquitas illorum, aut gratia suspecta est: 2. ut causæ Metropolitanorum vel deferantur ad Apostolicam Sedem, vel judicio illorum discutiantur, quos Romanus Episcopus determinaverit. Ex utroque autem eo de jure, de quo nunc contendimus, omnibus constare debere arbitramur.

§. II. Anno 445. Valentinianus III. sua Constitutione jus appellationum ad Sedem Apostolicam amplissime confirmavit.

Occasione sententiæ illius, quam S. Leo in Hilarium Arelatensem tulerat, Valentinianus Constitutionem edidit, quam

(1) Apud Coustantium in *Collect. epist. Rom. Pont.* epist. 8. Damasi, seu Rescriptum Gratiani.

quam simul cum epistola Leonis data ad Episcopos provinciæ Viennensis ad Patricium Magistrum utriusque militiæ misit. In ea ergò multa habet, quæ confirmant jus illud, de quo nunc agimus. Hæc itaque Valentinianus primo præmittit (1): „ Quum igitur Sedis Apostolicæ Primatum S. Petri meritum, „ qui princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas „ civitatis, sacræ etiam Synodi firmavit auctoritas, ne quid „ præter auctoritatem Sedis istius inlicitum præsumptio at„ tentare nitatur". Commemorat deinde, quæ Hilarius usus ea potestate, qua non potiebatur, in Ecclesia turbaverat, postea vero de sententia in ipsum lata ita habet: "His talibus „ & contra imperii majestatem, & contra reverentiam Apo„ stolicæ Sedis admissis, per ordinem religiosi viri urbis Papæ „ cognitione discussis, certa in eum de his, quæ male ordi„ naverat, lata sententia est. Erat quidem ipsa sententia per „ Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim „ tanti Pontificis auctoritati in Ecclesiis non liceret? Sed no„ stram quoque præceptionem hæc ratio probavit, ne ulte„ rius nec Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari sola „ mansueti Præsulis permittit humanitas, nec cuiquam alte„ ri Ecclesiasticis rebus arma miscere, aut præceptis Romani „ Antistitis liceat obviare ..... Nec hoc solum, quod est ma„ ximi criminis, submovemus; verum ne levis saltem inter „ Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis di„ sciplina videatur; hac perenni sanctione censemus, ne „ quid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum „ contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis „ Papæ urbis æternæ auctoritate tentare. Sed hoc illis, omni„ busque pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Aposto„ licæ Sedis auctoritas: ita ut quisquis Episcoporum ad judi„ cium Romani Antistitis evocatus venire neglexerit, per „ moderatorem ejusdem provinciæ adesse cogatur". Nihil sane luculentius hisce omnibus desiderari potest ad confirmationem juris illius, de quo nunc certamus.

(1) Vide epist. 11., seu Constitutionem Valentiniani III. in editione Ballerin. Oper. S. Leonis.

Neque est, cur Petrus de Marca *De Concord. Sacerdotii, & Imperii* lib. 7. cap. 19. num. 3. Valentiani III. Constitutionem nobis opponat, qua ita ab eo statutum fuisse legitur: „ Diversos vero Episcopos nefarium Pelagiani, & Cælestiani „ dogmatis errorem sequentes per Patroclum sacrosanctæ le- „ gis Antistitem præcipimus conveniri". Hæc ille haberi dicit in Theodosiano codice lege 47. *De Episcopis, & Clericis*, quemadmodum in duabus diversis editionibus Operum illius animadverti. Verum ea in lege nihil tale habetur, in alia tamen lege ejusdem codicis sub eodem titulo id haberi non nego. Verum etsi habeatur, quidnam tandem ex eo colligi potest contra jus appellationum ad Sedem Apostolicam? An fortasse huic juri repugnat, ut Episcopi, qui de fide recte non sentiunt, a suo Metropolitano in judicium vocentur? Patroclus enim jus Metropoliticum in provincia Viennensi receperat, quamvis illiud postea ab eo sublatum fuerit (1). Quod ergo Petrus de Marca vellet, ex lege Valentiniani nullo modo colligi potest.

§. III. Ob legem Justiniani Imperatoris juri appellationum ad Sedem Apostolicam nullo modo derogatur.

Febronius *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. 5. §. 6. *Novellam* 123. cap. 22. nobis opponit (id ante ipsum etiam Petrus de Marca (2) fecerat) ait enim, " Quod Imperator omnes judi- „ ciorum Ecclesiasticorum instantias, scilicet Episcopi cum „ sua Synodo, Metropolitani, & congregati cum eo Provin- „ cialis Concilii, demum Patriarchæ, seu Primatis recenset, „ & de hoc in fine addit: *nulla parte ejus sententiæ contradicere* „ *valente*". Verum enim vero ut nunc non dicamus, Justinianum nimis, quam par est, & præter id, quod illi conveniebat, suam curam in res Ecclesiasticas extendisse, nimiamque scientiam affectasse in rebus Theologicis, tum Febronio Petri de Marca auctoritatem, quæ sane ei displicere non poterit, tum ipsi Petro de Marca primo opponimus; qua sane efficitur, non obesse juri appellationum, si quid a Justiniano eidem

(1) Vide epist. 10. S. Leonis cap. 4. juxta edit. Ballerin.
(2) Cit. lib. cap. 19. num. 4.

eidem contrarium constitutum haberetur. Hæc ergo Petrus de Marca habet lib. 2. *De Concord. Sacerd., & Imper.* cap. 11. num. 6.: " Quæri solet de legibus, quæ de causis Ecclesiasti-
" cis latæ canonibus adversantur, quem locum obtinere de-
" beant. In eam rem extat Valentiniani III., & Marciani
" Constitutio edita anno CDLIV., a qua discedere non licet:
" *Omnes sane pragmaticas sanctiones, quæ contra canones Ecclesia-*
" *sticos, interventu gratiæ, & ambitionis elicitæ robore suo, &*
" *firmitate vacuatas cessare præcipimus*. Hoc suum propositum
" Marcianus per suos judices Synodo Chalcedonensi expres-
" serat, quæ solitis acclamationibus justam sententiam exce-
" pit, & in eas voces erupit, quæ in Acti. IV. Concilii Chal-
" cedonensis continetur, ut nullæ pragmaticæ leges adversus
" canones vim habeant, quemadmodum uberius dixi supe-
" riori cap. 8. " Tum in isto capite, tum in illo hoc quidem dixit; verum se ipsum sibi opponit, dum auctoritate civilis legis contra id pugnat, quod est etiam jure canonico constitutum.

At vero ea in lege Justinianum nihil constituisse, quod adversaretur juri appellationum ad Apostolicam Sedem, facile ostendi potest. Nam Justinianus in suo *Edicto fidei* (1) qua ratione Nicæni, etiam Concilii Sardicensis auctoritatem commendat. Eodem Justiniano vivente, atque vidente, Pontifex Agapethus Constantinopoli degens, ut cum illo causam Theodati Regis Gothorum ageret, quum comperiisset post Epiphanii Patriarchæ obitum, Anthimum, agente Theodora, addicta Eutychianis, quorum princeps erat idem Anthimus, ex Trapezuntino Episcopatu ad Constantinopolitanum translatum fuisse, Sacerdotio eum, & Christiana communione privavit, ejusque in loco Mennam reposuit, atque consecravit, quamvis Principes ab Agapetho peterent, ut Anthimum in suam communionem reciperet: " Petentibus Principibus, (inquit
" Liberatus in suo *Breviario* cap. 21.) ut Anthimum Papa in
" salutatione, & communione susciperet, ille fieri, inquit,
" posse, si se libello probaret orthodoxum, & ad Cathedram
" suam reverteretur. Impossibile esse ajebat, translatitium
" ho-

(1) Tom. 6. Concil. edit. Venet. colum. 394.

„ hominem in sua sede permanere. Augusta autem clam
„ promittente munera multa, & rursus Papæ minas intentan-
„ te, in hoc Papa perstitit, ne ejus audiret petitionem.
„ Anthimus vero videns se sede pulsum, pallium, quod ha-
„ buit, Imperatoribus reddidit, & discessit, ubi eum Augu-
„ sta suo patrocinio tueretur. Tunc Papa Principis favore
„ Mennam pro eo ordinavit Antistitem, consecrans eum ma-
„ nu sua in Basilica S. Mariæ". Contra Anthimum vero supplicem libellum Agapetho dederunt Marianus Presbyter, & Primas Monachorum regiæ civitatis, ac ceteri Archimandritæ ejusdem civitatis, Archimandritæ quoque, & Monachi Hierosolymorum, nec non Episcopi orthodoxi Orientales, in quo de sententia, quam contra Anthimum jam tulerat, cùm eo collætantur, illumque simul ita exorant Orientales Episcopi (1): " Rogamus etiam, Sanctissime, finem perpe-
„ tuum imponere divinæ, ac vestræ sententiæ contra Anthi-
„ mum paternis vestris decretis convenientem, ut omne de
„ medio extinguatur scandalum a parvulis in Dominum cre-
„ dentibus, & optatam vocem audietis ab omnibus nobis".

Non multo post quam Anthimum Sacerdotio, & Christiana communione privaverat, Agapethus obiit, quum ad reditum Italiæ sese pararet. Post mortem vero illius Synodus Constantinopolitana sub Menna habita fuit, in qua constitutum habemus, ut quæ Romanus Pontifex contra Anthimum, & Acephalos decreverat, inconcussa permanerent, atque exequutioni mandarentur, sicuti ex Synodi sententia constat (2): " Quumque in his omnibus (ita Patres) ad con-
„ versionem adducere non potuerimus (Anthimum,) aper-
„ tam hanc ipsius hæresis demonstrationem accipientes, se-
„ quentesque ea, quæ a Beatissimo Papa examinata sunt,
„ conspicimus (si hoc vobis adstaret) omnino ipsum, tam-
„ quam membrum inutile, & putridum abjici de corpore
„ sanctarum Dei Ecclesiarum, & extra Episcopatum Trape-
„ zuntinum esse, & alienum ab omni sacra potestate, & di-
„ gni-

(1) Vide citatos libellos tom. 2. Conc. edit. Harduini col. 1203. & seqq. (2) Tom. 2. Conc. edit. Harduini colum. 1258.

„ gnitate, & ipsius Beatissimi Papæ sententiam a Catholica „ appellatione". Sicut autem vivente, & vidente Justiniano, Agapethus Anthimum e sede Constantinopolitana dejecit, & Catholicà communione privavit; ita etiam Synodus Constantinopolitana Agapethi decretum sub eodem Justiniano sequuta fuit; & tamen Justinianus Agapethi decreto, atque Patrum Constantinopolitanorum non solum sese non opposuit, sed illud confirmavit, sicuti in *Novella* 42. legitur. In hac autem *Novella* similia his habet Justinianus, quæ in Codice decreverat lib.1. tit.1. *De Summa Trinitate* lege 7. ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum: " Divinum „ antehac promulgavimus edictum, quod & tua novit San„ ctitas, per quod hæreticorum furores reprehendimus, ita „ ut nullo quovis omnino immutaverimus, immutemus, aut „ prætergressi simus eum, qui nunc usque, coadjuvante Deo, „ servatus est, Ecclesiasticum statum, quemadmodum & tua „ novit Sanctitas, sed in omnibus servato unitatis statu san„ ctissimarum Ecclesiarum cum ipso Sanctissimo Papa veteris „ Romæ, ad quem similia hisce perscripsimus. Nec enim „ patimur, ut quidquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum spe„ ctant statum, non etiam ad ejusdem referatur beatitudi„ nem, quum ea caput sit omium Sanctissimorum Dei Sacer„ dotum, vel eo maxime, quod quoties in his locis hæretici „ pullularunt, & sententia, & recto judicio Sedis illius ve„ nerabilis coerciti sunt".

Ex his vero omnibus unicuique perspectum esse potest, quo sensu in citata *Novella* 123. cap.22. Justinianus constituerit, ut nemo illorum, quos commemorat, sententiæ in se latæ contradicere valeat. Vetavit ergo, ne contradiceret, quatenus lato in se judicio obtemperare deberet, nullosque prætextus interponere, quibus ab ejus se observatione eximeret.



LI-

LIBER XXIII.

DE INFALLIBILITATE ROMANI PONTIFICIS.

NUnquam futurum, ut portæ inferi contra Ecclesiam prævaleant, eamque propterea cujusvis erroris permansuram semper expertem, Catholici omnes profitentur. Inde vero consequitur, ut Supremum caput illius, quod Primatum non solum ordinis, & dignitatis, sed etiam auctoritatis, ac jurisdictionis super eam habet, suprema auctoritate legislativa potitur, supremumque Monarchicum regimen obtinet, atque Ecclesiæ Præsulibus simul etiam congregatis & præest, & sua doctrina ita prælucet, ut ab eo judicia illorum suam ultimam firmitatem acquirant, in fidei judiciis infallibile esse debeat, & dum quæ fidei sunt, cœtui Fidelium credenda proponit, nullo modo errori sit obnoxium. Hæc enim duo simul consistere non possunt, hoc est, Ecclesiam in sua fide infallibilem esse, non esse autem Supremum caput illius, a quo in sua fide regitur. Quum ergo in libris superioribus ea omnia huic Supremo capiti, hoc est, Romano Pontifici, tribuenda esse ostenderimus, cum quibus infallibilitas illius in rebus fidei necessariam connexionem habet, de illa modo in hoc libro distincte agendum est a nobis. Quemadmodum autem facile possemus, quosdam Romanos Pontifices ab illis erroribus, in quos eos impegisse nonnulli contendunt, ut inde colligant, privilegium infallibilitatis etiam quoad res fidei eisdem tribui non oportere, vindicandos in hoc libro non aggredimur. Semel ac enim quænam judicia Romani Pontificis infallibilia sint, quæve cadant sub hujusmodi judiciis, distincte explicatum fuerit, nobis etiam tacentibus, evanescunt illæ omnes difficultates, quibus infallibilitatem Romani Pontificis nonnulli impetere contendunt, argumento ab iis judiciis desumpto, quæ a quibusdam Romanis Pontificibus edita fuisse legimus. Hac ergo de re in 1. hujus libri capite agemus, in 2. ostendemus, infallibilitatem in Romano

mano Pontifice a Primatu illius proficisci, in 3. de infallibilitate disputabimus, quatenus est in singulis Romanis Pontificibus, & non tantum in serie Pontificum, in 4. quatenus est in Romanis Pontificibus, & non tantum in sede eorum, in 5. de eo consensu, quem nonnulli requirunt ad infallibilitatem Romani Pontificis.

CAPUT I.

DE EA DIVERSITATE, QUÆ INTER JUDICIA ROMANORUM PONTIFICUM INTERCEDIT, DEQUE IIS JUDICIIS, QUÆ INFALLIBILITATEM HABERE TUEMUR.

§. I. Explicatur discrimen, quod inter Pontificia judicia intercedit.

Sicuti Imperatorum, Regum, & quorumvis hominum, qui aliqua potestate præditi sunt super alios, non omnia dicta, aut facta referri possunt, aut debent ad eam Præfecturam, quam habent; ita quoque etiam in Romano Pontifice id attendatur oportet. Quæ ipse dixerit, vel egerit, non usus sua suprema potestate, ad ipsum referri debent, quatenus est homo privatus: quæ autem judicia protulerit, quatenus est Pontifex, referenda sunt ad eam auctoritatem, qua præditus est.

Hæc tamen judicia non sunt omnia unius ejusdemque generis: quædam enim illorum juxta regulam 45. juris in 6. Decretalium: *inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit*, ab iisdem feruntur, ductis opinione, quam probabiliorem certioremque esse arbitrantur, magisque etiam tam locis, & temporibus, quam personis accommodatam. In censum autem hujusmodi judiciorum plura sane Summorum Pontificum decreta veniunt, quæ rem, aut personam singularem respiciunt, vel etiam circa quædam dubia de re universali illis proposita versantur, nullum tamen dogmaticæ definitionis, quæ fidem universorum attingat, argumentum præseferunt. " Respondent enim sæpe Pontifices " (inquit Melchior Canus *De Locis Theologicis* lib. 6. cap. 8. " ad 7.)

„ ad 7.) ad privatas hujus, aut illius Episcopi quæstiones;
„ suam opinionem de rebus propositis explicando, non sen-
„ tentiam ferendo, qua Fideles obligatos esse velint ad cre-
„ dendum". Ita, sicuti Petrus Ballerinius advertit *De Potest. Ecclesiast. Sum. Pont., & Concil. General.* cap. 8. num. 3. "Mul-
„ tæ sunt apud Catholicos quæstiones, quæ ad fidem referun-
„ tur, ut sunt exempl. gr. illæ, quæ ad sacramentorum for-
„ mam, materiam, aut ministrum pertinent.... In his quo-
„ ad inter Catholicos controvertuntur, & Concilia, & Pon-
„ tifices non facile dogmaticum judicium proferunt, & quo-
„ usque res plane eliquata non sit, si statuunt aliquid, quod
„ ex circumstantiis expedire videatur in bonum Ecclesiæ, id
„ non statim, nec semper dogmati, ac definitioni est accen-
„ sendum". Quamvis enim Summi Pontifices hujusmodi judiciis aliquid statuerint; nihil tamen secundum Catholicam fidem credendum decreverunt, nihilque etiam uti ab ea alienum damnarunt. Quum enim vidissent, ad fidei unitatem non referre, ut fidei dogma pronunciarent de hac, vel illa re, de qua ab ipsis quærebatur, interrogati responderunt, quod sibi moraliter certum videbatur.

Tamen hæc quoque omnia recensita judicia Romanorum Pontificum magni fieri debent, uti profecta ab eo, qui maxima auctoritate, atque potestate in Ecclesia supra omnes præcellit. Si quid igitur difficultatis in eis occurrat, explicari debet, & omnem suspicionem erroris ab illis amoveri, si quam præseferant. Ea tamen quum Summi Pontifices ediderint, suam opinionem, uti dicebamus, sequuti, & quod sibi probabilius, atque certius videbatur, non vero Ecclesiæ doctrinam se proponere in eis arbitrati fuerint; mirandum non est, si quandoque quæ a prioribus Pontificibus hac ratione decreta fuerunt, a posterioribus, novis supervenientibus rationibus, mutata novimus.

Alia vero sunt judicia Romanorum Pontificum, quæ respiciunt credenda, atque agenda, iisque Pontifices, uti suprema Ecclesiæ capita, quibus divinitus datum est, pascere totum ovile Christianum, & fidei doctrinam credendam decer-

cernunt, & contrarium errorem ita quidem proſcribunt, ut a Catholica fide, & communione ſejunctum declarent, anathemate percellant, atque uti hæreticum illum habeant, qui ſuis definitionibus aſſentiri renuerit. Hæc profecto judicia ſunt veræ, & proprie dictæ fidei definitiones. Tales ſane fuerunt antiquis temporibus definitiones Innocentii I. contra Pelagianos, Cæleſtini I. contra Neſtorium, Leonis I. contra Eutychetem, Agathonis I. contra Monothelitas, aliæque omnes ſubſequentibus temporibus, quibus variæ hæreſes a Romanis Pontificibus proſcriptæ fuerunt. Quapropter quatuor notæ conſtituendæ videntur, quibus de fidei definitionibus editis a Summis Pontificibus omnino conſtet: 1. ſi quidpiam expreſſe, & proprie a Fidelibus firmiter credendum, aut tamquam dogma Catholicæ fidei accipiendum dicatur, & contrarium ejus Evangelio, aut doctrinæ Apoſtolorum opponi affirmatur, non quidem ex opinione, ſed certo firmoque judicio: 2. Si contrarium aſſerentes pro hæreticis habeantur: 3. Si ſententia excommunicationis feratur in illos: 4. Si a Catholica communione eos excidiſſe pronuntietur. Hæc ſi in Summorum Pontificum definitionibus occurrant, dubitari non poteſt, quin illæ ad fidem pertineant.

Libere quoque, nullaque vi cogente, fidei definitiones editæ ſint oportet: ſi quæ enim verba fidei contraria ab invito extorqueantur, quamvis a culpa ille excuſari non poſſit; tamen iiſdem non exprimitur vera ſententia ejus, & fides interior. Quapropter quum Summi Pontifices in definitionibus fidei ſuam ſententiam, quam animo jam præconceptam cum tota judicii maturitate habent, omnibus Fidelibus, uti dogma fidei, tenendum proferant, atque ſimul conſtituant; id omne ab hiſce definitionibus prorſus abeſſe debet, quod aliquo modo libertatem lædere poſſet.

§. II. Si quæ Summus Pontifex judicia promit, ſunt veræ, ac proprie dictæ definitiones fidei, eum *ex Cathedra* loquutum fuiſſe, recte dici conſuevit.

Ex illis verbis *Matt.* cap. 23. v. 2. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi*, acceptum fuiſſe videtur, ut Sum-

mus Pontifex tunc *ex Cathedra* loqui diceretur, quando agens ipsam personam Summi Pontificis fidei definitiones ederet. Moyses enim fuit unicus, atque Supremus Judaici populi legislator, & e cathedra Moysis idem populus accepit ea omnia, quæ in se lex Vetus complectebatur. " Cathedra (inquit „ S. Thomas in *Matt.* 23. cap.) proprie est magistrorum, & „ ideo illi super cathedram dicuntur sedere, qui sunt successores Moysi: *Ecclesiast.* 24. 23. *Legem mandavit Moyses in* „ *praeceptis justitiarum*. Unde illi, qui Moysis legem docebant, sedebant super cathedram Moysi. Et in lege quædam continebantur ad fidem pertinentia, & quædam ad „ bonos mores. Ad fidem pertinentia erant ea, in quibus „ præfigurabatur Christus: unde ipse dicit *Joannis* 5. 46. *Si* „ *crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi*. Item continebantur præcepta moralia: *Ecclesiast.* 24. 33. *Legem manda-* „ *vit Moyses in praeceptis justitiarum* ". Quum ergo Summus Pontifex dum edit fidei definitiones, quæ sane ad totam, qua late patet, Ecclesiam extenduntur, & obligant omnes Fideles in fidei unitate simul conjunctos, eo potissimum munere, quod sibi proprium est, in fide confirmandi omnes, fungatur; ideo accepta similitudine a cathedra Moysis, cui datum erat, ut Judaicum populum informaret in iis omnibus, quæ ad veterem legem spectabant, *ex Cathedra* eum loqui, merito dici consuevit. " Quid enim in cathedra (inquit „ S. Gregorius Magnus lib. 19. *Moralium* num. 16.) nisi ma- „ gisterii auctoritas designatur "?

§. III. In quibusnam judiciis infallibilitas Summo Pontifici tribui debeat, explicatur, atque constituitur.

In judiciis, quæ sunt definitiones fidei, infallibilitas Summo Pontifici tribui debet, non item in aliis. Christus promisit, nunquam futurum, ut portæ inferi adversus Ecclesiam prævalerent. Id autem fecit, dum de confessione fidei ageretur. Quæsivit enim antea ab Apostolis (1), quem se homines esse dicerent, & auditis variis opinionibus, quæ circumferebantur, ab iisdem rursus petiit, quemnam vero ipsi eum esse

(1) *Matt.* cap. 16.

esse crederent: aliis autem tacentibus, quum respondisset Petrus: *tu es Christus filius Dei vivi*: tunc sane Christus supra Petrum, veluti supra suum fundamentum Ecclesiam ædificandam dixit, futurumque prænunciavit, ut portæ inferi adversus eam non prævalerent. Quibus verbis Christus non minus in Ecclesia, & in Petro, quam in ejus successoribus fidem nunquam defecturam promisit (1). Christus Patrem etiam rogavit (2), ne fides Petri deficeret, & hujus rei, quam petendo procul dubio consequutus fuit, habita ratione, Petro deinde præcepit, ut fratres in fide confirmaret. Ex quo sane consequitur, ut tum a Petro, tum ab ejus Successoribus fratres in fide confirmandi fuerint, quemadmodum ut in fide Petrus non deficeret, Christus Patrem rogaverat. Si ergo tum ad eam promissionem attendamus, qua Christus futurum prædixit, ut portæ inferi adversus Ecclesiam non prævalerent, postquam ipsius Ecclesiæ fundamentum supra Petrum posuit, tum ab alteram; qua Petri fidem nunquam defecturam spopondit, id sua prece a Patre assequutus, indeque Petro præcepit, ut fratres in fide confirmaret; infallibilitatem iis tantum judiciis Romanorum Pontificum adjudicandam esse consequitur, quæ sunt definitiones fidei. Et re quidem vera Christus Primatum in Ecclesia instituit ad unitatem fidei sartam tectamque servandam (3): hæc autem fidei unitas in dissidiis, atque contentionibus, quæ exoriuntur, sarcta tecta servatur, dum Summus Pontifex publico judicio edit definitionem fidei, qua quid ab omnibus credendum sit, edicit, & errores fidei contrarios condemnat. Ipsa ergo unitas fidei, ad quam servandam Primatus institutus fuit, necessario exigit, ut si de fidei definitionibus agatur, Summi Pontifices sint infallibiles; alioquin unitati fidei per Primatum recte consultum non foret.

Unde vero constat, iis judiciis Romanorum Pontificum, quæ sunt definitiones fidei, infallibilitatem tribui oportere, est etiam perspectum, aliis judiciis, quæ inter definitiones fidei recenseri non debent, hoc privilegium tribuendum non esse;

(1) Lib.19. cap.2. §.6. (2) *Luca* 22. (3) Lib.18. cap.2. §.9.

esse. Nam ad fidem, ac propterea ad ea omnia, quæ cum ipsa necessario conjunguntur, non vero ad alia, quæ cum ipsa fide tam stare, quam non stare possunt, Christus respexit, dum Ecclesiæ fundamento supra Petrum semel posito, Ecclesiam nunquam defecturam prædixit; dum pro fide Petri rogavit, illique præcepit, ut fratres confirmaret; dum Primatum ad fidei unitatem tuendam in Ecclesia instituit. Hinc vero est, ut judicia illa Summorum Pontificum, quæ sunt definitiones fidei, semel edita, nunquam mutata fuerint, quamvis si ad tempora, loca, & personas attendamus, plurimum mutationis accesserit: contra vero ob hujusmodi mutationes aliud genus judiciorum, quod inter definitiones fidei referri non potest, non solum diversa ratione dispositum, sed etiam aliquando omnino sublatum fuerit.

§. IV. Ad fidei definitionem referri debent, non solum quæ Summi Pontifices omnibus credenda, sed etiam quæ servanda definiunt, & præcipiunt, sive quæ spectant ad mores.

Iis de moribus nunc loquimur, qui ad salutem necessarii sunt. Istorum enim præcipue habita ratione, Summus Pontifex & suo Supremo magisterio utitur, & ea potestate, quam habet super omnes Fideles. Definitiones ergo circa hoc genus morum ad fidei definitiones referendas esse dicimus. Fidei enim assensum nostrum non modo iis præceptis præbere, illaque uti divinitus revelata suscipere debemus, quibus juxta Divinum verbum scriptum, aut traditum aliquid nobis credendum mandatur, quam aliis, quibus ex eodem principio quidpiam faciendum, vel omittendum constituitur, atque ita non minus hæreticus est ille, qui priori generi præceptorum assentiri obstinate repugnat, quam qui alteri pervicaciter obsistit. Hac vero de causa si quispiam mœchetur, non tamen tueatur, hujusmodi facinus ab Evangelica lege vel permitti, vel non reprobari; gravissime quidem peccat, hæreticus tamen nullo modo dici potest: si autem etiam tueatur, tam grave malum a lege Evangelica permitti, aut non reprobari; nullum dubium supererit, quin sit hæreticus. Definitiones, quæ credenda respiciunt, in eo quidem distinguuntur

guuntur ab aliis definitionibus, quæ versantur circa mores, ut illis præcipiatur, quod interius præstare, istis autem quod exterius prosequi, aut aversari debemus: verum utroque genere definitionum vel id præcipitur, quod sub ipsa fide Evangelicæ Legis continetur, vel condemnatur, aut prohibetur, quod eidem fidei opponitur. Quapropter semel ac iis definitionibus, quæ spectant ad mores, id faciendum, vel omittendum constitueretur, quod Divino verbo scripto, vel tradito contrarium esset, error in fide eodem modo committeretur, ac si quidpiam contra idem Divinum verbum fide tenendum definiretur: sicut opposita ratione non minus consentanee ad rectam fidem decernitur, dum juxta Divinum verbum credenda, quam facienda, vel non facienda definiuntur. Est igitur manifestum ad fidei definitionem referri debere, non solum quæ Summi Pontifices omnibus credenda, sed etiam servanda definiunt, & præcipiunt, sive quæ spectant ad mores.

Idem vero existimandum non est de aliis judiciis, quæ privatas personas, & facta particularia respiciunt. Sicuti enim habet S. Thomas in *IV. Sentent. Distinct.*27. qu.1. art.2. quæstiun.4. " Si quis probatur per verba de præsenti in aliquam consensisse, cogitur excommunicationis sententia, ut eam habeat in uxorem, quamvis dicat consensum mentalem defuisse; etiamsi postea cum alia contraxerit consensu mentali verbis expresso ". Dicendum enim, sicuti ipse superaddit in responsione ad 3. " Quod in tali casu Ecclesia compellit eum ad standum cum prima uxore, quia judicat secundum ea, quæ foris apparent; nec decipitur in justitia, quamvis decipiatur in facto ". Hujus autem rei veram, & idoneam rationem Innocentius III. attulit in cap. *A nobis De sententia excommunicat.* in hæc verba: " Judicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus: & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit sententia innodatus ". Quam-

Quamvis autem dum Summus Pontifex cathalogo Sanctorum aliquem adscribendum decernit, de facto singulari, singularique etiam persona agatur; tamen illorum sententia certa mihi est, qui hac in re judicium Summi Pontificis infallibile esse, & ad fidei definitionem illud revocandum arbitrantur. Nam in hoc negotio de doctrina morum, & quidem communi, agitur, quum ut eo cultu, quo Sancti coli consueverunt, quempiam prosequendum esse, omnibus Fidelibus indicetur. Semel ac autem Summus Pontifex omnibus Fidelibus legem ferret de colendo sancto, quem colere, si sanctus non esset, & cum ratione, & cum Evangelio repugnaret, in doctrina morum procul dubio erraret: quod fieri non potest. " Ne igitur tantus error in Ecclesia sit (sicuti „ inquit Melchior Canus loco supra citato) Deus peculiari- „ ter providere credendus est, ne Ecclesia, quamvis homi- „ num testimonia sequatur, in Sanctorum canonizatione er- „ ret. Cujus peculiarissimæ providentiæ abunde magnum ar- „ gumentum est, quod nunquam infirmata est fides ab hu- „ manis testibus semel in hujusmodi judiciis suscepta. Quod „ in casibus civilibus sæpe accidit ". S. Thomas Quodlibeto 9. art. 16. postquam dixit Ecclesiæ judicium falli non posse in iis, quæ spectant ad fidem, posse vero in aliis, quæ singularia facta respiciunt, hæc superaddit: " Canonizatio vero „ Sanctorum medium est inter hæc duo: quia tamen honor, „ quem Sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua „ Sanctorum gloriam credimus, pie credendum est, quod „ nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit ".

§. V. Ad fidei definitiones ea quoque Summorum Pontificum judicia spectant, quæ facta dogmatica respiciunt.

Non de illis definitionibus nunc agimus, quæ aliquod fidei caput in se spectatum respiciunt: istæ enim ad jus referri debent; sed de aliis, quæ doctrinam alicujus hominis, sive sententiam expressam scriptis, aut verbis, pro sui objecto habent, ac propterea circa factum dogmaticum versantur: circa factum quidem, quatenus facti rationem in se continet, quod quispiam doctrinam aliquam vel voce,

vel

vel scripto defenderit: dogmatis vero; quia cum hujusmodi facto etiam dogma conjungitur. Hinc, Jansenianæ causæ habita ratione, si illud tantum quæratur, utrum quinque propositiones jure merito proscriptæ fuerint, controversia circa jus tantum versabitur: si autem ulterius inquiratur, utrum illæ propositiones jure merito in eo sensu proscriptæ sint, quem in ipso libro Jansenii præseferunt; erit quidem quæstio facti, sed tamen dogmatici, quia in hoc facto de dogmate inquiritur: demum si disquisitio fiat, utrum liber inscriptus *Augustinus Jansenii* sit revera Jansenii opus; factum quidem, non tamen dogmaticum, sed personale, erit objectum hujus quæstionis. Ita si de Arii causa agatur. 1. quæri potest, utrum quod contra Arium definitum fuit, jure merito definitum sit: 2. utrum in scriptis Arii verbi consubstantialitas impugnetur: 3. utrum illorum scriptorum Arius revera auctor extiterit: si primum habeatur; quæstio erit tantum juris: si alterum; facti dogmatici: si tertium; facti personalis. Ecclesiæ judicium, seu definitio Supremi Ecclesiæ capitis factum non personale, sed dogmaticum respicit, semel ac agatur de condemnatione alicujus erroris, quem quispiam scripto propugnaverit, atque expendatur, utrum in hoc, vel illo libro, aut scriptis error fidei contrarius contineatur, & quidem secundum eum sensum, quem liber, aut scripta in suis verbis præseferunt, non vero secundum alium, quem ad sui arbitrium, & contrarium obviæ significationi verborum, ipse auctor in mente habere potuerit. Nam hic sensus Ecclesiæ innotescere non potest, semperque jure merito ea præsupponit, auctorem loquutum esse juxta illum sensum, quem verba ejus omnino præseferunt.

Semel ac autem constiterit, errorem contra fidem in aliquibus scriptis, aut libris contineri, eorum quoque auctorem Ecclesia nominatim condemnat, atque illum a Catholica communione expellit, sicuti Nicæni Patres contra Arium fecerunt (1), & in Ephesino Concilio Patres pronuntiarunt,

(1) Gelasius Gyzicenus in Hist. Concil. Nicæni lib.3. cap.25.

Nestorium *Episcopali dignitate privatum*, *& ab universo Sacerdotum consortio*, *& cœtu alienum* (1).

Quoniam vero qui facta dogmatica infallibili judicio non subesse pugnant, nunquam non opponunt, si de facto agatur, infallibile de eo judicium ferri non posse; nunc diligenter explicandum est a nobis, qua ratione etiam de factis dogmaticis judicium Romani Pontificis infallibile sit, ac propterea ad fidei definitionem referendum, quamvis ratio ipsa facti in eo interveniat. Ac primo quidem illud eis opponimus, etiam Deistas, ut e medio tollant certitudinem Sacrarum Scripturarum tum Veteris, tum Novi Testamenti, ad ipsum factum recurrere, atque objicere nobis, quoddam factum esse, quod Sacræ Litteræ ad nos usque devenerint, ac propterea de veritate illarum merito dubitari posse (2). " Est ergo
" res magna, ac diligenti contemplatione dignissima, (ut
" cum Melchiori Cano loquar lib. 6. *De Locis Theologicis* cap. 8.)
" non illud modo ad Doctrinam Catholicam pertinere, quod
" Apostolis expresse revelatum est; verum hoc etiam, quod
" ex altera propositione revelata, & altera certa in lumine
" naturali, syllogismo, collectioneque evidenti conficitur ".
Id autem nunc pluribus ostendendum est a nobis, eorum quoque habita ratione, quæ etiam ab Adversariis nostris in dubium non revocantur, nec revocari possunt. Dogma fidei est, quas nunc Sacras Litteras tum Veteris, tum Novi Testamenti habemus, esse illas, quas Auctores divinitus inspirati conscripserunt, quum eas uti divinitus inspiratas nobis Ecclesia proponat, quam sane in hoc judicio falli non posse, certa fide credimus. Quæro nunc ego, utrum in hujusmodi Ecclesiæ judicio sit aliqua propositio certa in lumine naturali, syllogismo, collectioneque evidenti confecta? utrum ipsum factum suum locum habeat? Utrumque sane adest. Nam evidentissima argumentatione conficitur, Sacras Litteras, & quidem inte-

(1) Tom. 3. Concil. edit. Venet. colum. 1078. (2) Vide quæ contra eos disseruimus *Theol. Revelata* lib. 2. in initio, & qu. 2. art. 2., lib. 3. qu. 3. art. 1. & seq.

integras, atque incorruptas ad nos devenisse, quales a sacris Scriptoribus editæ fuerunt (1); & in hoc sane cujusdam facti ratio consistit. Quæ autem sacri Auctores divinitus inspirati conscripserunt, semper servata in Ecclesia fuisse, res quædam est, quæ cum illo dogmate de infallibili Ecclesiæ judicio circa libros divinitus inspiratos, necessario connectitur. Nam semel ac incertum esse ponatur, utrum quæ sacri Auctores conscripserunt, ad nos pervenerint, Ecclesiæ quoque judicium, quo constituitur de sacris Libris divinitus inspiratis, incertum sit oportet.

Idem autem tam in Divino verbo scripto, quam in tradito contingit. Nam Divinæ fidei ea esse, quæ communi consensione Sanctorum Patrum tradita habemus, nullus Catholicorum dubitat. At vero in hoc quoque infallibili principio ipsum factum suum locum habet. Nam traditiones Apostolicas, prout ab Apostolis acceperant, Fideles custodi custodivisse, easque, prout illi custodierunt, longo licet spatio annorum interveniente, pluribusque Ecclesia quassata tempestatibus, ad nos pervenisse, quoddam factum est cum infallibili principio de Traditionibus ita connexum, ut istud frustra infallibile censeatur, semel ac illud perspectum non sit ob moralem certitudinem, de qua evidentissime ratiocinatione constat.

„ Concilium Nicænum (sicuti Melchior Canus loco su-
„ pra citato animadvertit) in fide non errasse, aut Chalcedo-
„ nense, aut Ephesinum, nec in sacris Libris, nec in Aposto-
„ lorum Traditionibus explicatum est: sed id solum, Conci-
„ lia in Spiritu Sancto legitime congregata errare non posse.
„ At quod Concilium Nicænum, Chalcedonense, Ephesinum
„ legitime fuerint coacta ex Divina revelatione non creditur;
„ creditur tamen ex humana fide, & traditione historiæ, fide
„ digna, per quam habemus, eas Synodos, indicentibus, &
„ confirmantibus veris Ecclesiæ Pastoribus, ex universo orbe
„ convenisse. Unde licet earum rerum certitudo, ac veritas,
„ quæ in ejusmodi Conciliis definitæ sunt, ex duobus quasi
„ principiis pendere videatur, quorum alterum revelatum a

 „ Deo

(1) Vide loca supra citata ex nostra *Theol. Revelata*.

„ Deo est, Concilia videlicet legitime congregata certissimæ „ veritatis esse; alterum vero sola certitudine naturali credatur per ea, quæ Scriptores graves, & incorrupti memoriæ „ prodidere: at hæreticus erit, qui negarit earum Synodorum „ scita, atque decreta, non aliter ac si negaret Evangelium". Quapropter, ut cum Thomassino concludam *Dissert.* 19. *in V. Synodum Œcumenicam* num. 87. " Qui dissentire in istiusmodi „ factis ab Ecclesia Catholica pertendet, illum vir doctissimus „ (hoc est Canus, cujus verba & ipse quoque in medium „ protulit) illum experientia ipsa docet, non cervicosum mo„ do, aut superbum, aut insanum, sed hæreticum habitum„ iri. Quod hac tergiversatione dogma ipsum quasi per cu„ niculos impeti sentiat Ecclesia". Si ergo de eo agatur, quod ab infallibili principio proficiscitur, est illud infallibile censendum, quamvis non solum ab hujusmodi principio derivetur, sed etiam ab altera propositione non revelata, verum certa solummodo juxta naturale lumen, & propter moralem evidentiam, quæ ex evidenti ratiocinatione habeatur. Nam ad Dei singularem providentiam spectat, ut faciat, ne etiam quoad istam partem aliquis error occurrat eo in judicio, quod infallibile esse, Deus ipse constituit. Hinc merito Melchior Canus *De Locis Theologicis* lib.3. cap. ult. solvens illam difficultatem, quæ contra Divinas Traditiones ab earum incertitudine petitur, ita inquiebat: " Quod si Christi providentia „ Ecclesiæ Christianæ deest, tum vero nec Traditiones adser„ vatas ego defendo, nec certam Scripturæ auctoritatem. „ Utraque enim juxta res sine Dei procuratione non constat, „ quam si tollas, neque Traditio, neque Scriptura vindica„ tur. Sed si Christo curæ Ecclesia sua est, jam non erit am„ biguum, quin quemadmodum Evangelium illa in sensu po„ tius, quam in littera custodit; ita & ceteras custodiat Tra„ ditiones, quas ei Apostoli tantopere commendarunt".

Mirandum itaque non est, si tum antiquis, tum subsequentibus temporibus Ecclesia non solum Auctores errorum, sed etiam scripta, in quibus errores defendebantur, condemnaverit: „ Porro sciendum est, (inquit Socrates *Eccles. Hist.* lib.1. „ cap.19.)

„ cap. 19.) Arium de opinione sua librum quemdam compo-
„ suisse, quem Thaliam inscripsit..... quem quidem librum
„ tunc temporis etiam Synodus condemnavit". Sozomenus *Ecclesiast. Hist.* lib. 1. cap. 22. inquit: "Sed & verba, quibus
„ opinionem suam explicabat, & librum de eodem argumen-
„ to compositum, quem ille Thaliam inscripserat, condem-
„ narunt". Hinc idem Sozomenus ibidem refert, præcepisse Constantinum, ut *si quod illorum scriptum*, hoc est Arii, & sectatorum illius, *inveniretur*, *traderetur incendio*. Innocentius I. epist. 31. num. 5. (1) de Pelagio loquens: "Librum sa-
„ ne (inquit) qui ejus esse diceretur, a nobis vestra charita-
„ te transmissum evolvimus: in quo multa contra Dei gra-
„ tiam legimus esse scripta, multa blasphema, nihil quod pla-
„ ceret, nihil pene, quod non penitus displiceret: a quovis
„ damnandum, atque calcandum..... Anathemet ergo iste,
„ quæ sensit: ut illi, qui ejus sermonibus fuerant præceptis-
„ que collapsi, quid tandem habeat fides vera, cognoscant".
Concilii V. Patres Collatione 8. (2) Theodorum, Theodoritum, & Ibam, atque scripta eorum hisce verbis cum ceteris hæreticis damnarunt: "Condemnamus autem, & anathematizamus
„ una cum omnibus aliis hæreticis..... Theodorum, qui
„ Mopsueptiæ Episcopus fuit, & impia ejus conscripta: & quæ
„ impie Theodoritus conscripsit contra rectam fidem, & con-
„ tra duodecim capitula S. Cyrilli, & contra Ephesinam pri-
„ mam Synodum, & quæ ad defensionem Theodori, & Ne-
„ storii ab eo scripta sunt. Super hæc anathematizamus &
„ impiam epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam
„ conscripsisse. Prædicta igitur tria capitula anathematiza-
„ mus: id est, Theodorum impium Mopsuestenum cum ne-
„ fandis ejus conscriptis, & quæ impie Theodoritus conscri-
„ psit, & impiam epistolam, quæ dicitur Ibæ, & defensores
„ eorum: & qui scripserunt, vel scribunt ad defensionem
„ eorum, vel recta ea dicere præsumunt, vel omnino impie-
„ tatem eorum nomine Sanctorum Patrum, aut Sancti Chal-
„ cedo-

(1) Apud Coustantium in Collect. epistol. Rom. Pont.
(2) Tom. 3. Concil. edit. Harduini colum. 193.

„ cedonensis Concilii defenderunt, aut defendere conantur".
Neque enim deerant, qui auctoritate Concilii Chalcedonensis, & Sanctorum Patrum abuterentur in defensionem trium capitulorum, quemadmodum ex eadem Collatione novimus. Concilium Lateranense an. 649. sub Martino *Secretario* V. cap. 18. ita statuit: (1) " Si quis secundum Sanctos Patres
„ consonanter nobis, pariterque fide non respuit, & anathe-
„ matizat anima, & ore omnes, quos respuit, & anathema-
„ tizat nefandissimos hæreticos cum omnibus impiis eorum
„ conscriptis usque ad unum apicem Sancta Dei Ecclesia Ca-
„ tholica, & Apostolica .... hujusmodi condemnatus sit ".
Non minus ergo hæretici, quam omnes libri, & scripta eorum, in quibus hæresis continebatur, condemnationi subjiciuntur. Martinus V. in Concilio Constantiensi in suis litteris ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, & Inquisitores dum constituit, quænam confessio expetenda sit ab iis, qui de erroribus in Concilio damnatis suspecti erant, inter alia hæc habet (2):
„ Item, utrum credat, quod condemnationes Joannis Wi-
„ cleff, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, factæ de per-
„ sonis eorum, & libris, & documentis per sacrum generale
„ Constantiense Concilium, fuerint rite, & juste factæ, &
„ a quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter asse-
„ rendæ. Item, utrum credat, teneat, asserat, Joannem
„ Wicleff de Anglia, Joannem Hus de Bohemia, & Hiero-
„ nymum de Praga, fuisse hæreticos, & pro hæreticis no-
„ minandos, & deputandos, & libros, & doctrinas eorum
„ fuisse, & esse perversos, propter quos, & quas, & eo-
„ rum pertinacias, per sacrum Concilium Constantiense pro
„ hæreticis sunt condemnati ". Tandem Leo X. in Bulla Apostolica *Exurge Domine* contra errores Martini Lutheri, & sequacium, peracta condemnatione triginta quinque articulorum, quos distincte recensuit, post alia ita habet (3): " In-
„ super quia errores præfati, & plures alii, continentur in
„ libellis, seu in scriptis cujusdam Martini Lutheri; dictos
„ libel-

(1) Cit. tomo colum. 924. (2) Tom. 8. Concil. edit. Harduini colum. 314. (3) Tom. 9. Concil. ejusdem edit. colum. 1896.

„ libellos, & omnia dicti Martini scripta, seu prædicationes, „ in latino, vel quocumque alio idiomate reperiantur, in „ quibus dicti errores, seu eorum aliqui continentur, similiter damnamus, reprobamus, atque omnino rejicimus, „ & pro omnino damnatis, reprobatis, ac rejectis, ut præfertur, haberi volumus".

Alia multa in hanc rem superaddere possemus; verum ista sufficere arbitramur. Et re quidem vera est sane infallibilis Ecclesia, dum definit, quinam sit sensus Divini verbi scripti, & traditi; alioquin tota ipsa religio laberetur, quum quoad dogmata fidei Divino verbo scripto, & tradito nitatur: oportet igitur, ut infallibilis quoque sit, dum de sensu contrario ipsi Divino verbo scripto, & tradito pronuntiat. Nam hac sine infallibilitate pronuntiare posset eum sensum esse contrarium, aut conformem Divino verbo scripto, aut tradito, qui revera contrarius, aut conformis non esset: igitur neque esset infallibilis, dum statuit de sensu Divini verbi scripti, & traditi: dum enim quispiam sensum aliquem alteri sensui conformem, aut contrarium esse pronuntiat, qui revera illi non est, cum illo altero conjungit, quod cum eo conformitatem, aut ab eodem separat, quod contrarietatem non habet, ac propterea etiam de illo altero sensu non sine errore pronuntiat. Quid? Nonne Ecclesiæ judicium, dum ex ipsa Traditione, tamquam ex principio, aliquid definit, infallibile est? Qua autem ratione Traditio innotescit Ecclesiæ? Fortasse ex Divina revelatione? Nihil minus: innotescit sane ex scriptis Sanctorum Patrum: ejus ergo judicium de hujusmodi scriptis infallibile esse debet, quamvis ratio ipsa facti in eo occurrat, & divinitus revelatum non habeamus, Ecclesiæ judicium, dum decernit de sensu Patrum, infallibile esse. Eadem ergo ratione infallibile esse debet judicium illius, dum sententiam fert de sensu illorum auctorum, qui rectæ fidei opponuntur, quamvis in hoc & ratio facti habeatur, & divinitus revelatum non sit, hujusmodi judicium infallibile esse. Quandoquidem ad rectam fidem non solum refert, ut vera dogmata fidei ex Traditione eruantur, sed etiam ut falsa discer-

scernantur, & universæ Ecclesiæ uti rectæ fidei contraria credenda, & habenda proponantur. Postremo hac opinandi libertate semel admissa, qua ejus judicii veritas a Summo Pontifice editi de factis dogmaticis ob ipsam facti rationem in dubium revocatur, nemo hæreticorum erit, qui injuste se condemnatum esse, conqueri non possit. Ariani, Nestoriani, Pelagiani, Eutychiani, Lutherani, Calvinistæ, & ceteri omnes, se nihil nisi Sacræ Scripturæ consentaneum tradidisse dicent: quod autem Ecclesia aliter censuerit, nihil referre, quia hac in re judicium ejus falli potest; ac propterea immerito se ab Ecclesia expulsos fuisse, tamquam si de errore illorum ex infallibili judicio constaret. Verum hac de re usquemodo, quoniam satis ostendisse confidimus, ad definitiones fidei spectare ea quoque judicia Summorum Pontificum, quæ facta dogmatica respiciunt (1).

§. VI. Ad rem nostram illa multa errata non faciunt, quæ Adversarii in medium adducunt, ut ex iis evincant, Summum Pontificem infallibilem non esse.

Quemadmodum in principio hujus quæstionis monuimus, nobis in animo non est, Summos Pontifices vindicare ab iis erroribus, in quos nonnulli illos impegisse contendunt, ut inde colligant, infallibilitatem Romano Pontifici tribui non posse. Breviori via nunc contra eos insistendum arbitramur, atque ostendere aggredimur, quamvis nonnulli Pontifices etiam in illos incidissent errores, qui ab Adversariis nostris commemorantur, & ea etiam ratione incidissent, qua ipsi volunt; tamen ex iis nullum argumentum æquo jure duci posse contendimus ad evincendum Summum Pontificem infallibilem non esse. Rem istam haud multis nos ita conficimus. Illa judicia Romanorum Pontificum sunt veræ, & proprie dictæ definitiones fidei, in quibus dogma fidei credendum ab omnibus proponitur, atque decernitur, & contrarium ejus Evangelio,

(1) Prorsus inania subterfugia Adversariorum inter alios nostris temporibus detexerunt Bertius *De Theologicis Disciplinis* lib. 17. cap. 6. & Billuartius in Tractatu *De Fide* Differt. 3. art. 7. Ex iis quoque, quæ nos disseruimus, de eorum inanitate constat.

gelio, aut doctrinæ Apostolorum opponi, certo judicio affirmatur, ac propterea qui hujusmodi definitionibus assentiri repugnant; habentur pro hæreticis, & sententia excommunicationis fertur in illos (1). Etiam ipse Maimburgus, qui Pontificiam infallibilitatem acrius impugnavit, hac in re non dissentit a nobis in suo illo Tractatu historico *De Statu, & Prærogativis Ecclesiæ Romanæ illiusque Episcoporum*. Si enim verba ejus latine reddamus, ita habet: " Quæstio in hoc sita est,
„ num quando Papa in Cathedra Romana loquitur, ut Fide-
„ lium omnium magister, & doctor .....: Christianos docet
„ universos, definit, proponitque toti Ecclesiæ per bullam,
„ seu constitutionem, quid credendum sit; num, inquam,
„ ita pronuncians Romæ Pontifex, sit infallibilis, nec ne ".
In hoc etiam Bossuetius nobiscum consentit. Nam *Defensionis &c.* lib. 3., alias 7. cap. 1., postquam hæc Odorici Raynaldi (2) probavit: *Neque enim decreta fidei condunt Pontifices, nisi expresserint, & de necessitate credenda proposuerint*; ita ipse colligit: " Ex quibus id habemus: Pontificum Romanorum de-
„ cretis propositis, duo adhuc quæri oportere: alterum; an
„ sit res ad fidei, & morum essentialia pertinens, idque per
„ se, & proxime, non accidentario, & remote: alterum; an
„ expressum sit, id de fide credendum ". Iis autem judiciis Romanorum Pontificum est tribuenda infallibilitas, quæ sunt fidei definitiones, non vero aliis, quæ inter definitiones fidei nullo modo recenseri possunt (3): igitur in quoscumque tandem errores personales Romani Pontifices prolapsi fuerint, semel ac non constat, dum in illos impegerunt, *definiisse, & proposuisse toti Ecclesiæ per bullam, seu constitutionem, quid credendum sit, & expressisse, quid de fide tenendum*, ex hujusmodi erroribus Summum Pontificem fallibilem esse, præter omnem rationem colligitur. Id tamen colligit Bossuetius, colligunt alii omnes, qui hac in re cum ipso sentiunt. Bossuetius enim, ut in ipso tantum nunc sistamus, *Defensionis &c.* lib. 9., alias 14., a cap. 33. usque ad 45. in eo maxime laborat, ut osten-

(1) Hujus cap. §.1. (2) Tom.15. an.1324. num.2.
(3) Hujus cap. §.3.

dat, plures Pontifices in varios errores incidisse: Hac in re ultra sane, quam par est, progreditur, & quandoque etiam, quæ revera non sunt, uti errata Summorum Pontificum traducit, quemadmodum Cl. Orsius *De Romani Pontificis auctoritate* lib. 3. cap. 33. & seqq. ostendit. Verum de hoc nobis modo quæstio cum illo non est: illud solummodo miramur, qua ratione ex hujusmodi erratis colligere se posse putaverit, Summum Pontificem infallibilem non esse, quando ipse quoque, dum ea recenset, nunquam tradit, quemadmodum revera nullo modo poterat, Summos Pontifices in suo errore quidpiam definiisse, atque constituisse credendum, & tenendum ab omnibus Fidelibus? quando, de Pontificum Romanorum, non dicam, lapsibus, sed etiam decretis propositis, id quærendum superesse, ipse quoque affirmat: *an expressum sit, id de fide credendum*? Est ergo omnino compertum, quemadmodum nos volumus, ad præsentem disputationem nostram nihil facere ea exempla Romanorum Pontificum, qui jure, vel injuria in aliqua re errasse, aut suo muneri defuisse culpantur, quorum lapsus, & errata dum Adversarii nostri ultra modum extollunt ad ostendendum Summum Pontificem infallibilem non esse, ipsi sibi contradicunt, atque ad fidem referunt, quod ipsi quoque referendum non esse constituunt. Hinc merito Serryus in priori Dissertatione *De Romano Pontifice* cap. 1. num. 3. " Quid enim (inquit) si Petrus Romanorum
„ Pontificum primus Christum (quod objicere illi solent) in
„ passione se nosse negavit? Quid si Marcellinus Pontificum
„ alter, in publica persequutione suppliciis victus, thus ido-
„ lis adoleverit? Quid si Liberius exilii tædio superatus Aria-
„ næ tandem perfidiæ, & S. Athanasii damnationi subscri-
„ psit? Quid si Vigilius trium capitulorum damnationi diu
„ obstitit? Quid si Honorius, datis ad Sergium epistolis, Mo-
„ nothelitarum errori favere visus est, aut etiam favit? Quid
„ si Joannes XXII. in errorem de visionis beatæ dilatione pro-
„ pendere visus est, propendissetque re ipsa? Ita ne iis in
„ casibus, aliisque jactari solitis, judicium solemne aliquod,
„ quale ipsimet late describunt, tulere laudati Pontifices, ut
„ ad

„ ad quæstionem, quæ nobis in manibus est, exempla hu„ jusmodi trahi possint ? .... A præsenti igitur instituto lon„ ge abeunt, tot illa errantium, ut ajunt, in fide Pontifi„ cum exempla, si quo sensu debet, ipsique volunt, de Pon„ tificum infallibilitate quæstio ventiletur “.

CAPUT II.

DE INFALLIBILITATE PONTIFICIORUM DE FIDE JUDICIORUM, EJUS FUNDAMENTI HABITA RATIONE, SUPRA QUOD ECCLESIA A CHRISTO EXTRUCTA FUIT.

§. I. CHristus tum Ecclesiæ, tum Romano Pontifici promisit privliegium infallibilitatis.

Illud hìc monendum arbitramur, non solum hujus capitis, sed etiam duorum sequentium habita ratione, uti certum nunc a nobis æquo jure supponi posse, quæ Christus Petro promisit, atque revera contulit, etiam Romanorum Pontificum propria esse. Quandoquidem Romanos Episcopos succedere in Episcopatu, & in omni jurisdictione, & auctoritate S. Petro, jam ostendimus, atque Sanctorum Patrum traditione comprobavimus, quæ Christus habet *Matt.* cap. 16. v. 18. & seq., *Lucæ* cap. 22. v. 32., *Joannis* cap. 21. v. 15. & seq., non minus pertinere ad Petrum, quam ad Romanos Episcopos successores illius (1).

Nunquam ergo futurum, ut in fide falleretur, Christum Ecclesiæ promisisse *Matth.* cap. 16. v. 18., nemo Catholicorum negat. Tantum autem abest, ut inde erui possit, quemadmodum nonnulli faciunt, quos postea refutabimus, Pontificia de fide judicia ab Ecclesiæ consensione mutuare firmitatem infallibilitatis, quin potius manifesto sequatur, eamdem de infallibilitate promissionem etiam ad Petrum factam fuisse (2). Quandoquidem si ad eam necessariam connexionem attendatur, quæ inter totum ædificium, & fundamentum, supra quod illud erigitur, necessario intercedere debet, ipsum ædificium firmum, atque immotum persistere non po-

(1) Lib. 19. cap. 2. §. 5. & seq. (2) Lib. 19. cap. 2.

potest, nisi etiam fundamentum ejus firmum, & immobile persistat. Ex quo sane consequitur, ut firmitas, & stabilitas ædificii frustra promissa esse videatur, si etiam de fundamenti firmitate, & stabilitate eadem promissio facta non fuerit. Petrum sane illud unicum, præcipuumque fundamentum a Christo institutum esse, supra quod structura totius Ecclesiæ erigitur, tum Divina Oracula, tum unanimis traditio Patrum neminem dubitare sinunt. Rem istam totam pluribus jam prosequuti fuimus (1). Nunc ergo ne jam dicta repetamus, uti certum assumimus, quod & Evangelica verba, nisi præter omnem rationem, communemque loquendi modum alio extrahere quispiam velit, ipsa per se produnt, & unanimis expositio Patrum confirmat, Petrum esse petram illam, supra quam Christus suam Ecclesiam singulariter ædificaturum promisit. Quia ergo Petrus moralis ædificii fundamentum futurum erat, & moralis ædificii sustentandi regendique ratio in ligandi, & solvendi potestate potissimum continetur, singulariter ei Christus omnem ligandi, & solvendi potestatem promisit. Qua sane promissione S. Petro, uti præcipuo, & singulari totius Ecclesiæ fundamento, universum orbem terrarum commissum fuisse, eumdemque totius Ecclesiæ pastorem, & caput constitutum, a Sanctis Patribus traditum accepimus (2). Quapropter si S. Petrus totius Ecclesiæ fundamentum est, quia super eum Christus singulariter suam Ecclesiam extruxit, eumdemque universæ Ecclesiæ Supremum Pastorem fecit, atque ob connexionem, quæ inter ædificium, & fundamentum ejus necessario intercedit, firmum, atque stabile persistere ædificium non potest, nisi etiam fundamentum ejus in firmitate, & stabilitate persistat; consequens inde fit, ut sicut Christus Ecclesiæ promisit, nunquam futurum esse, ut portæ inferi adversus eam prævalerent, eamdem quoque promissionem Petro fecerit: alioquin ad illam tandem absurditatem deveniemus, ut firmum, & stabile quidem ædificium esse concedamus, non tamen fundamentum ejus, sed nutare

(1) Lib. 18. cap. 1. §. 1. & seqq. (2) Vide testimonia Patrum cit. loco.

nutare posse. Est ergo dicendum, Christum tum Ecclesiæ, tum Romano Pontifici promisisse privilegium infallibilitatis.

§ III. Illa promissio, qua Christus futurum affirmavit, ut portæ inferi nunquam adversus Ecclesiam prævalerent, primo Romanum Pontificem, deinde vero Ecclesiam respiciunt.

Suam firmitatem, atque stabilitatem ædificium a fundamento mutuatur, non vero fundamentum ab ædificio, frustraque ædificium firmum, & stabile futurum esse expectaretur, si fundamenta ejus nutarent. At vero illa Ecclesia, cui Christus nunquam futurum promisit, ut portæ inferi adversus eam prævalerent, supra Petrum, uti supra suum fundamentum, superextructa fuit: igitur etiam fundamentum id firmitatis habeat oportet, quod est in Ecclesia, atque ita quidem, ut non ipsum ab Ecclesia, sed Ecclesia ab ipso firmitatem recipiat. Ea itaque promissio, qua Christus nunquam futurum esse affirmavit, ut portæ inferi adversus Ecclesiam prævalerent, Romanum Pontificem primo respicit, deinde Ecclesiam. Hinc recte Melchior Canus tradidit (1), quod Petrus „ Aliis confirmandis solidam fidem proponeret, nec „ in fidei judicio deficeret, Ecclesiæ publicum privilegium „ erat ".

§. IV. Est etiam ex ipsa traditione Patrum compertum, promissionem illam, qua Christus futurum prædixit, ut portæ inferi adversus Ecclesiam non prævalerent, primo ad Petrum, deinde ad Ecclesiam spectare.

Variis multiplicibusque modis Sanctorum auctoritate Patrum hanc nostram propositionem comprobare possemus; tamen ne in longum nimis progrediamur, atque ut utamur iis, quæ manifesta ex ipsa Traditione jam fecimus, unico principio nixi ostendere conabimur, quod modo volumus. Hujusmodi vero principium reponimus in communi consensione Patrum, a quibus traditum accepimus, Petrum esse illud primum præcipuumque fundamentum, super quod Ecclesia ædificata fuit.

Illa itaque verba Evangelii: *Et super hanc petram ædificabo*

(1) Lib. 6. *De Locis Theologicis* cap. 8. in respons. ad 11. arg.

bo Ecclesiam meam, ad Petrum referenda esse, Sancti Patres unanimi consensione tradiderunt, quemadmodum lib. 18. cap. 1. §. 1. & seqq. jam ostendimus. In eo ergo tantum nonnulli Patres hac in re inter se differunt, ut quidam eorum singularem Petri confessionem intelligi velint, qua Christum Filium Dei esse confessus fuit, quidam autem ipsam personam Petri. Non desunt tamen inter eos, qui utramque explicationem amplectantur. Ex eo autem quod non omnes conveniant in explicatione Evangelici textus, habita ratione vel personæ, vel fidei ipsius Petro, nemo inde inferre potest, Patres non consentire, Ecclesiam supra Petrum ædificatam esse, quemadmodum in citato loco monuimus. Qui ergo nomine petræ confessionem Petri intelligi volunt, ii sane tradûnt: & supra petram confessionis ejus Ecclesiam ædificatam: & petram fidei illius uti fundamentum Ecclesiæ positum: & de fide Petri dictum, quod portæ mortis adversus eam non prævalerent: & Domini fidem, veluti suo fundamento, inniti Petro, supra quem modis omnibus Ecclesia ædificata fuit: & in fide Petri collocatum firmamentum Ecclesiæ: & confessionem Petri positam veluti basim, & firmamentum Ecclesiæ, aliisque similibus loquendi rationibus utuntur, quibus fidem, confessionemque Petri totius Christianæ fidei fundamentum esse, apertissime docent (1). Si ergo fides totius Ecclesiæ fidem Petri pro suo fundamento ita habet, ut illa firmitati istius innitatur, ex hoc non illud tantum consequitur, tum Ecclesiæ, tum Petri fidem errori subjectam non esse, sed etiam hanc immunitatem ab omni errore primum Petri, deinde Ecclesiæ fidei convenire. Fides enim Petri ea est, cui Ecclesiæ fides innititur, non vero fides Petri pro sui fundamento Ecclesiæ fidem habet.

Qui vero Patres nomine petræ ipsam personam Petri intelligunt, unanimi consensione affirmant: & Petrum fuisse illam unicam Petram, supra quam Christus suam Ecclesiam ædificaturum promisit: & eam Ecclesiam, adversus quam portæ inferi futurum erat, ut non prævalerent, supra Petrum super-

(1) Vide loca Patrum cit. cap. §. 3.

superextructam: & Petrum a Petra congrua similitudine a Christo vocatum, quia de petra haberet soliditatem constantiæ, & fidei firmitatem (1). Quapropter ex omnium auctoritate Patrum idem semper consequitur, hoc est, infallibilitatem fidei primum convenire Petro, deinde Ecclesiæ. Nam Petrus est ejus Ecclesiæ columen, substentaculum, & fundamentum, adversus quam portæ inferi prævalere non possunt, quomodo autem id muneris Petrus sustinere posset, si infallibilitatem ea ipse ratione non haberet, qua convenit illi, qui est fundamentum infallibilitatis in alio existentis? Petro itaque primum, deinde vero Ecclesiæ convenire infallibilitatem, ex traditione Patrum omnino perspectum habemus.

§. V. Illud ratiocinium, quod in hoc negotio ex ipsa fundamenti ratione petitur, Bossuetius eludere frustra conatur.

Dicit ergo 1. *Defensionis &c.* lib. 10., alias 15., cap. 2. fundamentum quoque corruere posse. Quis id negat, si de fundamento in se spectato loquamur: solum volumus illud fundamentum, quod tale est, si attendatur ad infallibilitatem ejus, quod substentat, primo ipsum infallibile esse oportere. 2. Tradit a Christo positum fundamentum, & extructum ædificium, atque utrumque contineri invicta virtute illius. Et in hoc quoque neminem sibi repugnantem habet: tamen semper verum est, Christum suam Ecclesiam, quæ est infallibilis, extruxisse supra Petrum, sicut etiam infallibilitatem tum in Petro, tum in Ecclesia a Deo esse, in Petro tamen primo, quia Petrus Ecclesiæ fundamentum est. 3. Hæc superaddit: si Ecclesiæ firmitas a suo fundamento penderet; requireretur, fundamentum non solum infallibile, sed etiam immortale esse: non ruere ædificium, si in fundamento sit aliquis defectus: tandem quod sicut " Compages fundamen„to substentatur, sic fundamentum compage protegitur ". Quod de perpetuitate fundamenti dicit, verum esset, si non haberetur, qui Petro succederet, & loco ejus fundamentum Ecclesiæ foret. Hinc, quemadmodum Melchior Canus tradit,

(1) Vide cit. loco testimonia Patrum: vide etiam alia testimonia Patrum in ejusdem cap. §. 6.

dit (1), " Mortuo Summo Pontifice, una sine dubio Eccle-
„ sia manet, & manet in ea Spiritus veritatis: sed manca,
„ & imminuta sine Christi Vicario, & Ecclesiæ Catholicæ
„ uno Pastore, relinquitur ". Ædificium autem male se habet ea ratione, qua fundamentum illius: ruit ergo, si etiam fundamentum ejus ruat, partium autem ejus mutua connexio alicubi tantum dissolvitur, si in fundamento idem contingat. Compago autem suam in fundamento firmitatem habet, non fundamentum in compagine: hinc si fundamenti firmitas nutet, etiam compaginis nutet oportet; non est tamen necesse, ut nutet fundamentum, si compago nutet, quia id compages ab aliqua alia causa habere potest absque præjudicio fundamenti.

§. VI. In hoc quoque Bossuetius fallitur, dum ex eo quod Petrus, ejusque successores sunt fundamentum Ecclesiæ, consequi negat, privilegium infallibilitatis eisdem adjunctum esse.

Fundamenti ergo officium Petro datum fuisse Bossuetius concedit, non tamen ut sui infallibilitate illud exequeretur (2).
„ Qua ex re (inquit) si quis sequi putat, Romanum Pontifi-
„ cem commissi officii gratia fundamento comparatum, ideo
„ in exponenda fide esse infallibilem, fallitur: aliud enim
„ est, ut ei aliquid officii injungatur; aliud, ut illud procul
„ omni dubio præstiturum esse constet ". Si igitur Bossuetium audiamus, tale Christus Ecclesiæ fundamentum posuit, quod fundamenti officium simul haberet, & non haberet. Quandoquidem fundamenti officium haberet, sicuti ipse concedit: non haberet autem, quia fundamenti officium est, si veram fundamenti rationem habeat, superpositum sibi ædificium sustentare, indeque in eo id omne inesse, quod ad sustentationem ædificii requiritur. Hoc autem in Ecclesiæ fundamento non haberetur, semel ac illud falli posse admittatur. Esset enim infallibilis Ecclesiæ fallibile fundamentum: igitur in se id non haberet, quo Ecclesiam, qualis est, scilicet infallibilis, substentare posset: veram ergo fundamenti rationem non habe-

(1) Lib.4. *De Locis Theologicis* cap. ult. in respons. ad 12.
(2) *Defensionis* lib.10., alias 15., cap.2.

haberet: tale igitur Christus Ecclesiæ fundamentum posuit, si Bossuetium audiamus, quod pro ea veri fundamenti munere fungi non posset. In cujusnam tandem mentem id venerit? Profecto S. Leo, quem, uti modo videbimus, nominatim una cum aliis Patribus Bossuetius pro se laudat, ita fundamentum Ecclesiæ in Petro positum a Christo fuisse tradit, ut per ipsum in Ecclesiam sua dona diffunderet: inquit enim (1): „ Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium „ Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Pe- „ tro Apostolorum omnium summo principaliter collocarit, „ ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus „ omne diffunderet: ut extorrem se magisterii intelligeret „ esse Divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. „ Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, „ id, quod ipse erat, voluit nominari dicendo: *Tu es Petrus,* „ *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: ut æterni „ templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soli- „ ditate consisteret". Quomodo autem ædificatio templi, hoc est, Ecclesiæ, quæ est infallibilis, in Petri soliditate consistere posset, si ipse quoque non esset infallibilis? Bossuetius ergo quam maxime fallitur, dum ex eo quod Petrus, illiusque successores sunt fundamentum Ecclesiæ, consequi negat, privilegium infallibilitatis eisdem adjunctum esse.

§. VII. Falso illud etiam Bossuetius contendit, non minus auctoritate Divinarum Scripturarum, quam Sanctorum Patrum, promissionem infallibilitatis ad Ecclesiam tantum pertinere.

Defensionis &c. lib. 10., alias 15., cap. 2. " Attendendum superest, (inquit) cui rei Christus æternæ stabilitatis „ promissionem adjecerit: an ipsi Pontifici? an vero Eccle- „ siæ? Ecclesiæ certe, ut verba declarant, *& portæ*, inquit, „ *inferi non prævalebunt adversus eam*, Ecclesiam scilicet, ut „ & verborum docet ipsa connexio, & Leo, atque alii Pa- „ tres luculentissime profitentur ". Hæc ille. Nulla tamen loca Patrum in medium adducit.

(1) Epist. 10. cap. 1. juxta edit. Cacciarii.

„ Tu es Petrus, inquit Christus *Matth.* cap. 16. v. 18.) „ & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ „ inferi non prævalebunt adversus eam “. Inde ergo nunquam futurum, Christus affirmat, ut portæ inferi adversus Ecclesiam prævaleant, quia supra Petrum eam est ædificaturus: primo enim Ecclesiæ fundamentum, quod in Petro ponendum esse dicit, commemorat, deinde futurum prænuntiat, ut portæ inferi adversus Ecclesiam non prævalerent. Quare quum Christus, Ecclesiæ fundamento semel constituto, nulloque ad alia habito respectu, infallibilitatem promittat Ecclesiæ, dicendum sane est, si verborum connexio attendatur, hujusmodi infallibilitatem ad fundamentum retulisse, ac propterea significasse, infallibilitatem primo tribuendam esse fundamento. Hinc Origenes dum hæc Evangelii verba explicat in *Matthæum* tomo 12. num. 11. ita habet: „ Quam autem, *eam*? An enim petram, supra quam Christus ædificat Ecclesiam? Ambigua quippe loquutio est. „ An quasi unam eamdemque rem, Petrum, & Ecclesiam? „ Hoc ego verum esse existimo: nec enim adversus petram, „ supra quam Christus Ecclesiam ædificat, nec adversus Ecclesiam portæ inferi prævalebunt “. Ejusdem autem tomi num. 14. Petro ideo traditas fuisse claves regni cælorum affirmat, quia ei Christus promiserat, nunquam futurum, ut contra ipsum portæ inferi prævalerent: inquit enim: “ Post „ hæc videamus, quomodo dictum sit Petro, & cuilibet qui „ Petrus est: *Dabo tibi claves regni cælorum*. Et primum existimo his verbis; *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, „ convenienter esse subnexum: *Dabo tibi claves regni cælorum*. Nam qui contra inferi portas munitus est, ut adversus eum non prævalerent, dignus est, qui ab ipso verbo „ claves regni cælorum accipiat “. Unde etiam S. Hilarius laudans fidem Petri lib. 6. *De Trinit.* cap. 37. “ Hæc fides (inquit) Ecclesiæ fundamentum est. Per hanc fidem infirmæ „ adversus eam sunt superbæ inferorum portæ “. S. Ambrosius *De Incarnatione* cap. 5. num. 34. contra fidem Petri, quam Ecclesiæ fundamentum esse affirmat, nunquam futurum tradit,

dit, ut hæreses prævaleant, quia contra eam neque etiam portæ inferi prævalere possunt: " Non enim (ait) de carne „ Petri, sed de fide dictum est, quia portæ mortis ei non „ prævalebunt ". S. Augustinus in *Psalmo contra partem Donati*, facta mentione Romanorum Pontificum, qui Petri Cathedram tenuerunt, inquit: " Ipsa est petra, quam non vin„ cunt superbæ inferorum portæ ". S. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. *De Trinitate* exponens hunc Matthæi locum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ita habet: „ Petram, opinor, nihil aliud, quam inconcussam, & fir„ missimam Discipuli fidem vocavit, in qua Ecclesia ita fun„ data, & firmata esset, ut non laberetur, & esset inexpu„ gnabilis inferorum portis ". Quum ergo contra Ecclesiam portas inferi prævalere non posse, S. Cyrillus inde affirmaverit, quia supra fidem Petri Ecclesia fundata est, potiori jure & contra fidem Petri easdem prævalere non posse, existimare necessario debuit. Simplicius Papa epist. 3. ad Zenonem Augustum eamdem promissionem tum ad Petri, tum ad Successorum ejus fidem refert: (1) " Perstat enim (ait) in Succes„ soribus suis hæc, & eadem Apostolicæ norma doctrinæ .... „ cui Dominus..... se usque ad finem seculi minime defutu„ rum, cui portas inferi nunquam prævalituras esse promisit ". S. Gelasius in *Commonitorio* ad Faustum: (2) " Cogitantes „ (ait) Christi vocem non esse superfluam, quæ confessioni „ B. Petri Apostoli inferni portas nunquam prævalituras asse„ ruit ". Non ergo Patres quod Bossuetius vellet, sed contrarium ejus *luculentissime profitentur*. Idem vero manifeste perspectum est etiam ex iis, quæ supra jam disseruimus (3).

At Leo tamen repugnat: (nominatim enim ad hunc tantum ex multis Patribus Bossuetius appellat; nullum vero indicat locum illius) ita ne vero? Iis, quæ ex Leone in medium jam protulimus (4), hæc alia ad pleniorem confutationem ejus, quod Bossuetius affirmat, nunc superaddamus ex serm. 3. in *Anniversaria die sua Assumptionis*. Nam hujus sermonis

Fff 2 cap. 2.

(1) Tom. 5. Concil. edit. Venet. colum. 98. (2) Ibidem col. 297.
(3) Hujus cap. §. 4. (4) Præced. §.

cap. 2. (1) explicans illa verba : *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est*, ita habet : " Id est, ideo beatus es, quia Pater meus
" te docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cæ-
" lestis te instruxit: & non caro, & sanguis, sed ille me ti-
" bi, cujus sum Unigenitus Filius, indicavit. *Et ego*, in-
" quit, *dico tibi* : hoc est, sicut Pater meus tibi manifesta-
" vit Divinitatem meam; ita & ego tibi notam facio excel-
" lentiam tuam. Quia *tu es Petrus*; id est, quum ego sim in-
" violabilis petra; ego lapis angularis, qui facio utraque
" unum; ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud
" ponere; tamen tu quoque petra es, quia mea virtute soli-
" daris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum
" participatione communia. *Et super hanc petram ædificabo*
" *Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*
" Super hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam tem-
" plum, & Ecclesiæ cælo inferenda sublimitas in hujus fidei
" firmitate consurget. Hanc confessionem portæ inferi non
" tenebunt, mortis vincula non ligabunt ".

CAPUT III.

DE INFALLIBILITATE PONTIFICIORUM DE FIDE JUDICIORUM; HABITA RATIONE EORUM, QUÆ *Lucæ* cap. 22. v. 31. & seq. CHRISTUM AD PETRUM DIXISSE LEGIMUS.

§. I. **V**Erba Evangelii *Lucæ* cap. 22. v. 31. & seq. ad unum tantum Petrum referri possunt.

Christus ergo, facta cœna, quum Apostolis futurum promisisset, ut ederent, & biberent super mensam suam in regno suo, & sederent super thronos judicantes duodecim tribus Israel, adstantibus iisdem Apostolis, ita Petrum alloquutus fuit: " Simon, Simon ecce Satan expetivit vos, ut
" cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non
" deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fra-
" tres tuos ". Petrum igitur Christus proprio nomine compellat,

(1) Juxta supra cit. edit.

pellat, eumque, præsentibus aliis Apostolis, certiorem facit, futurum, ut omnes eos, ne ipso quidem Petro excepto, Satan expeteret, ut cribraret illos, sicuti triticum: usque modo ergo Petrus, si ad Satanæ tentationem attendatur, nihil supra alios Apostolos habet, sed ipse quoque, non secus, ac ceteri, est illi eodem modo subjectus. Verum anne fortasse Petrus ejusdem semper conditionis quoad rem istam cum aliis Apostolis? Minime certe: *Ego autem* (inquit Christus semper Petrum compellans, quem proprio nomine vocaverat) *rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Duo itaque hic habemus, quæ unum tantum Petrum respiciunt: 1. quod Christus pro Petro singulariter oraverit, ne deficeret fides illius: 2. quod Petro demandatum fuerit, ut fratres in fide confirmaret. Unde habita ratione tentationis, quæ erat communis omnibus Apostolis, ne ipso quidem Petro excepto, Christus & singulariter oravit pro fide Petri, ne deficeret, & eidem Petro præcepit, ut fratres confirmaret. Si hæc omnia ad ipsum Petrum singulariter referri non debeant, non video sane, neminemque videre posse arbitror, quænam tandem ad unum aliquem hominem singulariter referri possint.

§. II. Prædicta Evangelii verba ad Petrum referri debent, quatenus erat Supremum Caput Ecclesiæ.

De Suprema præfectura S. Petri in universam Ecclesiam non minus constat ex iis, quæ *Matthæi* cap.16. leguntur, de quibus in præcedenti capite disseruimus, quam ex his aliis *Lucæ* cap. 22. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (1). Nam quod Christus *Matthæi* cap.16. promiserat, in hoc *Lucæ* capite confirmavit. Inde autem necessario consequi, verba Lucæ ad Petrum referri debere, quatenus erat Supremum Caput Ecclesiæ, nemo non videat oportet. Quid? Nonne Christus, facta mentione ejus periculi, quod ex parte Satanæ omnibus Apostolis imminebat: quo sane cœtu nullus præstantior in Ecclesia haberi potest, se pro Petro singulariter rogas-

(1) Lib.18. cap.1. §.7.

rogasse dixit, ne deficeret fides illius? nonne inde Petro præcepit, ut suos fratres confirmaret? In fide autem confirmare Apostolos, certe nemini alteri convenire potest, quam Supremo totius Ecclesiæ capiti. Tandem semel ac uni præcipiatur, ut alios in fide confirmet; hi profecto illius institutioni subjiciuntur: quapropter si dicamus, quemadmodum revera dicendum est, Christum tale præceptum Petro dedisse, quod vellet, ut exequutioni mandaretur, id etiam affirmetur oportet, Apostolos ejus institutioni subjecisse. Eo vel maxime, quia idem Christus antea monuerat, Satanam expetiisse, ut omnes cribraret, sicuti triticum, atque omnes in eo periculo, in quo versabantur, uno Petro excepto, reliquit. Esse vero ejus, qui præest, habere alios suæ institutioni subjectos, nemo sane negare potest. Ex his vero omnibus unicuique compertum esse debere arbitramur, Evangelii verba de quibus, nunc agimus, ad Petrum referri oportere, quatenus erat Supremum Caput Ecclesiæ.

§. III. Ex prædictis Evangelii verbis certo consequitur, S. Petrum privilegium infallibilitatis in his, quæ sunt fidei, adeptum fuisse.

Ex illis novimus, Christum pro Petro rogasse, ne deficeret fides illius: quare vel assequutus fuit Christus, quod a Patre petiit, vel non fuit assequutus: assequutus sane fuit, quum Apostolus *Hebræor.* cap.5. affirmaverit, quod *exauditus est pro reverentia sua*: & ipse Christus alloquens Patrem *Joannis* cap.21. v.42. dixit: *Ego autem sciebam, quia semper me audis*. Hinc Augustinus lib. *De Corrept., & gratia* num. 17. „ Quum Christi (inquit) inanis esse non posset oratio, quid „ aliud oravit, nisi ut haberet Petrus in fide liberrimam, „ fortissimam, invictissimam voluntatem "? Si ergo Christus oravit pro Petro, ne deficeret fides illius, & oratio Christi exaudita fuit, inde necessario consequitur, ut Petri fides deficere non potuerit: esse autem aliquem in his, quæ sunt fidei, infallibilem, & fidem ejus deficere non posse, unum idemque sunt. Ex prædictis itaque Evangelii verbis necessario consequitur, S. Petrum in his, quæ sunt fidei, privilegium infal-

infallibilitatis adeptum fuisse. " Vide namque (inquit S. Joan-
" nes Chrysostomus in *Acta Apostolorum* Homilia 3. num. 3.)
" centum viginti erant, & unum postulat ab omni multitudi-
" ne; & jure quidem primus auctoritatem habet in negotio,
" cui omnes commissi fuissent. Huic enim Christus dixerat:
" *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* ". S. Leo
Serm. 3. cap. 3. (1) " Commune erat omnibus Apostolis pe-
" riculum de tentatione formidinis, & Divinæ protectionis
" auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exa-
" gitare, omnes cupiebat elidere: & tamen specialis a Do-
" mino Petri cura suspicitur, & pro fide Petri proprie sup-
" plicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si
" mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium
" fortitudo munitur, & Divinæ gratiæ ita ordinatur auxi-
" lium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per
" Petrum Apostolis conferatur ".

§. IV. Prædicta Evangelii verba eodem modo, quo ad Petrum, spectant etiam ad successores illius, ac per ea iisdem tribuuntur omnia, quæ S. Petro tributa fuere.

Prædicta Evangelii verba eodem modo, quo ad Petrum, pertinere etiam ad Successores illius, est sane pluribus jam confectum a nobis, atque longa traditione Patrum ostensum, non minus spectasse ad Petrum confirmare in fide fratres, quam nunc spectet ad Romanum Pontificem (2). Ex hoc autem certo colligitur, ut quemadmodum ad Petrum ea verba referri debent, quatenus erat Supremum Caput Ecclesiæ (3), atque ex iisdem certo consequitur, S. Petrum privilegium infallibilitatis in his, quæ sunt fidei, adeptum fuisse (4); ita etiam ad Romanos Pontifices referri debere, quatenus sunt Supremum Ecclesiæ Caput, & ob illa eos esse infallibiles in his, quæ ad fidem spectant.

§. V. Verum sensum illorum verborum: *Rogavi pro te*: & *Confirma fratres tuos*, Bossuetius pervertit.

Defensionis &c. lib. 10., alias 15., cap. 3. In his *Lucæ* verbis

(1) Juxta edit. Cacciarii. (2) Lib. 19. cap. 2. §. 7.
(3) Hujus cap. §. 2. (4) Præced. §.

verbis cap.32. v.32. *Rogavi pro te*, & *Confirma fratres tuos* officium Petri a Christi promissione distinguit: ad officium Petri illa verba pertinere affirmat: *Confirma fratres tuos*; ad promissionem autem ista alia: *Rogavi pro te*. In quo sane nihil reprehensione dignum habet, dum tamen dicatur, ea promissione Petrum securum evasisse, nunquam futurum, ut fides illius deficeret. Quod deinde superaddit, hoc vero est, quod nullo modo probatur a nobis. Nam, inquit, ex officio habere Petrum, habere quoque Successores illius, ut fratres in fide confirment, non vero *ut ei officio nunquam defuturi sint*. Hanc vero rei istius rationem affert: quia si jubendo Christus id præstaret, ut ipsum præceptum impleretur, omnes impeccabiles forent. Unde, ait, quod Petro ejusque Successoribus *singulari titulo* attributum fuerit, confirmare fratres, „ Efficit quidem, ut præ ceteris, ut erga ceteros, atque „ etiam erga fratres, & Apostolos, illud facere jubeantur: „ non autem ut id certissime præstent“. Neque est, ipse prosequitur, cur reponatur, *adjunctam Papatui*, *perpetua Dei benignitate*, *singularem gratiam*, quia “ Gratiam singularem non „ propterea sequitur semper accipientis certa fidelitas: alioquin nunquam in eo officio peccaretur, quod est falsissi- „ mum“.

Ut autem ostendat ipsa voce confirmandi non significari indeclinabile judicium, eamque auctoritatem, qua nulla major esse possit, in medium adducit hæc Apostoli verba 1. *Thessalon.* cap.3. v.2. *Misimus Thimotheum ... ad confirmandum vos*, & illud *Apocalypsis* cap.3. v.2. *Esto vigilans*, *& confirma cetera, quæ moritura erant*.

At hisce omnibus nihil sane dici potest, quod a sensu verborum Evangelicorum, & quidem obvio, atque manifesto unicuique, magis abhorreat. Omnes profecto satan expetierat, ut cribraret. Christus ergo ut occurreret illi malo, quod inde evenire facile poterat, pro fide Petri rogavit, ne unquam deficeret, atque procul dubio consequutus fuit, quod petiit a Patre. Inde autem Petro præcepit, ut fratres confirmaret, atque hac ratione periculo illi prospexit, quod

ob

ob Satanæ tentationem imminebat: cui certe non prospexisset, si non habuisset Petrus, ut sine periculo erroris fratres confirmaret. Quapropter Petri infallibilitas non ad præceptum confirmandi referri debet, sicuti Bossuetius retulit, ac propterea ad rem nostram non facit, quod ipse opponit, hoc est, jubendo Christum non præstare, ut præceptum impleatur; sed ad promissionem a Christo factam Petro, qua ipse Petrus certior evasit, nunquam futurum, ut in fide deficeret, dum fratres confirmaret. Est ergo Petro, atque Successoribus illius *singulari titulo* attributum munus confirmandi fratres, quia promissio Christi æque ad illum, ac ad istos referri debet (1), ac propterea Summi Pontifices dum fratres in fide confirmant, in errorem duci non possunt. Quoad rem ergo istam talem singularem gratiam Papatui ratione Christi adjunctam tuemur, quæ non pendet a fidelitate accipientis. Data enim illa fuit ob Ecclesiæ bonum, atque utilitatem, & muneri, non vero personæ annexa est, sive est annexa personæ, quatenus fungitur suo munere confirmandi fratres.

Ad rem vero nostram non faciunt illa exempla, quæ in medium adducit, ut evincat, ipsa voce confirmandi non significari indeclinabile judicium. Ea enim confirmatione, de qua sermo fit *Lucæ* cap. 22. v. 32. indeclinabile judicium significari contendimus, quia cum præcedenti promissione a Christo facta conjungitur, cum qua sane conjuncta non est altera, quæ *Thessalon.* cap. 3. v. 2., & *Apocalypsis* cap. 3. v. 2. commemoratur.

§. VI. Verum sensum illorum verborum: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, Bossuetius turbare pergit, dum explicat qua singulariter ratione ad Petrum ea referri debeant.

Citati libri cap. 4. tradit, Petrum tripliciter considerari posse: 1. quatenus erat homo singularis: 2. quatenus universæ Ecclesiæ personam gerebat: 3. quatenus suos Successores in Primatu, eorumque curæ commissam peculiarem Ecclesiam, hoc est, Romanam, repræsentabat ob singularem rationem. Quatenus Petrus erat homo singularis, ad ipsum solum

(1) Lib. 19. cap. 2. §. 7.

prædicta verba referenda esse affirmat: " Quo sensu (inquit) „ promissio solum Petrum spectat, non autem Successores, „ quos in fide confirmatos, nemo credo, nisi insipientissimus „ dixerit ". Si autem de Petro sermo sit juxta alteram acceptionem, verbis illis: *Non deficiet fides tua*, idem significatum contendit, ac si diceretur: " Non deficiet Ecclesiæ Catholi- „ cæ fides, cujus tu figuram, atque personam propter Prima- „ tum geris; ac jubetur postea confirmare fratres, qui, Pri- „ matu imposito, tantam personam induerit ". Tandem si Petrus accipiatur, prout accipi posse tertio loco constituit, ei ideo dictum affirmat: *Non deficiet fides tua*: " Quum nunquam „ futurum sit, ut Petri Successores, eorumque universa se- „ ries, atque successio, sedesque, cui præsint, atque Eccle- „ sia, quam docendam, & regendam susceperint, a vera fide „ evellantur ". In sequenti cap. 5. explicat, qua ratione intelligi debeat, nunquam futurum, ut Successores Petri a vera fide evellantur. Nos postea hujusmodi explicationem refutabimus. Nunc de eo, quod ipse doctrinæ ordo postulat.

Prædicta itaque verba Evangelii ad Petrum referri debere, quatenus erat Supremum Ecclesiæ caput, si non minus attendatur ad traditionem Patrum, quam ad illum finem, propter quem Christus singulariter oravit pro fide Petri, ne unquam deficeret, jam ostendimus (1). Nunc ergo illud tantum superest, ut Bossuetium sibi manifeste contradicere animadvertamus. In sermonibus *de Christo*, *appropinquante cœna* (2) die 79. ita ipse habet latine redditus: " Quoniam „ (Christus) in cohibenda suorum Apostolorum ambitione „ ita erat loquutus, ut ab iis, qui ejus verba non satis expen- „ dissent, credi potuerit nullum Primatum fuisse relictum, „ quin & diminutum fuisse illum, quem Petro tradiderat; „ hoc loco perinde affatur, ut oppositum palam demonstret. „ *Satanas*, inquit, *expetivit vos: ut cribraret omnes: ego autem*, *Petre*, *rogavi pro te*; pro te in particulari, pro te di- „ stincte: non quod alios neglexerit, sed ut Patres exponunt, „ quod

(1) Hujus cap. §. 2. (2) Continentur hi Sermones tom. 9. Operum ejus edit. Parisien. an. 1749.

„ quod, firmato capite, impedire voluit, ne membra nuta-
„ rent. Propter hoc igitur ait: " *Rogavi pro te*, non vero ro-
„ gavi pro omnibus ". Bossuetio itaque docente, Christus ad confirmationem ejus Primatus, quem Petro contulerat, præsentibus Apostolis, ad Petrum dixit, quoniam jam Satanas expetierat cribrare omnes, se rogasse pro eo, ne deficeret fides illius, ut, ita firmato capite, membra non nutarent. Ipso itaque sentiente, falsum est, prædicta Evangelii verba ad Petrum referenda esse, quatenus erat homo singularis, ita ut promissio iisdem expressa ad illum solum spectaret, non vero ad Successores ejus. Primatus enim est procul dubio Petro deferendus, quatenus supremam præfecturam super universam Ecclesiam Christus illi contulerat: semperque etiam necessarium erat, ut membra ob confirmationem capitis nutare non possent. In eodem loco ita Bossuetius pergit, explicans illa verba: *Tu es Petrus &c.* " Ego Simonis nomen mutavi in
„ nomen Petri ob significandam soliditatem, quam tibi volo
„ communicare non solum pro te, verum etiam pro tota mea
„ Ecclesia, quia super hanc petram volo illam ædificare. Vo-
„ lo in te collocare modo eminenti, & peculiari prædicatio-
„ nem fidei, quæ erit ejus fundamentum: *Et portæ inferi non*
„ *prævalebunt adversus eam*; id est, illa firma consistet adver-
„ sus omnes satanæ conatus, adeo ut concuti non possit:
„ quod quid est aliud, nisi id, quod Christus repetit: *Satan*
„ *expetivit vos, ut cribraret sicut criticum: ego autem, Petre, roga-*
„ *vi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu confirma fratres tuos* "?
Prædicatio itaque fidei modo eminenti, & peculiari Petro commissa, cui, uti fundamento, Ecclesia innititur, indeque portæ inferi adversus eam prævalere non possunt, illis verbis designatur: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: hæc igitur verba juxta Bossuetium ad Petrum, non quatenus persona singularis, sed quatenus erat fundamentum Ecclesiæ referri debent. Quis ergo Bossuetium sibi manifeste contradicere non videat? Advertendum ergo superest, quandonam sit potius illi adhibenda fides; utrum quando verba Lucæ ad Petrum, uti singularem hominem, an quando ad Petrum,

quatenus erat fundamentum Ecclesiæ, referenda affirmat. Tunc procul dubio, quando ea ad Petrum pertinere dicit, quatenus erat caput Ecclesiæ. Nam etiam Patres in hunc sensum acceperunt (1), & quando ipse quoque Bossuetius accepit, tunc nullo præjudicio tuendi opinionem suorum præoccupatus tenebatur, sed populos in recta fide instituere sibi proposuerat.

Non solum autem falsum est, quod *nemo nisi insipientissimus dixerit*, *Successores Petri in fide confirmatos*, quin potius insipientissimus ille sane habendus esset, qui id negaret. Nam est procul dubio insipientissimus, qui communi traditioni Patrum sese opponit: at verba *Lucæ*: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: &: *confirma fratres tuos*, non minus ad Petrum, quam ad Successores illius referenda esse, a Patribus nos traditum habere, & ea ratione, qua ad Petrum pertinent, quatenus erat Ecclesiæ caput, pertinere etiam ad Successores illius, jam ostendimus (2). Nonne idem ipse Bossuetius in Ecclesia semper Petrum adesse debuisse statuit, qui suos fratres in fide confirmaret? Nonne id colligit ex illis verbis, quibus hujusmodi munus Christus Petro demandavit? In sermone enim diei 72. (3), cujus titulus hic est: *Fides S. Petri est fides Ecclesiæ Romanæ, vel centrum Catholicæ unitatis*, ita habet: „ Hæc verba: *Confirma fratres*, non sunt præceptum, quod „ S. Petro singulariter fiat, sed munus, quod Christus vult „ esse, & instituit in sua Ecclesia in omnia secula ... Ab eo „ tempore, quo Simon constitutus fuit caput Apostolorum, „ vocatus Petrus, & Jesus Christus in eo posuit fundamen„ tum suæ Ecclesiæ ob fidem, quam nomine omnium prædi„ care debebat; posuit etiam, seu designavit primatum Ec„ clesiæ in persona S. Petri, dicendo Apostolis: *Ecce ego vo„ biscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*. „ Ostendit enim formam regiminis, quam constituerat, sem„ per perseveraturam. Æterna successio ut Petrum conse„ queretur, sicuti etiam ceteros Apostolos, statutum fuit. „ Debe-

(1) Lib. 18. cap. 1. §. 7. Vide etiam in seq. §. Gregorii locum.
(2) Lib. 19. cap. 2. §. 7. (3) Vide supra citatum locum.

„ Debebat ſemper in Eccleſia adeſſe Petrus, qui ſuos fratres „ confirmaret in fide. Id remedium erat opportunum, ut „ ſententiarum unitas ſervaretur, quam Salvator omnium „ maxime expetebat; & hæc auctoritas, tanto magis neceſ- „ ſaria erat Apoſtolorum ſucceſſoribus, quanto horum fides „ minus erat firma, quam illa ipſorum Apoſtolorum “. Semel ac autem admittatur, ſicuti revera admitti debet, Petrum in Eccleſia ſemper adeſſe oportere, qui ſuos fratres in fide confirmet, & id remedium eſſe opportunum, ut ſententiarum unitas ſervetur, quam Salvator omnium maxime expetebat; inde conſequitur, Petri Succeſſores, dum fratres in fide confirmant, falli non poſſe.

Nunc de Boſſuetii explicatione altera, qua tradit, illis verbis: *Non deficiet fides tua*, ſignificatum, nunquam defecturam fidem Eccleſiæ Catholicæ, cujus figuram, & perſonam Petrus propter Primatum gerebat. Ut autem res iſta tota in bono lumine ponatur, animadverti debet, hæc verba: *Non deficiet fides tua*, etiam ad fidem Eccleſiæ Catholicæ referri poſſe, quamvis ea ſpectent ad fidem Petri, quatenus erat Supremum Eccleſiæ Caput. Ad fidem ergo Eccleſiæ Catholicæ referri ea poſſunt, quatenus Eccleſiæ Catholicæ fides fidei Petri adhæret, qui, uti ait Boſſuetius, jubetur confirmare fratres, &, Primatu impoſito, tantam perſonam ſuſtinet. Nam in fide confirmatos ab eo principio pendere, a quo hujuſmodi confirmationem recipiunt, ex ſe perſpicuum eſt. Hinc S. Petrum, dum ſuper univerſam Eccleſiam juriſdictionem accepit, Eccleſiæ figuram, & perſonam geſſiſſe *propter Primatum, quem in diſcipulis habuit*, ſeu, *propter Apoſtolatus ſui Primatum* S. Auguſtinus in *Pſal.*108. num.1., & Tractatu 124. *in Joan.* num.5. affirmat. Quapropter ipſe unus Petrus totam Eccleſiam repræſentavit, quatenus ſuper omnes poſitus cum auctoritate fuit, atque ad ipſum ſpectabat univerſam Eccleſiam regere. Hoc autem munus tunc potiſſimum impletur, dum fratres in fide confirmantur, hoc eſt, dum quæ credi, aut non credi debent, univerſæ Eccleſiæ publica auctoritate denuntiantur. Ad Petrum autem, & ad Suc-

ceſſo-

cessores illius promissio Christi facta illis verbis: *Non deficiet fides tua*, ita pertinet, quatenus Supremum Magisterium super universam Ecclesiam cum suprema auctoritate habent, eorumque est super eam gerere Primatum tam honoris, & dignitatis, quam auctoritatis, & jurisdictionis. Unde, quemadmodum Cl. Orsius animadvertit in lib. 4. *De Romani Pontif. Auctorit.* cap. 35., sicuti illis verbis *Non deficiet fides tua*, singularis personæ Petri fides interior, & in ea usque ad obitum perseverans voluntas illius designari potest; ita etiam significatur indeficiens ipsius Petri fides, quatenus universæ Ecclesiæ personam, & figuram ille gerebat: attamen hic duplex intelligendi modus, qui apud nonnullos Patres occurrit, ei interpretationi nullo modo opponitur, qua hæc indeficiens promissio fidei ad eumdem Petrum refertur, quatenus in sua cathedra præsidet, supremum cum auctoritate magisterium super universam Ecclesiam habet, & in suis successoribus adhuc vivit, & fidei oracula pronuntiat. Unanimem enim in hanc rem Patrum traditionem habemus (1). Hujusmodi vero interpretatio est illa, quæ Bossuetio displicet, eamque præter omnem rationem e medio sublatam vellet, ne quam tuemur, Summi Pontificis infallibilitatem fateri cogatur.

Sibi vero Bossuetius non constat, dum affirmat, Petro dictum fuisse: *Non deficiet fides tua*, quatenus " Successores " in Primatu suos . . . singulari titulo repræsentabat ". Nam dum iisdem verbis singularem personam Petri designari dicit, cum S. Augustino *in fide liberrimam*, *fortissimam*, *invictissimam*, *perseverantissimam voluntatem* ipsi Petro tribuit: dum tradit eadem verba pertinere ad Petrum, quatenus universæ Ecclesiæ personam gerebat, illis idem significatum contendit, ac si diceretur: non deficiet Ecclesiæ Catholicæ fides: ergo etiam dum vult dictum Petro: *Non deficiet fides tua*, quatenus repræsentabat suos Successores in Primatu, inde necessario consequitur, ut Petri Successores dum eo munere funguntur, quod a successione habent, sint infallibiles. Quandoquidem illa non deficientia fidei, quæ promittitur, innixa est orationi

(1) Cit. loco.

tioni Christi, quæ procul dubio exaudita fuit: ergo ob eam fides indefectibilis esse debet tam in singulari persona Petri, & universa Ecclesia, quam in Petri Successoribus. Quum ergo hanc indefectibilem fidem in Romanis Pontificibus Bossuetius non admittat (1), inde sequitur, ut sibi non constet, dum tradit, verba illa: *Non deficiet fides tua*, ad Petrum dicta fuisse, quatenus Successores suos singulari titulo in Primatu repræsentabat.

At inquit Bossuetius (2), " Accipiendi Romani Pontifi-
" ces tamquam una persona Petri, in qua nunquam fides pe-
" nitus deficiat; atque ut in aliquibus vacillet, aut concidat,
" non tamen deficit in totum, quæ statim revictura sit. Nam
" & Petrus negavit, & incredulus fuit, postquam etiam au-
" divit illud: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*; sed statim
" exurgit confirmaturus fratres, atque omnium nomine com-
" munem prædicaturus fidem, sicut in Actis legimus. Sit er-
" go in Leone, sit in Agathone, sit in aliis egregiis Pontifici-
" bus Petrus fratres confirmans: sit etiam in Liberio, sit in
" Honorio Petrus ad horam nutans, & negans ". Id ergo ei nos ultro libenterque damus, Romanos Pontifices accipi posse sicuti unam personam Petri, qui & in sua Cathedra adhuc sedeat, & in suis Successoribus vivat: at vero ut in aliquibus Petri Successoribus in Primatu fides vacillet, aut concidat, dum ejusdem Primatus munere funguntur, nullo modo patiuntur illa Evangelica verba: *Non deficiet fides tua*, si ad Petrum referantur, quatenus *Successores in Primatu suos* repræsentabat. Nam nunquam futurum, ut Petrus, dum fratres confirmaret, Christus simpliciter, & Successorum ejus nulla distinctione facta, affirmavit: si igitur Romani Pontifices haberi debent sicuti una persona Petri, qui in sua adhuc Cathedra sedeat, omnes profecto ob promissionem Christi, nemine excepto, sunt æque Successores Petri: omnes a Petro æque repræsentabantur: æque omnibus dixit Christus in persona Petri non deficiet fides tua. " Petri fides (inquit Bossuetius in titulo ci-
" tati

(1) Cap. præced. §. 5. & seqq. (2) *Defensionis* &c. lib. 10., alias 15., cap. 5.

„ tati capitis) in Petri Sede, & in Successorum serie non de-
„ ficit". At in serie Successorum æque omnes Pontifices, nullo dempto, continentur: sibi ergo contradicit, dum affirmat, in aliquibus vacillare, aut concidere posse.

Petrus Christum quidem negavit; attamen quatenus, non secus ac ceteri Apostoli, qui, *relicto eo*, *fugerunt*, privatus homo erat, & munere cofirmandi fratres nullo modo defungebatur; ac propterea frustra Bossuetius exemplum illius opponit ad evincendum, quod vellet. Unde apposite ad rem nostram sane Cl. Orsius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib. 4. cap. 4. ita habet: " Deinde nec illud, ut omnes facile
„ intelligunt, probare possumus, quod Petri exemplum non
„ modo ex injuncto sibi divinitus munere fratres confirman-
„ tis, verum & ad horam vacillantis, Christumque negantis,
„ ad Romanos Pontifices in Petri Cathedra sedentes, inde-
„ que universam Ecclesiam solemniter, & ex officio docentes
„ accomodetur. Non enim Petrus universam Ecclesiam ex of-
„ ficio docebat, aut quidquam ab omnibus credendum decer-
„ nebat, quum Christum in atrio Principis Sacerdotum igna-
„ viter negavit. Sit ergo in Liberio, sit in Honorio Petrus ad
„ horam nutans, & negans: at eamdem in eis personam agat,
„ quam & ipse agebat, quum primum negavit, & vacillavit,
„ nimirum privati hominis, non Pontificis". At illud quoque non est prætereundum, Primatum totius Ecclesiæ nondum Petro collatum fuisse, quando Christum negavit. Nam *Matth.* cap. 16. se quidem suam Ecclesiam supra Petrum ædificaturum Christus promisit; verum tunc non ædificavit. *Lucæ* autem 22. cap. pro fide Petri, ne unquam deficeret, Christus oravit; verum anne ut tunc temporis fratres in fide confirmaret, Petro commisit? *Et tu aliquando*, inquit Christus, *conversus confirma fratres tuos*. Quando ergo Christus post suam resurrectionem a mortuis oves, & agnos pascendi curam, sicuti *Joannis* cap. 21. legitur, Petro commisit; tunc sane Primatum super universam Ecclesiam illi contulit, adimplevitque, quod *Matth.* cap. 16. promiserat, & *Lucæ* cap. 22. confirmaverat. Ex quibus sane illud semper magis magisque constat, quam

præ-

præter omnem rationem ex negatione Petri deducatur, Romanos Pontifices tunc etiam in fide labi posse, quando munus obeunt confirmandi alios.

Quomodo autem, & qua ratione Bossuetius dicat, Ecclesiam Romanam, quam Summi Pontifices docendam, & regendam susceperint, nunquam a vera fide avellendam, infra cap. 5. expendemus.

Ex his autem, quæ tam in hoc capite, quam in duobus præcedentibus disseruimus, constare arbitramur, quam longe a vero Febronius aberraverit, dum *De Statu Ecclesiæ &c.* cap. 1. §. 10. affirmavit, *varios textus, & loca Patrum*, quæ a Transalpinis, sicuti ipse dicit, ad probandam, & adstruendam infallibilitatem etiam soli Romano Pontifici in medium adducuntur, *in alium*, eumque *Catholicum sensum apte exponi* posse, & *de facto a plerisque Sanctis Patribus, & a celeberrimis Galliæ Theologis* exponi. Duo autem præmonenda quoad rem istam a se censet: " Primum: quod cadente Romani Pontificis Monarchia sacra, cui omnis antiquitas Ecclesiastica repugnat, etiam prætensa ejus infallibilitas nutet. Secundum: quod assertio Pontificiæ inerrantiæ parum practicæ utilitatis in Ecclesia habeat", quia sunt multi, qui in contraria sententia versantur.

Quod ergo spectat ad illum sensum ab ipso deprehensum in variis textibus, & in locis Patrum, eumque omnino diversum ab eo, quem ad adstruendam infallibilitatem Romani Pontificis Transalpini tuentur; est distinguendum: si enim velit, uti revera vult, nullo autem modo ostendit, Sacræ Scripturæ loca, ex quibus Transalpini certo, evidenterque colligunt, sicuti etiam nos fecimus, diversa ratione juxta sententiam Sanctorum Patrum intelligi oportere, ac iidem ipsi Transalpini intelligunt; uti certum assumit, quod omnino falsum est, sicuti constat ex iis, quæ in medium allata sunt a nobis. Si autem contendat, locorum Sacræ Scripturæ, atque etiam Sanctorum Patrum expositionem aliam a nostra eam esse, quam celeberrimi Galliæ theologi dederunt; ei non repugnamus: in illo tamen repugnamus, istiusmodi ex-

positionem obvio sensui Sacrarum Scripturarum, & interpretationi Sanctorum Patrum accomodatam esse. Nam inter hos celeberrimos Theologos Bossuetius est sane recensendus. Totam vero rationem illius, qua ad hanc rem spectantia Sacræ Scripturæ loca interpretatur, esse omnino alienam & ab eo sensu, quem ipsa ex se præseferunt, & in quo Sancti Patres acceperunt, jam confecimus. Sacra autem Monarchia Romani Pontificis non solum neque cadit, neque nutat, sed firmissimo fundamento innititur, hoc est, Divino verbo tum scripto, tum tradito (1), ac propterea una cum illa etiam infallibilitas firmissime consistit.

De eo autem, quod Febronius superaddit, hoc est, ad practicam utilitatem Ecclesiæ, parum referre Pontificiam inerrantiam, nunc ita paucis. Ea semel posita, constat Supremum Ecclesiæ Caput uti eo jure, quo revera potitur, dum nulla aliorum expectata consensione, suas de fide definitiones certo, firmissimeque credendas indicit, atque a cœtu Catholicorum eos avulsos declarat, qui eisdem assentiri noluerint: constat loco hæresis sine ulla dubitatione id habendum esse, quod ipse hæreticum esse pronuntiaverit: constat eo Capite Ecclesiam in fide sua regi, quo duce, nullo modo falli possit: constat demum ad cognoscendam firmitatem infallibilitatis eorum, quæ fidei sunt, neque valde laborandum, neque longum tempus impendendum, sicuti valde laborari, & multum temporis necessario impendi deberet, si de ea perspectum esse non posset, nisi simul Ecclesiæ consensus perspiceretur (1). Contrà vero si inerrantia, de qua loquimur, non admittatur, constat, Summum Pontificem non uti eo jure, quo revera potiatur, dum, nulla aliorum expectata consensione, suas de fide definitiones certo, firmissimeque credendas indicit, atque a cœtu Catholicorum eos avulsos declarat, qui eisdem assentiri noluerint: constat loco hæresis sine ulla dubitatione id haberi non debere, quod ipse hæreticum esse, nullo aliorum expectato consensu, pronuntiaverit: constat, non

(1) Lib. 20. cap. 4. (2) Rem ista infra hujus lib. cap. 7. uberius explicamus.

non eo Capite Ecclesiam in sua fide regi, quo duce, nullo modo falli possit: constat demum ad cognoscendam firmitatem infallibilitatis eorum, quæ fidei sunt, & multum laborandum, & plurimum temporis impendendum esse. Anne hæc omnia utrum priori, an hac altera ratione sese habeant, ad practicam utilitatem Ecclesiæ parum referunt? Febronius sane dicit; cum eo tamen nullus alius, qui utilitatem Ecclesiæ probe expenderit, sane dixerit.

CAPUT IV.

DE INFALLIBILITATE PONTIFICIORUM DE FIDE JUDICIORUM, HABITA RATIONE EORUM, QUÆ *Joannis* cap. 21. v. 11. & seqq. LEGUNTUR.

§. I. CUM Suprema præfectura, quam Petrus a Christo super universam Ecclesiam per hæc verba recepit: *Pasce oves meas: Pasce agnos meos*, ea, de qua nunc loquimur, infallibilitas necessario conjungitur.

Petrum a Christo recepisse Supremam præfecturam super universam Ecclesiam, dum ei Christus præcepit, ut tam oves, quam agnos pasceret, & apud omnes Catholicos compertum est, & pluribus nos jam ostendimus (1). Ex hoc autem consequi, ut in Petro fuerit, sit in Romanis Pontificibus (nam eodem modo ad eos, ac Petrum verba Joannis referri debent) (2) ea infallibilitas, de qua nunc contendimus, nemini non perspicuum esse debet. Quandoquidem semel ac Petrus in doctrina fidei falli potuisset, semel ac idem in successoribus ejus contingere posset; tunc procul dubio universa Ecclesia ab ipso sui initio habuisset, & nunc quoque haberet, talem Supremum moderatorem, atque gubernatorem, a quo in errorem induci posset. Suæ vero Ecclesiæ Christum ita non consuluisse, ut ab omni periculo erroris longe abesset, atque in fide deficere non posset, quisnam unquam dixerit? Cum Suprema ergo præfectura, quam Petrus a Christo super universam Ecclesiam per hæc verba recepit: *Pasce*

(1) Lib. 18. cap. 1. §. 8. & seq. (2) Lib. 19. cap. 2. §. 8.

agnos meos: *Pasce oves meas*, ea, de qua nunc loquimur, infallibilitas necessario conjungitur.

§. II. Quamvis etiam ceteris Apostolis, & successoribus illorum, datum sit Ecclesiam Dei regere; tamen propter id non oportet, ut privilegium infallibilitatis eisdem tribuatur.

Hoc discriminis inter ipsum Petrum, quatenus Supremum Ecclesiæ Caput ipse erat, & ceteros Apostolos intercedit, quod Petro datum fuit Suprema cura nemini subjecta pascendi tam oves, quam agnos, Apostolis vero, ut ubique omnes populos, Successoribus autem eorum, ut singularem sibi commissum gregem pascerent. Hæc autem potestas Apostolorum fuit, sicut etiam nunc est eorum, qui illis succedunt, ipsius Petri Supremæ potestati, quæ tum oves, tum agnos complectitur, omnino subjecta (1). Quapropter periculum erroris imminere quidem universæ Ecclesiæ potest, semel ac Supremus rector illius, atque gubernator errori obnoxius sit, non vero si sint errori obnoxii, qui sub ipso Petro Ecclesiam regunt. Quamvis ergo etiam ceteris Apostolis, & successoribus illorum datum sit, Ecclesiam Dei regere; tamen eis privilegium infallibilitatis non oportet, ut tribuatur.

§. III. In iis, quæ sunt fidei, non vero in aliis, prænunciatur indefectibilitas illis verbis: *Pasce oves meas*: *Pasce agnos meos*.

Etiam definitiones morum ad fidem referri oportere, jam animadvertimus (2). Est igitur attendendum, Ecclesiam in fide indefectibilem esse debere: hæc vero indefectibilitas facile infringi posset, semel ac Supremus Pastor illius tale ei doctrinæ pabulum non repugnaret, ut præberet, quod aliquo errore refertum foret. Dum autem vera fides persistit, etiam ipsa Ecclesia non deficit, & illud principium semper perseverat, qua aliæ virtutes, si extinctæ quodammodo sint, reviviscere possunt, ac propterea quoad istas quoque Supremum gubernatorem illius infallibilem esse nullo modo requiritur. In iis ergo, quæ sunt fidei, non vero in aliis, prænuntiatur indefectibilitas illis verbis: *Pasce oves meas*: *Pasce agnos meos*.

§. IV. In-

(1) Lib. 18. cap. 2. §. 8. (2) Hujus lib. cap. 1. §. 4.

§. IV. Infallibilitas Petri infallibilitati Ecclesiæ, & infallibilitas Ecclesiæ infallibilitati Petri, non solum non opponitur, sed est etiam quam maxime conformis.

De priori inde constat, quia ad infallibilitatem Ecclesiæ requiritur etiam infallibilitas illius Supremi Capitis, sicuti jam ostendimus (1): de altero etiam perspectum est, quia infallibilitas corporis non solum non adversatur infallibilitati sui Capitis, sed ad eam valde conducit. Stat ergo simul utraque infallibilitas, sibique invicem conformis est, atque ad firmitatem Catholicæ fidei quam maxime confert. Capiti tamen est tributa infallibilitas non propter se, sed propter corpus, corpori autem propter se. Ex his autem, quæ usque modo disseruimus de ea falsa suppositione constat, qua Febronius *De statu Ecclesiæ* cap. 1. §. 9. laborat, dum infallibilitatem a Romano Pontifice amovere contendit. Nam postquam multis ostendit, Ecclesiam infallibilem esse, atque hujusmodi donum habere a Deo, inde colligit, infallibilitate Ecclesiæ semel posita, e medio tolli non solum *ideam status Monarchici in Ecclesia, quæ inde a detecta Isidorianarum Decretalium plurimum vacillat*, sed etiam *unius irreformabile judicium in materiis fidei*. Ideam Monarchici status ab Isidorianis Decretalibus nulla ratione pendere, sed suum fundamentum, omnino fixum, atque stabile eam habere in Divino verbo tum scripto, tum tradito, est jam confectum a nobis (2). Nunc ergo tantum de falsa suppositione, qua Febronius laborat. Uti enim nemo non novit, in hac sua argumentatione falso supponit, fieri non posse simul, ut Ecclesia sit infallibilis, & in ea unius irreformabile judicium in materiis fidei etiam habeatur. Id autem tam longe a veritate abest, ut contrarium ejus, quod ipse vellet, ex infallibilitate Ecclesiæ omnino colligi debeat. Nam quemadmodum jam ostendimus, quia Ecclesia est infallibilis, Caput quoque ejus, & fundamentum, supra quod extructa est, infallibile sit oportet, eique etiam, quia unicum Caput, atque unicum fundamentum est, ratio Monarchici regiminis tribui debet.

§. V. Ni-

(1) Hujus cap. §. 1. (2) Lib. 20. cap. 4.

§. V. Nihil periculi in eo ineſt, quod infallibilitas in rebus fidei, quæ univerſam Eccleſiam attingunt, Summo Pontifici, qui unus tantum eſt, tribuatur.

Uſque modo oſtenſum eſt a nobis, promiſſionem ejus infallibilitatis, quam in Summo Pontifice propugnamus, a Chriſto Domino eſſe, qui in S. Petro ſuæ Eccleſiæ fundamenta poſuit, pro eo oravit, ne in fide deficeret, illique tam præcepit, ut ſuos fratres in fide confirmaret, quam ut & oves, & agnos paſceret. Semel ac autem de eo timendum ſit, quod ex Chriſti promiſſione habemus, non video ſane, de quonam tandem timeri non debeat. Unus ergo eſt Romanus Pontifex; tamen ſimul eſt etiam fons, & origo illius unitatis, qua Eccleſia continetur. " Nam (inquit Cyprianus „ epiſt.73.) Petro primum Dominus, ſuper quem ædificavit „ Eccleſiam, & unde unitatis originem inſtituit, & oſten- „ dit, poteſtatem iſtam dedit, ut id ſolveretur in cœlis, quod „ ille ſolviſſet in terris ". Epiſt.70. Baptiſma eſt unum, ait, unus Spiritus Sanctus, " Et una Eccleſia a Chriſto Domino „ ſuper Petrum origine unitatis, & ratione fundata ".

Tunc ergo certiſſimum totius Chriſtianæ fidei periculum adeſt, ſi vel unus Romanus Pontifex infallibilis non habeatur, dum quæ credenda ſunt, ſtatuit, atque decernit, contra ac Boſſuetius ſentit, qui *Defenſionis &c.* lib.10., alias 15., cap.5. affirmat, fidei non obfuturum, " Si aliquot Pontifices officio „ defuerint, atque a vera fide, eique conjuncta fidei profeſ- „ ſione, aut prædicatione aliquando aberravint ". Nam tunc vera fides, dum ſua ipſa membra regeret, in capite nutaret: membra autem errori obnoxia eſſe, ſemel ac ea a capite in errorem inducantur, nemo non perſpicit. Neque eſt, cur Boſſuetius dicat: " Stare Romanam fidem ab eorum Anteceſ- „ ſoribus ſtabilitam, ab eorum Succeſſoribus ſtatim vindican- „ dam ": nam quomodo factum fuiſſe datur, ut aliquot Pontifices officio defuerint, atque a vera fide, eique conjuncta fidei profeſſione, aut prædicatione aliquando aberrarint; non abſimili ratione contingere poteſt, ut idem quoque alius, & alius faciat. Neque eſt potior ratio, cur in uno, & non in alio, promiſſiones Chriſti fallantur. CA-

CAPUT V.

DE EA DISTINCTIONE, QUÆ A NONNULLIS PONITUR INTER SEDEM, CATHEDRAM, VEL ECCLESIAM ROMANAM, ET PONTIFICES, UT SUAM FALSAM OPINIONEM TUEANTUR.

§. I. SEdes Apoſtolica, Cathedra, & Eccleſia Romana ſecundum aliquam acceptionem a Romano Pontifice diſtingui poſſunt.

Inter alios (1), Boſſuetius *Defenſionis &c.* lib. 10., alias 15., cap. 5. Sedem a ſedente diſtingui debere affirmat, & contrariam ſententiam dicit eſſe errorem *multis jam veterum teſtimoniis ſublatum*, atque S. Leonem epiſt. 80., alias 53. dicentem: *Aliud ſunt Sedes, aliud Præſidentes*, in medium adducit. Unde in ſequentibus capitibus totus in eo eſt, ut ex ipſa traditione evincat, Patres non de Romano Pontifice, ſed de Romana Eccleſia, & Sede Apoſtolica *nunquam defectura* fuiſſe loquutos, dum quæſierunt *illud immotum in fide, quod Eccleſiæ principali, Romanæ ſcilicet, ineſſe neceſſe ſit*. Hoc enim ſemel poſito, & illo altero ſimul conſtituto, Sedem a ſedente diſtingui, duo ſe confeciſſe arbitratur; hoc eſt, & Summum Pontificem infallibilem non eſſe, & nihil contra evinci poſſe ex illis Patrum teſtimoniis, quæ ad adſtruendam infallibilitatem Summi Pontificis afferri ſolent. Nunc ergo ut omnis confuſioni locus tollatur, in quo Sedes a ſedente diſtingui poſſit, & debeat, videamus.

Nomine Sedis, prout hìc de ea loquimur, locus ille intelligi poteſt, in quo ſedet, qui ceteris præeſt, dum ſui regiminis munere fungitur. Hac autem acceptione ſi ſumatur Sedes, diſtingui a Romano Pontifice Sedem Apoſtolicam, nemo non novit. Cathedræ quoque acceptio talis eſſe poteſt, ut per eam intelligatur ille locus, in quo ſedet cum præeminentia

(1) Alliacenſis hujus opinionis auctor fuiſſe videtur in *Tract.*, ſeu *Apologia ad Papam, & Cardinales* tom. 1. Oper. Gerſonis edit. Antuerpien. Eam deinde ſequuti ſunt, qui infallibilitatem in rebus fidei Summo Pontifici denegarunt. Videatur Orſius *De Romani Pontif. Auctorit.* lib. 4. cap. 13. art. unico.

nentia ceterorum, qui personam magistri gerit. Quia vero magisterii Sedes idem non est cum magistro in ea sedente; ideo etiam Cathedra juxta hunc sensum a Romano Pontifice distinguatur oportet. Ecclesiæ vero nomine, si illud latiori sensu accipiatur, universa Ecclesia Catholica unitate fidei, & communionis cum Romano Pontifice, sicuti cum suo capite consociata, intelligitur, quæque propterea etiam Romana vocatur; vel accipitur Ecclesia secundum minus latam significationem; & tunc nomine Ecclesiæ veniunt Episcopi alicujus nationis una cum Clero, & plebe sibi subjectis, vel designatur aliquis singularis Episcopus una cum Clero, & plebe commissis regimini illius. Sicuti ergo juxta hanc significationem quævis Ecclesia non est aliquid idem cum suo Episcopo; ita etiam Ecclesia Romana non est aliquid idem cum Romano Pontifice.

§. II. Sedes Apostolica, Cathedra, & Ecclesia Romana idem sunt cum Romano Pontifice, si ad judicia, definitionesque fidei attendamus.

Sedem Apostolicam, Cathedram, & Ecclesiam Romanam a Romano Pontifice distingui debere, etiamsi de judiciis, definitionibusque fidei sermo sit, ii omnes Theologi censuere, qui *Cleri Gallicani causam defendendam* susceperunt (1). Contra communem tamen notionem nos esse tuemur, ut habita ratione doctrinæ, Sedes a sedente, Cathedra a Præceptore, Ecclesia a suo Episcopo distinguatur. Neque enim a Sede, sed ab eo, qui in illa quiescit, dum alios docet, doctrinæ præcepta proponuntur. Ille sane est, qui refutat errores, dubia explicat, difficultates resolvit, doctrinæ veritatem proponit, atque statuit, quid sentiendum tenendumque sit. Hæc vero omnia etiam ad Sedem, sensu tamen minus proprio, referuntur, & ipsius sedentis habita semper ratione. Neque etiam Cathedra disputat, longas ratiocinationes instituit, aliorum placita refert, illa rejicit, aut amplectitur, quidque verum sit, determinat: sed, qui Cathedræ onus sustinet, ille profecto est, qui hæc omnia perficiendo laborat, quique laboravit, ut ea

(1) Vide Orsium *De Rom. Pontif. Auctorit.* lib. 4. cap. 13. art. unico.

ut ea recte perficere posset. Cathedræ ergo quæ doctrinæ præcepta tribuuntur, non ob eam tribuuntur, sed propter illum, qui eamdem regit, atque moderatur. Pastorum tandem esse in Ecclesia docere, nemo ignorare potest. Hinc est, ut qui in Ambrosiana, qui in aliis Ecclesiis singulares ritus servantur, ritus quidem Ambrosianæ, aut alterius Ecclesiæ esse dicuntur; eorum tamen institutio non ad plebem, vel Clerum referri debet, sed ad Præsules earumdem Ecclesiarum. Quondam Africana Ecclesia, vel saltem quædam pars illius eo in errore fuit, ut baptizatos ab hæreticis esse iterum baptizandos censuerit: at a quibusnam hic error suam originem habuit, & propagatus, atque propugnatus tanta animorum contentione fuit? Ab iis profecto, qui Africæ Ecclesias regebant, & moderabantur. Hic ergo ritus, hæc doctrina illius, aut alterius Ecclesiæ esse dicitur, quia iisdem adhærent illi omnes, qui ad eas Ecclesias pertinent, quatenus tamen eorum doctrinam sequuntur, quibus ipsi subesse debent. Nam juxta præceptum Apostoli Pauli (1) quemadmodum ceterorum Fidelium est, obedire suis Præpositis, & subjacere eis; ita est etiam Præpositorum (2), attendere lectioni, exhortationi, & doctrinæ, ac (3) prædicare verbum, instare opportune, importune, arguere, obsecrare, increpare in omni patientia, & doctrina.

Et re quidem tota ratio doctrinæ instar cujusdam somnii habenda erit, semel ac dum de ea agitur, Sedes, Cathedra, & Ecclesia unum quid esse non accipiantur cum sedente, Doctore, & Præsule, ita ut ob sedentem, Doctorem, & Præsulem, Sedi, Cathedræ, Ecclesiæ doctrina non tribuatur. Somniare enim illum recte diceremus, qui ab ipsa Sede, vel Cathedra, in qua magister tradit doctrinæ præcepta, plura se didicisse affirmaret. Si vero in hac sua insipientia persisteret, jam non solum eum somniare, sed etiam ineptissime insipientem esse affirmaremus, & de insipientia illius occasionem ludendi fortasse accipientes, ab eodem quæreremus, quo tempore Sedes, vel Cathedra disputat, quo vero silet, qui-

(1) *Hebræor* cap. 13. v. 17. (2) I. *ad Timot.* cap. 4. v. 13.
(3) II. *ad Timot.* cap. 4. v. 2.

nam ſit ſonus vocis illius, quænam copia differendi, aliaque multa hujus generis ab eodem eo uſque peteremus, quo de ſtultitia ejus jocum ſumere vellemus. Eccleſiæ autem nomine vel univerſalis, vel ſingularis unaquæque Eccleſia intelligitur: ſi de univerſali loquamur, eam componunt omnes Fideles, qui profeſſione ejuſdem Chriſtianæ fidei, & eorumdem communione ſacramentorum ſub regimine legitimorum Paſtorum, & præcipue Romani Pontificis inter ſe colligati ſunt: ſingularem vero ſinguli Fideles alicui peculiari Paſtori ſubjecti conſtituunt. Si quis ad omnia membra Eccleſiæ tam univerſalis, quam ſingularis doctrinam univerſalis, vel ſingularis Eccleſiæ ita referat, ut vel a Supremo Præſule univerſalis, vel a peculiaribus Præſulibus ſingularum Eccleſiarum, ſuum eam principium habere, propagari, & diffluere in alios nolit, atque contendat membrorum tam univerſalis, quam ſingularis cujuſque Eccleſiæ propriam eſſe doctrinam; hic profecto membris tribueret, quod eis ſecundum ſe ſpectatis nullo modo convenit, ſed ſolummodo propter caput, cui conjunguntur, ac propterea non aliter, ac ille, qui Sedem, vel Cathedram docentem faceret ob doctrinam præceptoris, membra docentia conſtitueret ob doctrinam ſui capitis. Ex his vero omnibus nemini non perſpectum eſſe debere arbitramur, Sedem Apoſtolicam, Cathedram, & Eccleſiam Romanam idem eſſe cum Romano Pontifice, ſi ad judicia, definitioneſque fidei attendamus. " Secreta enim (ſicuti inquit Thomaſſinus *Diſ-* „ *ſert.* 20. *in Synodum VI. Œcumenicam* num. 18.) a Pontifice, „ & Pontificio Clero ſedes inane figmentum eſt, vacuumque „ ſimulacrum, & ſine mente ſonus ".

§. III. Nomine Sedis, Cathedræ, & Eccleſiæ Romanæ Romanos Pontifices intellexerunt Patres, dum vel de doctrina fidei, vel de iis, quæ ad illam ſpectant, ſermonem haberent. Eadem etiam recentiorum auctorum ſententia fuit.

Patres Synodi Sardicenſis in epiſtola ad Julium I. (1): „ Hoc enim optimum (inquiunt) & valde congruentiſſimum „ eſſe videbitur, ſi ad caput, id eſt, ad Petri Apoſtoli Se- „ dem,

(1) Apud Couſtantium in *Collect. epiſt. Rom. Pont.* epiſt. 3. num. 1.

„ dem, de ſingulis quibuſque provinciis Domini referant Sa-„ cerdotes “. Epiſcopi Africani in priori Synodo Carthaginenſi ita habent in epiſtola ad Innocentium I., dum illum certiorem faciunt de iis, quæ a ſe conſtituta erant (1): „ Hoc „ itaque geſtum, Domine Frater ſancte, charitati tuæ intimandum duximus, ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam „ Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda ſalute „ multorum, & quorumdam perverſitate etiam corrigenda “. Patres Concilii Milevitani, dum eidem Innocentio exponunt errorem inimicorum gratiæ Chriſti, ita habent (2): “ Hæc ad „ Sanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus, „ imitantes Carthaginenſem Eccleſiam, & Carthaginenſis „ provinciæ Coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam, quam beatus illuſtras, de hac cauſa ſcripſiſſe compe-„ rimus “. Epiſcopi Tarraconenſes in epiſtola ad Hilarium Papam ſucceſſorem S. Leonis de ordinatione Epiſcopi per Silvanum Calaguritanum Epiſcopum contra regulas Patrum facta (3): “ Etſi (inquiunt) nulla extaret neceſſitas diſciplinæ „ Eccleſiaſticæ, expetendum revera nobis fuerat illud privi-„ legium Sedis veſtræ, quo, ſuſceptis regni clavibus poſt re-„ ſurrectionem Salvatoris, per totum orbem Beatiſſimi Petri „ ſingularis prædicatio univerſorum illuminationi proſpexit .... „ Proinde quia his præſumptionibus, quæ unitatem dividunt, „ quæ ſchiſma faciunt, velociter debet occurri: quæſumus „ Sedem veſtram, ut quid ſuper hac parte obſervari velitis, „ Apoſtolicis affatibus inſtruamur ..... Erit profecto veſter „ triumphus, ſi Apoſtolatus veſtri temporibus, quod S. Petri „ Cathedra obtinet, Catholica audiat Eccleſia, ſi novella „ zizaniorum ſemina fuerint extirpata “. Gallicani Patres in II. Arauſicano Concilio congregati ad condemnationem errorum Fauſti Rejenſis ita habent (4): “ Unde id nobis ſecundum „ admonitionem, & auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, juſtum, „ ac rationabile viſum eſt, ut pauca capitula ab Apoſtolica „ nobis

(1) Apud eumdem epiſt. 15. num. 1. inter epiſt. Innoc. I. (2) Apud eumdem epiſt. 27. num. 3. (3) Tom. 1. Concil. edit. Harduini colum. 787. (4) Apud Sirmondum tom. 1. Concil. Galliæ.

„ nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus de sanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipue causa collata sunt, ad docendos eos, qui aliter, quam oportet, sentiunt, ab omnibus observanda proferre, & manibus nostris subscribere deberemus". Cum Patribus in Conciliis congregatis etiam Summi Pontifices eamdem loquendi rationem quoad rem istam tenuerunt (1). " Quamvis (inquit Zosimus) „ Patrum traditio Apostolicæ Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per canones semper regulasque servaverit, & currens adhuc suis legibus Ecclesiastica disciplina Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam, quam debet, exsolvat. Tantum enim huic Apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentia, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut & ligata solveret, & soluta vinciret; par potestatis data conditio in eos, qui Sedis hæreditatem, ipso annuente, meruissent..... Quum ergo tantæ auctoritatis Petrus caput sit, & sequentia omnium majorum studia firmaverit, ut tam humanis, quam Divinis legibus, & disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cujus locum nos regere, ipsius quoque potestatem nominis obtinere, non latet vos ". Bonifacius in epistola ad Rufum (2) Sedem Romanam affirmat consultam fuisse, dum Romani Pontifices consulti fuerunt: " Sed quia res postulat (inquit (approbandum documentis est, maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majori, Sedem semper consuluisse Romanam, & quoties usus exegit, ejus auxilium postulasse. Sanctæ memoriæ Athanasius, & Petrus Alexandrinæ Sacerdotes Ecclesiæ, hujus Sedis auxilium postularunt. Quum Antiochena Ecclesia per multum temporis laboraret, ita ut fierent illinc propter hoc ipsum sæpe discursus, primo sub Meletio, postea sub Flaviano, Apostolicam Sedem manifestum est esse consultam. Ad cujus auctoritatem post multa, quæ ab Ec-
„ cle-

(1) Apud Coustantium in *Collect. epist. Rom. Pont.* epist. 12. num. 1.
(2) Apud eumdem epist. 15. num. 16.

„ clesia nostra gesta sunt, nemini dubium est, Flavianum communionis gratiam recepisse “. Tandem Cælestinus in epistola ad Populum Antiochenum (1), quæ erga S. Athanasium a Romano Pontifice gesta fuerant, a Sede Apostolica gesta fuisse dicit: “ Denique (ait) hic ei redintegratus est status, & „ in hac Sede requiem communionis invenit, a qua semper „ Catholicis subvenitur “. S. Hieronymus vero in epist. 15. ad Damasum, alias 57., num. 2. ipsum rogans, ut sibi significaret, utrum tres hypostases in Deo dicendæ essent, vel tacendæ, ita habet: “ Ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apo„stolico ore laudatam censui consulendam; inde nunc meæ „ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta su„scepi. Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitu„dini tuæ, id, Cathedræ Petri, communione consocior “.

Ad recentiores auctores nunc descendamus, qui sunt propugnatores hujus distinctionis inter Sedem, & Romanum Pontificem. Petrus de Alliaco in *Proposit. facta in Consistorio contra M. Joannem de Montesono* num. 1. (2): “ Non ignoramus „ enim, (ait) sed firmissime tenemus, & nullatenus dubita„mus, quod sancta Sedes Apostolica est illa Cathedra Petri, „ supra quam eodem Hieronymo teste fundata est Ecclesia .... „ De qua Sede in persona Petri Apostoli in ea sedentis dictum „ est: *Petre, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* “. Quapropter & ipse quoque concedit, quod de Petro dictum fuit, etiam de Sede, & Cathedra dictum fuisse. Unde etiam paulò ante profitetur, id omne, quod scripturus est, “ Totum cor„rectioni, & judicio Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Sum„mi Pontificis humiliter “ submittere. Quid? etiam ipse Bossuetius ipsius rei evidentia quodammodo perstrictus, nolens omnem distinctionem abstulit inter sedem Romanam, & Romanum Pontificem. Nam *Defensionis &c.* lib. 10., alias 15., cap. 5. dum Sedem a Sedente distinguit, simul etiam inter Sedem & sedentem, doctrinæ habita ratione, omnem distinctionem

(1) Apud eumdem epist. 15. num. 7. (2) Tom. 1. Oper. Gersonii edit. Antuerpien. an. 1706. pag. 703.

nem tollit: " Neque vero (inquit) distinguimus a Romano-
„ rum Pontificum fide Romanæ Ecclesiæ fidem; quam scilicet
„ non aliter quam a Petro primo, atque a Petri Successori-
„ bus Romani didicerint ". Profecto, habita ratione doctrinæ fidei, Ecclesiam a Præsule, Sedem a sedente non distingui contendimus: at vero, Bossuetio consentiente, Romanæ Ecclesiæ fides non distinguitur a fide Romanorum Pontificum: ergo ipse quoque dum hoc idem negat, nobiscum simul contendir, Sedem a sedente non distingui. Hoc etiam confirmatur ex iis, quæ in eodem capite ipse Bossuetius præmittit:
„ Neque propterea dicimus, ipsam Sedem aliquid exercere
„ posse potestatis, aut jurisdictionis aliter, quam per ipsum
„ præsidentem ". Non est ergo alia jurisdictio Sedis, alia sedentis, sed una, ac eadem, immo si proprie loquamur, Sedis nulla jurisdictio est, sed tota sedentis, & a sedente tota exercetur. Ejus autem jurisdictionis ratio hìc habetur, quæ circa doctrinam, & fidei potissimum, versatur: semper ergo magis magisque constat, si ad doctrinam attendatur, Sedem a sedente distingui nullo modo posse.

§. IV. Etiam ex illis Patribus, quos Bossuetius in medium adducit ad adstruendam traditionem *de fide, & Ecclesia Romana, deque Sede Apostolica nunquam defectura*, manifeste constat, vel nomine Sedis, Cathedræ, & Ecclesiæ Romanæ Summos Pontifices esse intelligendos, vel ad Summos Pontifices primo referenda esse, quæ ab iisdem de Sede, Cathedra, & Ecclesia Romana affirmantur, si agatur de doctrina fidei, vel de aliis, quæ ad illam aliquo modo spectant.

Defensionis &c. lib. 10., alias 15., cap. 6. hæc loca Patrum in medium adducit. S. Irenæus dum Romanam Ecclesiam celebrat, lib. 3. *Contra Hæreses* cap. 3. num. 2. " Ad hanc
„ enim Ecclesiam (inquit) propter potentiorem principalita-
„ tem necesse est omnem convenire Ecclesiam ". Tertullianus *De Præscript. Hæreticorum* cap. 16. " Habes Romam, unde
„ nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Eccle-
„ sia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profu-
„ derunt "! Cyprianus epist. 45. ad Cornelium: " Navigare
„ audent

„ audent ad Petri Cathedram, & ad Ecclesiam principalem, „ unde unitas Sacerdotalis exorta est “. Optatus Milevitanus lib.2. *De schismate Donatistarum* cap.2. unicam, & singularem eam cathedram dicit, in qua Petrus omnium primus insederit *caput Apostolorum*. Concilii Aquilejensis Patres ita Augustos rogant: “ Totius orbis Romani caput Romanam „ Ecclesiam, atque illam Sacrosanctam Fidem Apostolorum, „ ne turbari fineret, obsecranda fuit vestra Clementia: inde „ enim in omnes venerandæ communionis jura dimanant “. Hieronymus epist.15., alias 57., ad Damasum *Cathedram Petri*, *& fidem Apostolico ore laudatam* consulendam censuit: Epist. ad Theophilum 63., alias 68., scribit. “ Se Patrum „ non transire terminos, semperque meminisse Romanam fi„ dem Apostolico ore laudatam, cujus se esse participem Ale„ xandrina Ecclesia gloriatur “. Augustinus epist.43., alias 162., num.7. veneratur Romanam Ecclesiam, *in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus*. Hanc celebrat Gelasius epist.4. ad Anastasium Imperatorem confidentissime scribens: *Quia mundo radix est Apostoli Petri gloriosa confessio*. Idem confirmat etiam in epist. ad Euphemianum. Stephanus Metropolita Larissæus ad Bonifacium II., & Synodum Romanam hæc habet: “ Dixi, quia auctoritas Sedis Apostolicæ, quæ a „ Deo, & Salvatore nostro summo Apostolorum data est, „ omnibus sanctarum Ecclesiarum privilegiis antecellit, in „ cujus confessione omnes mundi requiescunt Ecclesiæ “. Huc quoque spectat illud Gelasii: “ Præstans Sedi, (Petrus) „ quam ipse benedixit, ut portis inferi nunquam pro Do„ mini promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium „ tutissimus portus “.

Ad hæc omnia non multis. Irenæus lib.13. *Cont. Hæreses* cap.3. num.1. affirmat, Apostolos *latenter a reliquis* plura tradidisse iis, *quos successores relinquebant*, *suum ipsorum locum magisterii tradentes*. Quia vero, inquit num.2. ad investigandas traditiones nimis longum esset, enumerare successiones omnium Ecclesiarum, id præstare se velle dicit quoad Romanam tantum Ecclesiam, ut hac ratione omnes de suo errore con-

confusi, & convicti remaneant, quoniam ad hanc Ecclesiam propter potiorem, vel potentiorem principalitatem necesse est convenire eos, qui sunt undique Fideles, quum in illa conservata sit traditio, quæ est ab Apostolis. Hoc autem semel constituto, Episcopos, qui Petro successerunt usque ad Eleutherum num.3. recenset, atque ita concludit: " Hac ordinatione, & successione ea, quæ est ab Apostolis, in Ecclesia traditio, & veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam, & eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata, & tradita in veritate ". Quæro nunc ego, ad quodnam tandem caput doctrinam Ecclesiæ Romanæ, quæ habet potiorem, vel potentiorem principalitatem, & ad quam omnes convenire debent, Irenæus revocat? Ad Petrum sane, & Successores illius.

Quæ autem Irenæi eadem & Tertulliani ratio fuit. Præmiserat Tertullianus, Ecclesias Apostolicas percurrendas, ut de Apostolica traditione constare posset, quoniam in eis suam Apostoli doctrinam deposuerant. Superfluum tamen censet, immorari in singulis Ecclesiis, sed in una Romana sistit, eamque illis verbis, quæ Bossuetius refert, quam maxime extollit. In Ecclesia autem Romana Apostolica dogmata servata fuisse, non secus, ac Irenæus, ex successione Episcoporum recte conjicit: qua quidem quum hæretici destituti sint, non minus recte infert cap.36. eos habendos uti extraneos, atque interpretes falsæ doctrinæ. Unde Tertullianus semper Irenæum sequutus Romanæ Ecclesiæ doctrinam ad Petri Successores in Episcopatu, uti ad suum Caput, atque fundamentum revocavit.

Cyprianus quum dicit: ***navigare audent ad Petri Cathedram***, de quibusnam loquitur? De Felicissimo sane, atque aliis cum eo una simul in scelere consociatis. Isti autem ad quemnam tandem navigaverant? Ad Cornelium profecto. Cornelius enim Felicissimum una cum sociis a se ejecit, & ab Ecclesia expellendum mandavit (1). Vult ergo Cyprianus nomine cathedræ Pontificem ei insidentem intelligere.

(1) Legatur initium cit. epist.

Opta-

Optatus Milevitanus lib.2. cap.2. " In urbe Roma Petro
„ primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sede-
„ rit omnium Apostolorum caput Petrus: in qua una cathe-
„ dra unitas ab omnibus servaretur, " non alia profecto ratione dixit, nisi quia unus Petrus in ea Cathedra sedit, deinde Successores illius, quos sicuti Irenæus, & Tertullianus fecerat, deinde enumerat. " Ergo (inquit) Cathedra uni-
„ ca, quæ est prior de dotibus. Sedit prior Petrus, cui suc-
„ cessit Linus &c. " Unde ad Petrum, & Successores illius eam unitatem refert, quam ab omnibus servandam dicit.

Patres Concilii Aquilejensis ab Ecclesia Romana jura communicationis proficisci affirmant, quia huic Ecclesiæ præest, qui Petro succedit (1).

Cujusnam vero sententiam Hieronymus exquirit, dum Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam consulit? Damasi profecto: ab eo sane quærit, quid de tribus hypostasibus sentiendum sit. Unde in fine epistolæ num.5. ita habet:
„ Quamobrem obtestor beatitudinem tuam per crucifixam
„ mundi salutem, per homousian Trinitatem, ut mihi epi-
„ stolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon
„ detur auctoritas ". Quo autem sensu S. Hieronymus Petri Cathedram consulit, etiam se meminisse dicit, Romanam fidem Apostolico ore laudatam.

In Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguisse principatum, Augustinus quidem affirmavit: attamen in lib. *Contra epistolam Fundamenti* num.5. ait, quod inter alia se in Ecclesia Catholica teneret, " Ab ipsa Sede Petri Aposto-
„ li, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus
„ commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio
„ Sacerdotum ". Quibus hæc alia affinia sunt, quæ habet S. Doctor in libro *De Utilitate credendi* num. 35. " Dubitabi-
„ mus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad con-
„ fessionem generis humani ab Apostolica Sede per successio-
„ nes Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus...
„ culmen auctoritatis obtinuit "? Ex quibus constat, Augu-

(1) Vide epist. tomo 3. Concil. edit. Harduini col.837.

ſtinum referre auctoritatem Sedis ad Petrum, & ad non interruptam ſeriem Succeſſorum illius.

Gelaſius dum, ſicuti æquo jure poterat, Petri confeſſionem celebrat, ſimul Imperatorem certiorem facit, ſe curare, ut hujuſmodi confeſſio *nulla rima pravitatis*, *nulla prorſus contagione maculetur* (1), & in fine epiſtolæ eadem ſibi, ac Sedi Apoſtolicæ tribuit. In epiſtola autem ad Euphemianum Sedis Apoſtolicæ auctoritatem refert ad eam poteſtatem ligandi, & ſolvendi, quam a Chriſto Petrus accepit, atque affirmat a Pontificibus, & præcipue a B. Petri Vicario cognoſci debere, quæ Divina ſunt (2).

Stephanus Lariſſæus dicit quidem, auctoritatem Apoſtolicæ Sedis omnium Eccleſiarum privilegiis antecellere; verum eam a Deo, & Salvatore datam affirmat *Summo Apoſtolorum* (3), atque ad Bonifacii auctoritatem confugit, ut ſententiam injuſte contra ſe latam reſcindat. Unde hæc quoque antea habet ad eumdem Bonifacium ſcribens (4): " Quia Domino dicente tertio: *Amas me? paſce oves meas*; tradidit
„ prius vobis mandatum oſtendens, & per vos deinde omnibus per univerſum mundum ſanctis Eccleſiis condonavit.
„ Denique per hoc quia venerabiles effecti ante vos, & quanti
„ illam ſanctam Sedem habere meruerunt, corpore quidem
„ in Romana glorioſa degentes civitate, ſpiritu autem ea,
„ quæ agebantur, omnia ornantes, & tranſgreſſi; ac plurimi
„ ex corpore Eccleſiæ ab inimicorum calumniantium violentia ſunt liberati a Deo, & venerabili Apoſtolica Sede ".

Gelaſius epiſt. 8., ſive in Tractatu (5) hæc habet, quæ quidem omnia etiam a Boſſuetio referuntur: " Duodecim
„ certe fuere Apoſtoli, paribus meritis, parique dignitate
„ ſuffulti. Quumque omnes æqualiter ſpiritali luce fulgerent,
„ unum tamen principem eſſe illis voluit Chriſtus, eumque
„ diſpenſatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut in præcipua urbe, vel prima primum, & præcipuum
„ diri-

(1) Tom. 2. Concil. edit. Harduini colum. 894. (2) Cit. tomo colum. 879. (3) Cit. tomo colum. 1116. (4) Cit. tomo col. 1111.
(5) Apud Sirmondum in Append. Cod. Theodoſ.

„ dirigeret Petrum. Ibique ſicut doctrinæ virtute ſublimis „ emicuit; ita ſanguinis glorioſa effuſione decoratus, æter- „ no hopitio conquieſcit, præſtans ſedi, quam ipſe benedi- „ xit, ut a portis inferi nunquam pro Domini promiſſione „ vincatur, omniumque ſit fluctuantium tutiſſimus portus". Tutiſſimus, inquam, portus: miniſterio tamen, & auctoritate eorum, qui ſuccedunt Petro, qui, uti antea inquit Gelaſius, & auctoritate *Matt.* cap.16. v.18., *Lucæ* cap.22. v.32. *Joannis* cap.21. v.17. confirmat, fuit caput omnium conſtitutus, ut ſchiſmatis tolleretur occaſio, " Et una monſtraretur „ compago corporis Chriſti, quæ ad unum caput glorioſiſſi- „ ma dilectionis ſocietate concurreret".

Boſſuetius citati lib. cap. 7. libellum illum commemorat, quem Hormiſdas miſit ad Eccleſias Orientales, & iſtæ ad illum ſubſignatum remiſerunt. In iſto ergo libello hæc leguntur: „ Prima ſalus eſt, rectæ fidei regulam cuſtodire, & a Patrum „ traditione nullatenus deviare; quia non poteſt Domini no- „ ſtri Jeſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis: *Tu es Petrus,* „ *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Hæc, quæ di- „ cta ſunt, rerum probantur effectibus; quia in Sede Apo- „ ſtolica immaculata eſt ſemper ſervata religio". Poſt hæc ita Boſſuetius: *ergo ut ſemper ſervaretur, ad hac Chriſti promiſſa referunt*. Poſtea hæc alia ex eodem libello ſuperaddit: " Un- „ de ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & prædican- „ tes ejus omnia conſtituta, ſpero, ut in una communione „ vobiſcum, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe merear, „ in qua eſt integra, & vera Chriſtianæ religionis ſoliditas".

Ut ergo religio in Sede Apoſtolica ſemper immaculata ſervaretur, ad promiſſa quidem Chriſti refertur, quemadmodum etiam Boſſuetius contendit: verum cuinam Chriſtus hujuſmodi promiſſionem fecit? an fortaſſe Eccleſiæ Romanæ? Petro ſane dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Id autem probatur effectu, quia in Sede Apoſtolica ſemper conſervata eſt immaculata religio. Petrus ergo ejuſque Succeſſores ſunt illud principium, propter quod in

Sede Apoſtolica religio ſemper conſervata eſt immaculata: igitur quod de conſervatione immaculatæ religionis in Sede Apoſtolica affirmatur, eſt primo tribuendum Petro, deinde Apoſtolicæ Sedi, ac propterea propter Petrum eſt in Apoſtolica Sede integra, & vera Chriſtianæ religionis ſoliditas.

Cap. 8. animadvertit idem Boſſuetius in Synodo Lateranenſi ſub Martino I. *Secretario* 2. lectas fuiſſe litteras Epiſcoporum Cypriorum ad Theodorum Papam, in quibus iidem Præſules ita habent: " Firmamentum a Deo fixum, & im„ mobile, atque tituli formam lucidiſſimam fidei, veſtram „ Apoſtolicam Sedem conſtituit Chriſtus Deus noſter, dicens: „ Tu es Petrus &c. ". In litteris vero Patrum Africanorum lectis in eodem *Secretario* hæc habentur: " Magnum, & inde„ ficientem omnibus Chriſtianis apud Apoſtolicam Sedem „ conſiſtere fontem nullus ambigere poteſt, de quo rivi pro„ deunt affluenter, latiſſime irrigantes orbem Chriſtianum ". Stephanus Epiſcopus Dorenſis, ut occurreret perturbationi inductæ in Oriente a Sergio, Pyrrho, & Paulo, ſe ad Sedem Apoſtolicam acceſſiſſe in eodem Concilio teſtatur, quoniam Petrus Princeps Apoſtolorum claves a Deo ſortitus fuit, & curam primus omnium paſcendi oves: " Et ipſe præcipue, ac „ ſpecialiter firmam præ omnibus habens in Dominum Deum „ noſtrum fidem, convertere aliquando, & confirmare exa„ gitatos conſortes ſuos, & ſpirituales meruit fratres, utpo„ te diſpenſative ſuper omnes ab ipſo, qui propter nos incar„ natus eſt Deus, poteſtatem accipiens, & Sacerdotalem au„ ctoritatem ". *Hoc igitur fundamento poſito*, *ſubdit*, inquit Boſſuetius: " Quod utique ſciens beatæ memoriæ Sophronius „ quondam Patriarcha ſanctæ Chriſti Dei noſtri civitatis.... „ alligavit me vinculis inſolubilibus dicens..... quantocius „ ergo de finibus terræ ad terminos ejuſdem deambula, do„ nec ad Apoſtolicam Sedem, ubi orthodoxorum fundamen„ ta exiſtunt, pervenias &c. ". Superaddit Boſſuetius, Agathonem ad VI. Synodum hæc ſcripſiſſe, quæ Synodi VI. Patres venerati fuere: " Quod Petro adnitente, Apoſtoli-

„ ca

„ ea ejus Ecclesia nunquam a veritate deflexa sit: quod ejus „ auctoritatem, & doctrinam Catholica Ecclesia, & Œcumenicæ Synodi semper amplexæ sint; quod eadem Ecclesia „ semper illibata permanserit propter eam Christi promissio- „ nem: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*". Ultimo tandem Bossuetius Benedictum XII. hæc habentem postquam sanctis, & animabus nulli pœnæ amplius obnoxiis visionem beatificam asseruit (1): "Pro qua (Ecclesia) ut in se ipsa subsistens „ alios informaret, passionis suæ tempore Salvator noster Je- „ sus Christus Patrem exorasse perhibetur, dicens: *Simon, Si-* „ *mon &c. Ego autem rogavi pro te &c.*".

At hisce omnibus non quod Bossuetius contendit, sed quod nos volumus, confirmatur. Nam in primo loco unde repetitur firmitas, & immobilitas Apostolicæ Sedis? Ab eo sane quod Christus Petro dixit: *Tu es Petrus &c.* Unde Petri, & Successorum ejus habita ratione, forma lucidissima fidei Sedes Apostolica dicitur. Africani vero Patres post ea, quæ Bossuetius commemorat, hæc statim superaddunt (2): "Cui etiam „ in honorem beatissimi Petri Patrum decreta peculiarem „ omnem decrevere reverentiam in requirendis Dei rebus, „ quæ omnino, & sollicite debent, maxime vero justeque ab „ ipso Præsulum examinari vertice Apostolico, cujus vetusta „ sollicitudo est, tam mala damnare, quam probare laudan- „ da". A Præsulum itaque vertice Apostolico fons ille scatet, de quo rivuli prodeunt affluenter, latissime irrigantes orbem Christianum. Hinc Africani in eadem epistola ad Theodorum Papam hæc superaddunt: "Quocirca humillimum vestro Apo- „ stolico culmini persolventes obsequium, cum lacrymis sug- „ gerimus &c.". Quæ in libello Stephani Episcopi Dorensis habentur, & a Bossuetio in medium adducuntur, sunt omnia comparata ad ostendendum potestatem Apostolicæ Sedis esse potestatem Summi Pontificis, & eam propter Summum Pontificem tribui Sedi Apostolicæ. Id non solum ea, quæ Bossuetius refert, manifeste evincunt, sed etiam hæc alia, quæ præcedunt.

(1) Apud Raynaldum an. 336. num. 2. (2) Tom. 7. Concil. edit. Venet. colum. 131.

cedunt (1) " Quippe quoniam hoc poteſtative olim, & ab an-
„ tiquitus facere per Apoſtolicam, ſive canonicam conſuevit
„ auctoritatem, dum aperta lucubratione non ſolum claves
„ regni cælorum traditæ ſunt ei, atque ipſe tantummodo ad
„ aperiendum eas fidelibus quidem digne, minime autem
„ Evangelio credentibus juſte claudere magnus ſecundum
„ veritatem, & Princeps Apoſtolorum meruit Petrus: ſed
„ etiam & paſcere primus juſſus eſt oves Catholicæ Eccleſiæ,
„ quum Dominus dicit: *Petre amas me? paſce oves meas*".
Sicuti ergo Boſſuetius inquit, *hoc fundamento poſito*, Sophronius Patriarcha dicit, apud Sedem Apoſtolicam orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtere.

Agatho in epiſtola ad Auguſtos, Petro adnitente, quoniam Petro a Chriſto dictum fuit: *Confirma fratres tuos*, Eccleſiam Apoſtolicam nunquam a veritate deflexiſſe dicit. Unde ſuperaddit (2) " Conſideret itaque veſtra tranquilla clemen-
„ tia, quoniam Dominus, & Salvator omnium, cujus fides
„ eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſit, confirmare
„ eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices
„ meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper,
„ cunctis eſt cognitum: quorum puſillitas mea licet impar,
„ & minima, pro ſuſcepto tamen Divina dignatione miniſte-
„ rio, pediſſequa cupit exiſtere".

Benedictus XII. Chriſtum effeciſſe dicit, ut Eccleſia Romana in ſe ipſa ſubſiſtens alios informaret, quia ad Petrum ait: *Simon, Simon &c. Ego autem rogavi pro te &c.* Ad Petrum igitur eam virtutem retulit, quam Eccleſia Romana habet, ut in ſe ipſa ſubſiſtens alios informet.

§. V. Boſſuetium minus recte ſentire de fide Romanæ Eccleſiæ oſtenditur ex iis, quæ ad extollendam auctoritatem Romanæ Eccleſiæ ſupra auctoritatem Summi Pontificis ipſe in medium adduxit.

Defenſionis &c. lib.10., alias 15., cap.6. hunc titulum appoſuit: *Traditio Patrum de fide, & Eccleſia Romana, deque Sede Apoſtolica nunquam defectura &c.* Hoc autem in capite, ſicuti

(1) Cit. tom. colum.107. (2) Cit. tom. colum.662.

ficuti etiam in fequenti id probare fibi conftituit, quod Patres " Dum quærunt illud immotum in fide, quod Ecclefiæ „ principali, Romanæ fcilicet, ineffe neceffe fit; non Ro„ manum Pontificem doctorem publicum .... fed ipfam Ro„ manam Ecclefiam, ac Romanam fidem, ipfam Petri Ca„ thedram, ac Sedem Apoftolicam uno ore commemorant ". Cap.14. ejufdem libri diftincte explicat, quo fenfu ipfe velit, fidem Ecclefiæ Romanæ nunquam defecturam: " Certio„ ra (inquit) cogitent oportet, qui Ecclefiæ Romanæ, Se„ difque Apoftolicæ inviolabilem ftatum, fidemque prædi„ cent: nempe id eventurum nunquam, ut quemadmodum „ Ecclefiæ, ex. gr., Conftantinopolitanæ, Alexandrinæ, & „ nunc Anglicanæ, Danicæ; ita Ecclefiæ Romanæ error in„ hæreat; quem contumace propofito tueatur, & a veræ Ec„ clefiæ fe abrumpat finu ". Errorem ergo, quem *contumaci propofito* tueatur, ficut fuit, & eft error Anglicanæ Ecclefiæ, ab Ecclefia Romana excludit, non vero abfolute errorem, quem *contumaci propofito* non tueatur. Unde in eodem capite fuperaddit, fe credere unam Ecclefiam Catholicam, & Synodum Œcumenicam eam effe, *in quam circa fidem nullus unquam obrepat defectus neque per contumaciam, neque per imprudentiam*. Tamen cap.12. dum urget diftinctionem, quam ipfe ponit inter fedem, & fedentem, auctoritate Patrum contendit, *illud immotum in fide*, de quo ipfe quærit, Romanæ Ecclefiæ, non Summo Pontifici tribuendum, atque etiam fuperaddit, mirum non effe, " Aliquid convenire fedi, quod „ fedenti non conveniat; nempe ut fedes deficere non poffit, „ quum fedens fit deviabile etiam in judicio de fide ". Aliorum nunc ego judicio relinquo, utrum hæc inter fe cohæreant: *illud immotum in fide* Romanæ Sedi tribuendum: Sedi Romanæ convenire *indefectibilem* effe; & in ea errorem inhærere poffe, quem *contumace propofito* non tueatur. Nunc quod volumus. S. Irenæus affirmat, ad Ecclefiam Romanam propter potiorem, vel potentiorem principalitatem ejus neceffe effe, omnem Ecclefiam convenire: totam doctrinam Apoftolos cum fanguine fuo Romanæ Ecclefiæ profudiffe, Tertullianus tradit,

dit, & S. Cyprianus, Ecclesiam Romanam esse principalem, ex qua unitas sacerdotalis exorta est: Patres Concilii Aquilejensis Romanam Ecclesiam totius orbis Romani Caput esse, & ab ea venerandæ communionis jura manare, in Augustorum memoriam revocant: Hieronymus Cathedram Petri, & fidem Apostolico ore laudatam, ut suam ipse fidem inter fluctuantes opiniones ex certo principio hauriret, consulendam censuit: Principatum Apostolicæ Sedis semper viguisse, mundo radicem esse Apostoli Petri gloriosam confessionem, atque Petrum suæ Sedi præstitisse, ut portis inferi nunquam pro Domini promissione vinceretur, Gelasius pronuntiat: Stephanus Metropolita Larissæus auctoritatem Apostolicæ Sedis antecellere asseverat omnibus Sanctarum Ecclesiarum privilegiis, & in confessione ejus requiescere omnes Ecclesias mundi. Hæc sane sunt loca Patrum, quæ Bossuetius *Defensionis &c.* lib. 10., alias 25., cap. 6. (1) in medium adducit, eaque ad Romanam Ecclesiam referenda esse dicit. Anne hæ omnes loquendi rationes in eam Ecclesiam conveniunt, quæ in errorem contra fidem, quamvis *sine contumaci proposito*, cadere potest? Profecto tunc necesse foret, ut nonnulla tantum urgeamus, omnem Ecclesiam ad eam Ecclesiam convenire, quæ errori subjecta esset: errare posse Ecclesiam principalem, ex qua unitas sacerdotalis exorta est, jura communionis manant, & in confessione ejus omnes Ecclesiæ mundi requiescunt. In cujusnam tandem mentem hæc venire possunt? Sed cetera prosequamur.

Orientales publica confessione profitentur ob promissionem, quam Christum Petro fecisse legimus, in Sede Apostolica religionem semper servatam fuisse, atque in ea esse integram, & veram Christianæ religionis soliditatem: Episcopi Cyprii firmamentum a Deo fixum, & immobile a Christo constitutam Apostolicam Sedem ajunt, quia Christus Petro dixit: *Tu es Petrus &c.* Apud Sedem Apostolicam consistere fontem, ex quo rivi prodeunt, latissime irrigantes orbem Christianum, Africani affirmant: Stephanus Episcopus Dorensis ad Sedem Apostolicam accurrit ad tollendam perturbationem in Oriente natam, & Pa-

(1) Vide preced. §.

& Patriarcha Sophronius orthodoxorum dogmatum fundamenta apud Sedem Apostolicam existere profitetur: Agatho, &, eo tradente, Synodi VI. Patres Apostolicam Sedem nunquam a veritate deflexisse pronuntiarunt, ejus vero auctoritatem, & doctrinam a Catholica Ecclesia, & Conciliis Œcumenicis susceptam fuisse, atque ideo hanc Ecclesiam illibatam permansisse, quia Christus pro fide Petri rogavit, ne unquam deficeret: ad hanc promissionem etiam Benedictus XII. Ecclesiæ Romanæ firmitatem retulit. Hæc Bossuetius, quemadmodum vidimus (1), ad Ecclesiæ Romanæ firmitatem in fide commendandam in medium protulit. Nunc quod contra eum volumus. Profecto non solum error, qui *contumaci proposito* defendatur, sed nullus omnino contra fidem in eam Ecclesiam cadere potest, quæ conservationem suæ religionis acceptam refert a promissione Christi, quæ nunquam falli potest: quæ habet rationem fixi, & immobilis fundamenti ob ipsum Petrum, cui Christus dixit: *Tu es Petrus &c.*: quæ est fons, unde rivi profluunt Christianum orbem latissime irrigantes: quæ orthodoxorum dogmatum fundamenta continet: cujus auctoritatem, & doctrinam Ecclesia Catholica, & Concilia Œcumenica susceperunt, & ideo ea illibata semper permansit, quia Christus pro fide Petri rogavit, ne unquam deficeret. Si ergo ad ea solummodo attendamus (nam multis sane aliis res eadem a nobis comprobari posset) quæ Bossuetus protulit ad extollendam Romanæ Ecclesiæ auctoritatem supra auctoritatem Romani Pontificis, nemo non videt, eum haud recte de Romanæ Ecclesiæ fide sensisse.

§. VI. Qui Romanæ Ecclesiæ, non autem Romano Pontifici infallibilitatem in rebus fidei tribuunt, etiam ipsis consentientibus, non habent, in quo hujusmodi privilegium Ecclesiæ Romanæ reponant.

Quamvis Bossuetius *Defensionis &c.* lib. 10., alias 15., cap. 14. eum tantum errorem ab Ecclesia Romana excludat, quem *contumace proposito* tueatur, idque faciat contra auctoritatem illorum Sanctorum Patrum, qua utitur ad determi-

(1) Præced. §.

nandum *illud immotum in fide*, de quo quærit (1); tamen ipse quoque, ficuti jam animadvertimus (2), non folum affirmat, *illud immotum in fide* fpectare ad Romanam Ecclefiam, fed etiam hoc difcrimen inter Sedem Romanam, & in ea fedentem intercedere tradit, *ut fedes deficere non poffit*, *quum fedens fit deviabile etiam in judicio de fide*. Unde ipfe quoque abfolutam infallibilitatem Romanæ Ecclefiæ tribuit; quam quidem ut tribueret, illa loca Patrum, quæ ejufdem libri cap.*6.*, & 7. commemorat, eum cogebant, quemadmodum modo oftendimus. Neque vero aliam ab eo rationem ii omnes inierunt, qui Romanos Pontifices in definitionibus fidei haud infallibiles effe contenderunt. Explicaturi enim quædam teftimonia Patrum, in quibus fermo eft de oratione Chrifti pro fide Petri nunquam defectura, illa accipienda effe affirmant de Sede Petri, non vero de Succefforibus illius, atque ita ob orationem Chrifti Ecclefiæ Romanæ, non vero Romani Pontificis fedem infallibilem effe, ex Sacris Litteris, & traditione Patrum conftare contendunt (3).

Eft illud quoque animadvertendum a nobis, Adverfarios noftros in eo inter fe confentire, ut Romana Ecclefia fit infallibilis, uti caput, mater, & magiftra ceterarum haberi debeat, & nunquam in ea error prævalere poffit, quia Petrus in illa femper loquitur, hoc eft, quia Summum Pontificem fui Præfulem, atque Moderatorem ipfa habet. Neque enim aliter arbitrari ullo modo poffunt: nam æque Romanæ, ac ceteris Ecclefiis nullas promiffiones fingulares a Chrifto factas fuiffe legimus. Boffuetius ergo, ut unius tantum, atque alterius hac de re fententiam referamus, in eo fermone, quem in Gallicano conventu an. 1682. habuit, quique, eo cooperante, publici juris factus fuit, hæc de Romana Ecclefia tradit (4):
„ Nec quifpiam dicat, minifterium S. Petri cum eo finem ha-
„ buiffe: quod effe debet fubftentaculum Ecclefiæ æternæ,
„ nullum finem habere poteft. Petrus femper in fua Cathe-
„ dra

(1) Præced. §. (2) Eodem §. (3) Videatur Cl. Orfius *De Roman. Pontif Auctorit.* lib. 4. cap. 13. art. unico. (4) Apud Orfium cit. loco.

„ dra loquetur, ſicuti confirmant ſexcentum Epiſcopi Concilii Chalcedonenſis. S. Paulus quum e cælo deſcendiſſet, venit videre Petrum, ut daret formam ſeculis futuris, quæ ſemper ſtabilita remaneret. Sit aliquis quantumlibet doctus, aut ſanctus, ſicut alius Paulus, Petrus tamen videatur oportet..... Roma prædeſtinata ut eſſet caput Religionis, & Eccleſiæ, ob hanc rationem eſſe debebat propria Eccleſia S. Petri. Fuit etiam poſita, & conſtituta Romæ Cathedra æterna. Hæc Eccleſia Romana, quæ docet in perſona Petri, & Succeſſorum ejus expers eſt omnis hæreſis..... Eſt etiam Eccleſia Romana ſemper virgo, & fides Romana eſt ſemper fides Eccleſiæ. Credit ſemper, quod ſemel credidit, eumdemque loquendi modum retinet pro omnibus, & Petrus in ſuis Succeſſoribus eſſe perſiſtit fundamentum Fidelium. Chriſtus hoc dixit: Cælum, & terra potius tranſibunt, quam verba ejus“. Gerſonius autem *De Poteſtate Eccleſiæ Conſiderat.* 7. animadvertit, “ Quod Eccleſia Romana eſt illa diœceſis, provincia, vel ſedes, quæ peculiariter habet regi per auctoritatem Papalem, & eam complectitur: ſic veritatem habet vulgaris vox: ubi Papa, ibi Roma. Nec in dubium verti debet, quin iſto modo Romana Sedes, & Eccleſia ſit caput, mater, & magiſtra ceterarum, quia ſupremam Petri poteſtatem includit“. Quia ergo Petrus ſemper in ſua Cathedra loquitur, & Eccleſia Romana docet in perſona Petri, & Succeſſorum ejus, eſt illa expers omnis erroris, atque virgo, & fides Romana eſt ſemper fides Eccleſiæ: credidit ſemper, quod ſemel credidit, atque ita & Petrus in ſuis Succeſſoribus eſſe perſiſtit fundamentum Fidelium, & Eccleſia Romana eſt caput, mater, & magiſtra ceterarum, quia ſupremam Petri poteſtatem includit. Nunc paucis, quod contra Adverſarios noſtros oſtendere conſtituimus. Volunt ipſi illud privilegium infallibilitatis, de quo conſtat ex ſacris Litteris, & Traditione Patrum, Romanæ Eccleſiæ tribuendum eſſe: ita enim ſe eludere poſſe arbitrantur illud argumentum, quo ex Divino verbo tum ſcripto, tum tradito evincitur, Romanum Pontificem in definitionibus fidei infallibilem eſſe: il-

lud quoque volunt, & non velle non possunt, Romanam Ecclesiam infallibilem esse, eamque uti caput, matrem, & magistram ceterarum habendam, quia Petrus in suis Successoribus in ea loquitur: ergo dum Romanæ Ecclesiæ, non vero Romano Pontifici infallibilitatem in rebus fidei tribuunt, non habent sane, in quo hujusmodi privilegium Ecclesiæ Romanæ reponant.

Quapropter " Si de errore (ut cum Melchiori Cano lo-
„ quar lib. *6. De Locis Theologicis* cap.8. in resp. ad 1. argum.)
„ in fidei judicio, atque decreto loquimur, ut vere loquimur;
„ nullum ego discrimen inter Apostolicam Sedem, & Apo-
„ stolicæ Sedi insidentem invenio. Primum, quoniam quum
„ ad Sedem Apostolicam accedimus fidei oracula postulaturi,
„ non singulos Romanæ Ecclesiæ Fideles interrogamus, nec
„ Ecclesiam ipsam Romanam in Concilium cogimus, sed Pon-
„ tificis Maximi judicium quærimus, ejusque sententiam ex-
„ pectamus. Rursus quia non Populus Romanus est, qui Ec-
„ clesiam universalem docet ea, quæ ad fidem attinent, sed
„ Romanus Episcopus. Nec potestas judicandi de causis fidei,
„ ligandi, solvendi, pascendi, in Populo Romano est, sed in
„ Romano Pastore Vicario Jesu Christi .... Atque illud etiam
„ animadverto, quod, omnibus simul Episcopis docentibus
„ errores falsos, necesse esset sane, totam Ecclesiam vario er-
„ rore versari; ita si Pastor Ecclesiæ Romanæ errorem fidei
„ contrarium decerneret, oves quoque, errante pastore,
„ dispergerentur".

§. VII. Dum infallibilitas Romanæ Ecclesiæ tribuitur, ejus autem simul, & totius Ecclesiæ Supremo capiti denegatur, præter omnem rationem membra ponuntur esse & præcellentioris dignitatis, & securioris regiminis, quam caput.

Nemo negare potest ad præcellentiorem quamdam spectare dignitatem, ita esse de veritate securum, ut, dum quidpiam decernitur, aut definitur, nullus locus errori subesse possit. Hoc vero est, quod Romano Clero, aut plebi tribuitur, capiti autem illius denegatur, semel ac admittamus, Romanam quidem Ecclesiam infallibilem quoad ea esse, quæ fidei

fidei ſunt, Romanum autem Pontificem non eſſe infallibilem. Membra ergo præcellentioris dignitatis eſſe ponuntur, quam ſit illorum Supremum caput.

Illud etiam conſequeretur, ſi Romana Eccleſia eſſet infallibilis, non vero Romanus Pontifex, ut Romanæ Eccleſiæ regimen in rebus fidei certius ſecuriuſque eſſet, quam regimen Romani Pontificis. Dubitari namque non poteſt, eam formam regiminis certiorem ſecurioremque eſſe, quæ errori obnoxia eſſe non poteſt. Talis vero eſſet forma regiminis Eccleſiæ Romanæ, non vero Romani Pontificis, ex eo quod ipſe eſſet hujuſmodi infallibilitate deſtitutus; ac propterea certior, & ſecurior eſſet forma regiminis in rebus fidei Romanæ Eccleſiæ, quam Romani Pontificis. Membra autem præ ſuo capite & præcellentioris eſſe dignitatis, & ſecurioris regiminis, quiſnam tandem repugnare non videat? " Ut Pontifex erret, " (inquit Thomaſſinus *Diſſert.* 20. *in Synodum VI. Œcumenicam* " num. 18.) at errare ſedes negetur, quia plebs, & Romanus Clerus abhorret ab eo errore, præpoſterum id quidem " eſt: quum ita plebi, & Clero, hoc eſt, membris, plus in" datur ſapientiæ, quam capiti. Quum ex adverſo ſi quæ ſunt " dotes corporis, & membrorum egregiæ a capite illæ derivari cenſendæ ſint: & fidei Romanæ Pauli elogio conſecratæ, ſanctis Patribus honori, & miraculo habitæ, gloria " principalis, & palma ipſi Pontifici, ut magiſtro, præ Clericis, & Laicis, hoc eſt, præ diſcipulis, neceſſario adſeratur ".

§. VIII. Inter Sedem, & in ea ſedentem, ſive inter Cathedram, & Doctorem etiam ab aliquibus Sanctorum Patrum factam fuiſſe diſtinctionem, omnino fruſtra confingitur.

Boſſuetius *Defenſionis &c.* lib. 10., alias 15., cap. 5. una cum aliis, qui Sedem a ſedente diſtinguendam eſſe cenſent, illud S. Leonis ex epiſtola 81. (1) cap. 5. ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum: *aliud enim ſunt Sedes, aliud præſidentes*, in ſuæ cauſæ defenſionem nobis opponit: at omnino præter mentem S. Doctoris id ſane facit. Hanc ergo epiſtolam S. Leo ea occaſione dedit ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epi-

(1) Juxta edit. Cacciarii.

Episcopum, qua hic locum secundæ sedis in Synodo Constantinopolitana sibi deferendum curavit contra decreta Nicænorum canonum, quibus statutum erat, ut secundus locus Alexandrinæ Ecclesiæ deferretur. Primo itaque S. Leo Anatolio significat, nullo modo se assentiri posse cupiditati illius: " Absit enim (inquit) conscientia mea, ut tam prava cupiditas
„ meis studiis adjuvetur; ac potius & meo, & omnium, qui
„ non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt, opere subruatur ". Quia vero Anatolius, nacta occasione depositionis Dioscori Episcopi Alexandrini in Constantinopolitano Concilio factæ, curaverat, ut sibi ea dignitas deferretur, quæ juxta Nicænos canones Alexandrino Episcopo conveniebat; ideo S. Leo, postquam urgere non destiterat, servanda esse jura Primatus, & non auferenda privilegia, quæ a Patribus Nicænis collata essent, illud quoque reposuit, nihil de dignitate Alexandrinæ Sedis detractum esse, ex eo quod Dioscorus tantæ impietatis reus evaserat, quia aliud sunt Sedes, aliud præsidentes: " Nihil (ait) Alexandrinæ Sedi ejus, quam per Sanctum Marcum Evangelistam Beati Petri discipulum meruit,
„ pereat dignitatis, nec, Dioscoro impietatis suæ pertinacia
„ corruente, splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur
„ alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum, prædicante B. Petro Apostolo, Christianum nomen exortum
„ est, in paternæ constitutionis ordine perseveret, & in gradu tertio collocata, nunquam se fiet inferior. Aliud enim
„ sunt sedes, aliud præsidentes ". Inter merita ergo præsidentis, & dignitatem sedis distinguendum esse S. Leo affirmat, & hac de causa nihil de dignitate Alexandrinæ sedis inde detractum esse affirmat, quia Nestorius in impietatem deciderat. Qua de causa idem S. Leo epistola 94. (1) ad Maximum Episcopum cap. 3., dum eum monet, ne ob exiguitatem suorum meritorum de dignitate suæ sedis aliquid detrahi patiatur, in eamdem, ac in epistola ad Anatolium, sententiam ita habet:
„ Etsi enim diversa nonnunquam sunt merita Præsulum; tamen jura permanent sedium: quibus etsi possint æmuli per-
„ tur-

(1) Juxta eamdem edit.

„ turbationem aliquam fortassis inferre , non tamen possunt „ minuere dignitatem“.

Etiam Bernardum nobis Bossuetius opponit *Declarationis &c.* lib. 10., alias 15., cap. 15., verum quam præter omnem rationem id faciat , ex ipso Bernardo videamus . Ita ergo S. Bernardus habet in Præfat. epist. 190. ad Innocentium II. , seu *Tractatus contra quædam capitula errorum Abaelardi* : “ Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque , & scandala emergentia in regno Dei , ea præsertim , „ quæ de fide contingunt . Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei , ubi non possit fides sentire „ defectum . Hæc quippe hujus prærogativa sedis . Cui enim „ alteri aliquando dictum est : *Ego rogavi pro te , Petre , ut non „ deficiat fides tua* . Ergo qnod sequitur a Petri successore exigitur : *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* . Id quidem modo necessarium tempus est , ut vestrum agnoscatis, „ Pater amantissime , Principatum , probetis zelum , ministerium honoretis . In eo plane Petri impletis vicem , cujus „ tenetis & sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis , si vestra auctoritate conteritis fidei corruptores “ . Hæc præfatus Bernardus impia dogmata Abaelardi Innocentio II. deinde recenset : quod dum facit , non sedi , sed Pontifici omnia repræsentat . Verum in eis tantum sistamus , quæ in hac præfatione habet, quoniam iisdem Bossuetius nititur . Ad Apostolatum ergo non sedis , sed Innocentii II. , referenda esse pericula , & scandala , quæ in regno Dei emergunt , & ea præsertim , quæ fidem respiciunt , S. Bernardus affirmat. Hujus autem rei rationem inde deducit , quia dignum arbitratur , *ibi potissimum resarciri damna fidei* , *ubi non possit fides sentire defectum* . Fidem ergo non posse sentire defectum in Apostolatu Innocentii II. Bernardus docet ; indeque ait : *hæc quippe hujus prærogativa sedis* . Explicat ulterius , quid intelligat nomine sedis . Quod ergo fides non possit sentire defectum , dicit esse proprium ejus sedis , ad quam recurrit , quia Christus rogavit , ut fides non sedis , sed Petri , non deficeret , atque inde colligit ad Successorem Petri pertinere,

ut

ut conversus fratres suos confirmet. Quapropter Innocentium monet advenisse tempus, in quo & suum principatum agnosceret, & zelum probaret, & ministerium honoraret: in hoc sane vices Petri, cujus Sedem tenebat, impleturum eum esse superaddidit, si admonitione ejus fluctuantia in fide corda firmarentur, atque auctoritate corruptores fidei contererentur. Profecto si hisce omnibus apertissime explicatum a Bernardo non est, quid ipse intelligat nomine sedis, nihil satis distincte explicari posse arbitror. Ex eo quod ergo Bossuetius etiam Bernardum suæ sententiæ patronum fecerit, illud inde colligo, de humana imbecillitate quam maxime metuendum esse, semel ac ducti æstu passionis sententiam aliquam propugnare instituerimus.

CAPUT VI.

DE CONSENSU ECCLESIÆ ROMANÆ, QUEM NONNULLI REQUIRUNT AD INFALLIBILITATEM PONTIFICIORUM DE FIDE JUDICIORUM.

§. I. SEmel ac a Summo Pontifice quidpiam ad fidem spectans definitum habeatur, dubitare non licet, utrum omnem diligentiam ante hujusmodi definitionem ille præmiserit.

Melchioris Cani verbis rem istam totam nos conficiemus. Ita ergo ille lib. 5. *De Locis Theologicis* cap. 5. in resp. ad 1. argum. " Deus suaviter disponit omnia, simulque prospicit & " finem, & media ad finem necessaria. Si enim promitteret " cuique æternam vitam, mox conferret etiam illi bonarum " gratiam actionum, quibus eam vitam consequeretur. Videlicet quos glorificavit, eosdem & justificavit, & vocavit, " ut *ad Romanos* 8. cap. dicitur. Sic omnino, quum Ecclesiæ fidei firmitatem fuerit pollicitus, deesse non potest, quo " minus tribuat Ecclesiæ preces, ceteraque præsidia, quibus " hæc firmitas conservatur.... Itaque præstat semper Pontifex, quod in se est, præstatque Concilium, quum de fide " pronuntiant: caditque causa, si quis e nostris aliter existimat.

„ mat. Quemadmodum enim si Christus Petro diceret: Ego
„ rogavi pro te, ne deficiat charitas tua; certo certius in-
„ telligeretur, diligentiam, curas, vigilias, preces, cete-
„ raque auxilia opportuna illi impetrasse, quæ sunt ad chari-
„ tatis conservationem necessaria: ita quum dixit: *Ego ro-*
„ *gavi pro te, ne deficiat fides tua*, procul dubio intelligimus,
„ id a Patre suo consequutum, ut quæ ad rectum de fidei
„ quæstione judicium oporterent, ea adessent Petro omnia,
„ sive a Deo, sive ab homine expectarentur ... Ac si semel
„ hæreticis hanc licentiam permittimus, ut in quæstionem
„ vocent, num Ecclesiæ judices eam diligentiam, & curam
„ exhibuerint, quæ opus erat, ut quæstio via, & ratione fi-
„ niretur; adeo cœcus est, qui non videat, omnia mox Pon-
„ tificum, Conciliorumque judicia labefactari? Porro si illud
„ in quæstionem veniat, nec certis argumentis confirmari
„ possit: at hæc res tamen Theologis constituta sit, ac defi-
„ nita, Concilia, quoquo modo se habeant, si a Summo Pon-
„ tifice confirmata sunt, errare in fide non posse. Quamquam
„ me quidem judice, absurdum est, ad finem aliquem nisi per
„ consentanea media perveniri. Ita nunquam ego admittam,
„ aut Pontificem, aut Concilium diligentiam aliquam neces-
„ sariam quæstionibus fidei decernendis omisisse. Id, quod
„ privato cuicumque alteri homini accidere potest, nec dili-
„ gentem navet operam ad disquirendam veritatem, & ut na-
„ vaverit, integrumque sese in ea re præstiterit, erret adhuc
„ tamen, quamvis error sine culpa sit. Error autem, vel in-
„ culpatus, ab Ecclesia Dei longissime abest, quemadmodum
„ libro superiori constituimus. Quæ res abunde magno argu-
„ mento est, ut nec Pontifex, nec Concilia necessarium quid-
„ quam in deliberando prætermiserint. Fac enim quidpiam
„ ex necessariis omissum esse: tunc rogo, an Fideles his, qui
„ de fidei quæstione judicarunt, tantisper parere debeant,
„ dum illorum negligentia innotescit Ecclesiæ? Parere de-
„ bent, ajunt. Jam igitur eo tempore, errantibus judicibus,
„ errabit Ecclesia. Sine vitio suo, inquis, Ecclesia tunc er-
„ rabit. Agnosco. Sed, ut dictum est, nec hunc quidem

„ errorem admittere in Dei Ecclesia debemus. Quid? Quod
„ si semel de diligentia judicum dubitamus, novum examen,
„ judiciumque semper recens postulabitur, ut diligentia ad-
„ hibita, vel non adhibita censeatur. Concedamus ergo ju-
„ dicibus a Deo in Ecclesia constitutis nihil eorum deesse pos-
„ se, quæ ad rectum, verumque judicium sunt necessaria“.
Ita solide sane pro suo more, & apposite ad rem nostram vir iste Cl. Quare, sicut Orsius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib.4. cap.15. art. 2. sapientissime monet, “ Sive cum Roma-
„ nis, sive cum Græcis, aut Gallicis, sive cum multis, sive
„ cum paucis, sive ipse solus Romanus Pontifex Petri Suces-
„ sor, universam informaturus Ecclesiam, & in fide adversus
„ grassantes hæreses confirmaturus, fidei decretum concin-
„ net, perinde adversus eum portæ inferi minime prævale-
„ bunt, sed de hæresibus, & erroribus triumphabit“.

§. II. Ab auctoritate Summi Pontificis nullo modo alienum est, ut antequam ex cathedra quidquam ille definiat, aliorum sententiam exquirat.

Hujus rei veritas perspecta est, semel ac eam differentiam animadvertamus, quæ inter Sacros Scriptores, & Summum Pontificem, atque etiam Patres in Concilio Œcumenico congregatos intercedit, sicuti enim animadvertit Melchior Canus *De Locis Theologicis* lib.5. cap.5. in resp. ad 1. inter Sacros Auctores, & Summum Pontificem, Patresque Concilii hoc discriminis intercedit, “ Quod Auctores Sacri ex proxi-
„ ma Dei vel revelatione, vel inspiratione scribunt Catho-
„ lica dogmata. Nec enim egent exteris ad scribendum in-
„ citamentis, aut humana ratiocinatione ex scripturis aliis
„ argumentantur, disquirunt, colligunt. At Concilium, &
„ Pontifex humana via incedunt, rationemque sequuntur:
„ atque argumentando verum a falso discernunt. Non enim
„ existimandus est Summus Pontifex eam habere facultatem,
„ quæ in Apostolis, Prophetis, & Evangelistis inerat, ut pro-
„ posita unaqualibet de fide quæstione, protinus dignoscere
„ possit, utra quæstionis pars vera, falsave sit. Sed adhibere
„ prius consilium necesse est, & expendere utriusque partis
„ argu-

„ argumenta: tum deinde ſequetur auxilium Dei, quod videlicet opus eſt, ut Summus Pontifex in recta fide contineatur". Quam maxime autem conferre ad recte expendenda argumenta utriuſque partis conſultationem aliorum, nemo ſane negaverit. Nullo igitur modo alienum eſt ab auctoritate Summi Pontificis, ut antequam ex Cathedra quidquam ille definiat, aliorum ſententiam exquirat.

§. III. Non ſolum non contrarium, ſed etiam quam maxime conſentaneum eſt auctoritati Summi Pontificis, ut antequam quidquam ex Cathedra definiat, aliorum de eo ſententiam exquirat.

Illa verba Chriſti: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, certum quidem Romanum Pontificem faciunt, nunquam futurum, ut in fide deficiat, dum ſuos in ea fratres confirmat; non tamen omni humana diligentia eum liberant, qua illi perſpectum fieri poſſit, quid Divino verbo ſcripto, aut tradito magis conforme ſit. Inde autem conſequitur, quod nos volumus, hoc eſt, quam maxime conſentaneum eſſe auctoritati Summi Pontificis, conſulere alios, antequam quidpiam ex Cathedra definiat. Ita enim in eo ſibi proſpicit, quod ex Divina revelatione non habet.

§. IV. Quæ ad inveſtigandam veritatem media in Summo Pontifice requiruntur, ab eo neglecta fuiſſe, abſolute dici non poteſt, etiamſi aliorum non exquiſita ſententia, quidpiam e Cathedra definiiſſe præſupponatur.

Quandoquidem de re aliqua conſultatio non alia de cauſa cum quibuſdam inſtituitur, niſi ut eorum opera perſpectum fiat, quod non videbatur. At nonne fieri poteſt, ut Summus Pontifex & tanto ingenii acumine polleat, & ita in theologicis canoniciſque diſciplinis verſatus ſit, & tantam Divini verbi, tum ſcripti, tum traditi, cognitionem habeat, ut ipſe per ſe ſolus quæſtionis etiam profundioris difficultates ſolvere poſſit, dubia detegere, quæque in Divino verbo, tam ſcripto, quam tradito continentur, aut ex eo neceſſaria connexione deducuntur, evidentiſſime videre? Tunc ſane Pontifex

quamvis ad detegendam veritatem eorum, quæ a se definienda sunt, aliorum opera non utatur; ipse tamen per se id sibi præstat, quod ab aliis ei præstari posset. Immo hunc Pontificem, si ad humana media attendamus, (omnibus enim Christus æque promisit, nunquam futurum, ut laberentur, dum suos fratres in fide confirmarent) magis paratum ad veritatem dignoscendam præ alio Pontifice esse contendo, qui, antequam quidquam definiat, consulat alios, ipse tamen neque in theologicis disciplinis sit valde instructus, neque in Sacris Litteris satis eruditus, neque in lectione Sanctorum Patrum, atque Conciliorum plurimum versatus. " Ego porro „ non video, (inquit Cl. Orsius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib.4. cap.15. art.2.) cur Pontifex optimo ingenio præ„ditus, jam inde a puero Ecclesiæ Romanæ innutritus, theo„logicis studiis egregie subactus, sacris Litteris eruditus, „ in veterum Patrum, Conciliorum, & Ecclesiasticæ histo„riæ lectione versatus, qui principis Ecclesiæ mores, & ri„tus, & cæremonias apprime calleat: ego, inquam, certe „ non video, cur talis Pontifex aut suo tantum privato stu„dio, aut privatis aliquot consiliariis adscitis, non melius „ comparatus sit ad percipiendam Ecclesiæ suæ, vel Ecclesiæ „ Catholicæ, de aliquo non admodum obscuro, aut difficili „ dogmate traditionem; ac proinde non melius etiam com„paratus videri possit ad illud rite sanciendum, quam Pon„tifex, qui nulla, vel admodum levi rerum Theologicarum „ notitia perfusus, & afflatus aura, ad aliquod ex difficilio„ribus, & obscurioribus dogmatibus definiendum, aliquot „ adhibitis e Purpuratorum Patrum senatu, aggrediatur ". Quamvis igitur præsupponatur, in definitione alicujus dogmatis consilium aliorum non exquisivisse, non tamen inde putandum est, Summum Pontificem debita diligentia usum non fuisse.

§. V. Privilegium infallibilitatis, dum a Summo Pontifice aliquid ex Cathedra definitur, non iis, qui antea consulti fuerint, sed ipsi Romano Pontifici tribui debet.

Quamvis, ea non adhibita diligentia, quæ ad rem tantam requirebatur, nihil unquam a Summis Pontificibus

ex

ex Cathedra definitum fuerit; tamen non semper ab iis unam, atque eamdem in consulendis aliis rationem servatam fuisse, ex Ecclesiastica historia novimus, illudque etiam compertum habemus, olim in more positum fuisse, ut Romanorum Pontificum litteris fides præscriberetur (1). Hæc ergo, sive illa ratio in ea consultatione servetur, quæ præmitti solet, antequam a Summo Pontifice aliquid ex Cathedra definiatur, unius, aut alterius cœtus sententia antea exquiratur; semper tamen infallibilitatem Summo Pontifici tribuendam esse, non vero his, aut aliis, qui ab ipso in consilium adhibentur, antequam quidquam ex Cathedra pronunciet, hoc sane est, quod nunc ostendere aggredimur. Id autem unicuique evidenter constare posse arbitramur ex iis, de quibus hujus libri cap. 2. 3. & 4. fuse egimus. Quandoquidem ex eo quod Ecclesia supra Petrum ædificata fuerit, quemadmodum ex Divino verbo tum scripto, tum tradito novimus (2), habita ratione ejus necessariæ connexionis, quæ inter fundamentum, & ædificium intercedere debet, cap. 2. evicimus, eadem ratione, qua Christus Ecclesiæ promisit, nunquam futurum, ut portæ inferi adversus eam prævalerent, promisisse etiam, nunquam futurum, ut prævalerent adversus Petrum; immo vero promissionem Christi primo ad Petrum, ejusque Successores, quum verba Christi æque ad Petrum, ac ad illos spectent (3), deinde ad Ecclesiam referendam esse. Cap. 3. confecimus, Christum singulariter rogasse pro fide Petri, ne unquam deficeret, illique mandasse, ut confirmaret suos fratres, quatenus eorum, simul & Ecclesiæ totius Supremum Caput constitutus erat, indeque Petrum privilegium infallibilitatis consequutum fuisse, sicut etiam Summi Pontifices consequuntur, dum in edocendis universam Ecclesiam Catholicis dogmatibus Pontificis partes agunt, quia quæ *Lucæ* cap. 22. de oratione facta a Christo leguntur, & de mandato, quod Petro dedit, confirmandi fratres, eodem modo ad Petrum, ac ad

(1) Vide Thomassinum in Dissert. 12. Appendice ad Synodum Chalcedonen. (2) Vide lib. 18. cap. 1. §. 1. & seqq. (3) Vide lib. 19. cap. 2. §. 6.

ad Succeſſores ejus pertinent (1). Denique cap. 4. oſtendimus, infallibilitatem neceſſario conjungi cum ea ſuprema præfectura, quam Chriſtus Petro ſuper univerſam Eccleſiam dedit illis verbis: *Paſce oves meas*: *Paſce agnos meos*; Petro, inquam, & ejus Succeſſoribus, quum æque etiam ad illos Chriſti verba pertineant (2). Ex his autem omnibus, ne alia nunc ſuperaddamus, ſicuti facile poſſemus, nemo non videat oportet, atque fateatur, privilegium infallibilitatis, dum a Summo Pontifice aliquid ex Cathedra definitur, non iis, qui antea conſulti fuerint, ſed ipſi Romano Pontifici tribui debere.

§. VI. Ex eo quod veritas, & certitudo eorum, quæ ex Cathedra definiuntur, a Summi Pontificis auctoritate, & infallibilitate pendeant, non neceſſario requiritur, ut Summus Pontifex de eo, quod eſt ex Cathedra definiturus, hos, vel illos potius, quam alios, hunc, vel illum cœtum præ alio antea conſulat.

Dum hæc, aut illa potius media, quam alia, non habeant, ut ſingulariter in aliquem determinatum effectum influant, ita ut effectus ab his potius, aut illis, quam aliis determinatis mediis omnino non pendeat; hæc, vel illa determinata media non ſunt ſingulariter neceſſaria præ aliis mediis ad præintentum effectum conſequendum: quum ergo infallibilitas eorum, quæ a Summo Pontifice ex Cathedra definiuntur, ab eodem Summo Pontifice omnino pendeat (3); inde conſequitur, ut ad hanc infallibilitatem nullo modo requiratur, ut Summus Pontifex aliquid ex Cathedra definiturus hos, vel illos potius, quam alios, hunc, vel alterum cœtum præ alio, conſulere debeat. Nam tam illis, quam aliis hominibus, tam huic ſingulari cœtui hominum, quam alteri, nulla eſt promiſſa infallibitas, ſolumque fieri poteſt, ut ad detegendam veritatem, de qua inquiritur, nonnulli quandoque præ aliis majorem capacitatem habeant, hic potius hominum cœtus, quam alter, ſit magis aptus, & quidem non ſemper, ſed habita ratione eorum, de quibus quæſtio inſtituitur. Quamvis ergo auctoritati Summi Pontificis non ſolum non opponatur, ſed

(1) Cit. loco §. 7. (2) Cit. loco §. 8. (3) Præced. §.

sed etiam valde conforme sit, ut antequam quidquam ex Cathedra definiat, aliorum sententiam exquirat (1); tamen est illi contrarium, eam in hujusmodi consultatione ita alligatam velle, ut istam ab his, & non aliis, ab hoc cœtu, & non alio, petere debeat. Ita enim fit, ut infallibilitas non sit amplius absoluta, sed alligata singulari determinatæque consultationi. Absolutam eam vero esse, & determinatæ consultationi non alligatam, & ex Sacris Litteris novimus (2), & etiam ex ipsa ratione perspectum habemus, qua condecet, ut Summus Pontifex, antequam quidquam ex Cathedra definiat, consultationem cum aliis ineat.

§. VII. Semel ac ponatur, certitudinem eorum, quæ a Summo Pontifice ex Cathedra definiuntur, ab ejusdem Summi Pontificis infallibilitate pendere, repugnat, ut prævia consultatio, quam Summus Pontifex cum aliis habuerit, necessario esse debeat consensionis, adhæsionis, & approbationis.

Quando doctrinæ veritas, seu certitudo ex magistri docentis auctoritate, atque infallibilitate pendet, præcedens consultatio, quam doctor cum aliis quibusdam habuerit, medium quidem est, quod ad faciliorem cognitionem veritatis secundum humanam, & eam quidem prudentem, rationem adhibetur; non tamen in ipsam certitudinem veritatis per se influit, multoque minus efficit, ut certissimam veritatem id habeat, quod a supremo doctore decernitur, atque definitur. Si ergo quæ a Summo Pontifice ex Cathedra definiuntur, ab ipsius infallibilitate suam omnem certitudinem habeant, repugnat sane, ut prævia consultatio, quam Summus Pontifex cum aliis habuerit, necessario esse debeat consensionis, adhæsionis, approbationis, atque consensus. Tunc enim hujusmodi consultatio in certitudinem veritatis ex Cathedra definitæ æque influeret, ac infallibilitas ipsius doctoris ex Cathedra definientis. Deinde semel ac Cathedra sit unius, non vero multorum, ita ut unus tantum munere doctoris fungi debeat alii autem omnes in numerum auditorum veniant, repugnat sane, ut doctor nihil ex Cathedra definire possit, si in

(1) Hujus cap. §. 2. & seq. (2) Præced. §.

in illud auditores antea consulti non consenserint. Tunc enim Cathedræ magisterium iis quoque communicaretur, qui inter auditores computari debent, quia sua consensione facerent, ut aliquid ex Cathedra revera prolatum dici posset. Tandem omnem suam vim, atque auctoritatem non ab auditoribus, sed a doctore, & ab ipsius Cathedræ moderatore ea omnia habent, quæ ex Cathedra prolata esse dicuntur; atque qui Cathedram regit, ille unus est, qui docendi auditores omnem potestatem habet, alioquin magna confusio inter doctorem, & auditores oriretur: at vero si præsupponatur auditores in illa assentiri debere, quæ a doctore ex Cathedra pronuntiantur, ut ea revera ex Cathedra pronuntiata esse, dici possit; tunc sane quæ ex Cathedra pronuntiantur, suam vim, & auctoritatem non minus a doctore, quam ab auditoribus mutuarentur. Ex his autem semper magis magisque constat, quod nos modo volumus. Nam ii, quos Summus Pontifex, antequam quidquam ex Cathedra definiat, inter auditores, ipsius Summi Pontificis habita ratione, computari sane debent; alioquin contra promissionem Christi neque supra unum Petrum uti primum, atque præcipuum omnium Caput, Ecclesia ædificata foret, neque ipsi solummodo a Christo dictum fuisset, ut, nemine excepto, fratres in fide confirmaret, & omnes, item sine ulla exceptione, tum oves, tum agnos pasceret, & privilegium infallibilitatis non tantum proprium Romanorum Pontificum, sed etiam commune iis esse deberet, quorum consilium exquireretur, ne si ipsi in falsitatem aliquam assentirentur, tota Ecclesia erraret.

§. VIII. Præhabita consultatio cum Ecclesia Romana, vel cum EE. Cardinalibus absolute necessaria non est, ut aliquid, sicuti infallibile, a Summo Pontifice ex Cathedra definitum, dici possit.

Contrariam sententiam Serryus tuetur tum in priori Dissertatione *De Romano Pontifice*, tum in altera Dissertatione *Apologetica*, quam in defensionem prioris elucubravit. In priori suam sententiam explicans de Pontificia infallibilitate cap. 1. num. 4. ita habet: " Pontifices e sacro tribunali solemniter
» pro-

„ pronuntiantes, hoc est, præhabita Ecclesiæ intra urbis ambitum constitutæ consultatione (seu ut præsens habet usus, „ adhibitis ad consultationem EE. Cardinalibus, qui Romanum hodie Clerum constituunt) in causa fidei judicantes „ errare omnino non posse, ceterosque in errorem inducere, „ ineluctabiliter demonstramus“. In principio autem *Apologeticæ* Dissertationis art. 1. num. 1. fatetur, se in priori Dissertatione docuisse: “ Pontificem tunc tantum indeficientiæ privilegio potiri ... dum is, præmissa Ecclesiæ Romanæ, peritorum, sapientum, & maxime Cardinalium, Matricis hujus Ecclesiæ Clerum constituentium consultatione, habitoque consensu, in materia morum, & fidei, ex sacro tribunali pronunciat“. Fallitur ille tamen. Quandoquidem licet non solum contrarium non sit, sed etiam valde conforme auctoritati Summi Pontificis, dum aliquid ex Cathedra definit, ut sententiam aliorum antea exquirat (1); tamen & quæ ad investigandam veritatem media in Summo Pontifice requiruntur, ab eo neglecta fuisse, absolute dici non potest, etiamsi aliorum non exquisita sententia, quidpiam e cathedra eum definiisse præsupponatur (2), & privilegium infallibilitatis, dum a Summo Pontifice aliquid ex Cathedra definitur, non iis, qui antea consulti fuerint, sed ipsi Romano Pontifici tribui debet (3). Ex hoc autem illud sane consequitur, non necessario requiri, ut Summus Pontifex de eo, quod ex Cathedra definiturus est, hos, vel illos potius, quam alios, hunc, vel illum cœtum præ alio consulat (4). Igitur neque etiam præhabita consultatio cum Ecclesia Romana, aut cum EE. Cardinalibus, absolute necessaria est, ut aliquid sicuti infallibile a Summo Pontifice ex Cathedra definitum dici possit. Et re quidem vera, sicut animadvertit Cl. Orsius *De Romani Pontificis Auctoritate* lib. 4. cap. 15. art. 2. “ Non alia ratione, aut alia de „ causa requiritur ea Purpuratorum Patrum, aut Romani Cle„ ri consultatio, quam ut eorum studio Pontifex, pro huma„ næ industriæ modulo, adsequatur avitam, ductamque ab „ Apostolis Ecclesiæ suæ in urbis ambitu constitutæ, aut, „ quod

(1) Hujus cap. §. 2. & seq. (2) Seq. §. (3) Seq. §. (4) Seq. §.

„ quod perinde est, Ecclesiæ Catholicæ traditionem. Quis
„ porro negare audeat, aut Vigilium Constantinopoli deten-
„ tum, aut S. Martinum I. in Chersonesum exsilio deporta-
„ tum, aut Innocentium II. in Galliis degentem, etsi nulli
„ eis Romani Clerici adfuissent, adhibitis tamen ad consul-
„ tationem, aut in urbe regia ex toto fere Oriente degenti-
„ bus Episcopis, aut iis, si quos aliquo numero Martinus
„ exsilii comites habuisset, aut totius Galliæ Antistibus, aut
„ Theologis, eos adsequi potuisse de aliqua Nestoriana pro-
„ positione in libris Theodori Mopsuesteni, aut de nefario
„ Monothelitarum dogmate, aut de erroribus Petri Abaelar-
„ di, Ecclesiæ Catholicæ, adeoque & Sedis Apostolicæ sen-
„ sum; ut non proinde temere ii Pontifices egisse judicaren-
„ tur, si in Theodori libros, aut in Constantis typum, aut
„ in errores Abaelardi solemnia anathemata pronunciassent?
„ Si enim Episcopi Africani in Sardinia exsules, & à suis Ec-
„ clesiis, suisque Presbyteriis, Clericisque sejuncti; attamen
„ suarum Ecclesiarum, immo & totius Ecclesiæ Catholicæ de
„ Christi Gratia, & Incarnatione doctrinam satis perspectam
„ habere potuerunt, ut non temere, & inconsulte ad eam
„ exponendam aggrederentur: cur de Romano Pontifice lon-
„ ge ab Ecclesia sua, & Sede Apostolica abducto, & in exsi-
„ lium cum aliis Episcopis deportato, quin idem cum iis illu-
„ stribus Confessoribus præstare valeat, temere inficias ibi-
„ mus"? Quandoquidem hac in hypothesi Summos Pontifi-
ces ea Apostolica auctoritate, quam super universam Ecclesiam habent, uti potuisse, quispiam negat, aut concedit: si negat; inde sane consequitur, ut etiam velle debeat, hujusmodi Pontifices Supremum Ecclesiæ Caput tunc esse desiisse: quod sane nemo dederit: si autem concedunt; habemus, quod volumus, atque unusquisque fateri debet, Romanos Pontifices suam Pontificiam, atque Apostolicam auctoritatem exerere posse, nulla etiam præhabita cum Romanis Clericis, seu cum Purpuratis Patribus, consultatione.

Id autem ita a me statutum intelligi volo, non quasi putem, ut cum Cl. Orsio loco citato loquar, "Quod Purpurati
„ Pa-

„ Patres habendi non sint tamquam Romani Pontificis Consiliarii, quos in rebus magni momenti, & gravioribus, ac difficilioribus causis, cujusmodi imprimis sunt causæ fidei, consulere ipse debeat. Nam fidei regulam Romanus Pontifex antequam edat, nihil omittere debet eorum, quæ humana industria præscribit, ut perspectam, & exploratam habeat vigentem in Ecclesia Catholica velut Apostolorum de controverso dogmate traditionem. Nemo autem negat, quod S. Irenæus, aliique Patres docent, nullam ad id adsequendum expeditiorem esse viam, quam ut Ecclesiæ Romanæ traditio præ oculis habeatur, quoniam cum illa propter potiorem ejus principalitatem necesse est, omnem Ecclesiam in fidei rebus, ac dogmatibus convenire. Hujus porro traditionis qui magis idonei testes reperiri possunt, quam Eminentissimi Patres, ut ex eis, aliisque Urbicariis, ut ita dixerim, ut Suburbicariis Episcopis conflata quædam veluti familiaris, jugiterque adhærens Romano Pontifici, Synodus, aut conventus? Hos ergo imprimis consulere Pontifex debet, ut Ecclesiæ suæ traditionem perspectam, & exploratam habeat... At quod nullo casu accidere possit, ut Romanus Pontifex quidquam solemniter definiat, non prius adhibitis ad consultationem Eminentissimis Patribus; id vero est, quod non absolute affirmandum existimamus".

§. IX. Serryus falsa ratione ductus putavit, necessario præhabendam esse a Summo Pontifice consultationem cum Ecclesia sua Romana, seu cum Eminentissimis Cardinalibus, ut quod definit, ex Cathedra definitum esse, dici possit.

Recte quidem ipse noverat, traditum a Patribus, Romanam Ecclesiam *omnium Ecclesiarum matrem, & magistram esse: centrum unitatis Ecclesiasticæ, ad quam omnes Ecclesias necesse sit convenire: ad quam perfidia habere accessum non possit: quam non vincunt superbæ inferorum portæ: in qua semper Apostolorum est servata traditio: unde Sacerdotalis unitas omnis exorta est* (1). Quia Ecclesiæ Romanæ hæc omnia Patres tribuerunt;

 Sum-

(1) Hæc ille ex Patribus, quorum loca laudat in priori Dissert. *De Rom. Pontifice* cap. 1. num. 4.

Summum Pontificem errori subjectum non esse colligit, dum sequitur consilium illius, sed judicium, quod de fide tulerit, infallibile esse; ac propterea, sicuti ipse inquit, " Ex Ecclesiæ Romanæ infallibilitate, quam retro tota novit antiquitas, Romani Pontificis infallibilitas necessaria consequutione demonstratur ".

Verum enim vero illorum & ipse quoque falsa opinione ducitur, qui sedem a sedente distinguendam esse arbitrantur, & sedi, non vero sedenti, infallibilitatem tribui oportere contendunt. Hos autem jam refutavimus, ostendimusque, Patres, dum vel de doctrina fidei, vel de iis, quæ ad illam spectant, sermonem habuerunt, nomine Sedis, Cathedræ, & Ecclesiæ Romanæ Romanos Pontifices intellexisse, atque illud quoque confecimus, etiam ex illis Patribus, quos Bossuetius in medium adducit ad adstruendam traditionem, *de fide, & Ecclesia Romana, deque Sede Apostolica nunquam defectura*, manifeste constare, vel nomine Sedis, Cathedræ, & Ecclesiæ Romanæ Summos Pontifices esse intelligendos, vel ad Summos Pontifices primo referenda esse, quæ ab iisdem Patribus de Sede, Cathedra, & Ecclesia Romana affirmantur (1). Quasi ergo supra Ecclesiam Romanam Christus Ecclesiam universam ædificandam esse statuisset, pro ea orasset, ut nunquam deficeret fides illius, atque eidem præcepisset, tam ut fratres in fide confirmaret, quam ut omnes oves, & agnos pasceret, Patresque in hæc omnia consentirent, immo nihil aliud adstruendum sibi proponerent, dum Romanam Ecclesiam, & quidem jure merito, omnium Ecclesiarum matrem, & magistram faciunt; ex Romana Ecclesia in Romanum Pontificem, non autem ex Romano Pontifice in Romanam Ecclesiam derivari infallibilitatem, Serryus falso contendit, atque ita inaudita prorsus ratione facit, ut in Ecclesia Romana, contra ac in aliis Ecclesiis ex Christi præcepto servatur, oves Pastorem in fide, ne in ea deficere possit, regant, non autem a pastore regantur. Unde deinde non minus falso colligit, tunc tantum infallibilia esse judicia Romani Pontificis ex Cathedra pro-

(1) Libri hujus cap. 5. §. 3. & seqq.

prolatâ, quando antea a Summo Pontifice consultatio cum Ecclesia sua Romana, vel cum Eminentissimis Cardinalibus, præhabita fuerit. In quo tamen sibi ipsi non constat. Nam in *Dissert. Apologetica* art. 7. §. 4. ut solvat, quod sibi objectum fuerat quoad absentiam, fugam, & defectionem omnium Cardinalium, quæ fieri potest, ut contingat, cum Sylvestro Prierate respondet, ex arbitrio Summi Pontificis pendere, ut in consilium adhibeat Petrum, vel Joannem, galeratos, vel mitratos: " Quod autem (inquit) Cardinalium omnium absentiam, fugam, defectionem possibilem, dicunt osores nostri, " quos idcirco consulere nequeat Pontifex; aliter etiam est a " Sylvestro Prierate occupatum laudato jam loco (1), dum ait: " *Quoscumque Papa bona fide accersit pro consilio* (tamen hìc adnotante Serryo, *urgente necessitate*) *sunt pro tunc Cardinales re, & actu, etsi non nomine, vel habitu. Nam quod Papa habeat in arduis assidentes, est de jure Divino: quod autem sint Petrus, vel Joannes, galerati, vel mitrati, est ex Pontificis arbitrio* ". Nam si est in arbitrio Pontificis *quoscumque accersere pro consilio*, consultationemque habere tam cum Petro, quam cum Joanne, tam cum galeratis, quam cum mitratis, undecumque sane isti accipi possunt, quamvis Cleri Romani membra non sint.

In *Dissert. Apologetica* art. 4. plura Scriptorum Ecclesiasticorum loca in medium adducit, ut evincat, *omnino necessariam* esse consultationem, maxime vero *Cardinalium assensum, sin minus omnium, at saltem plurimorum necessarium*, antequam a Summo Pontifice quidpiam ex cathedra definiatur: verum quum ipse quoque hoc loci fateatur, esse sane multos, " Qui " eam peritorum, atque sapientum, seu Cardinalium consultationem *honestam*, & *congruentem* dumtaxat existimant, " ut prudenter judicet Pontifex; non tamen *necessariam*, ut " definiat infallibiliter: petendumque consilium, non tamen " obtinendum necessario eorumdem assensum opinantur "; horum nos sententiam, si ad auctoritatem Scriptorum Ecclesiasti-

(1) Lib. 1. *De Juridica, & Irrefragabili Veritate Romanæ Ecclesiæ, Romanique Pontificis* cap. 15.

siasticorum attendatur, sequi dicimus. Illud tantum nunc superaddimus, plerisque locis Scriptorum Ecclesiasticorum, quæ ipse pro se in medium adducit, nihil aliud evinci, quam virorum sapientum, & quam maxime Eminentissimorum Cardinalium consultatione expendi, par esse, quæ ex cathedra a Summo Pontifice definiuntur. Id autem nos ostendere nunc omittimus, quia paucis præstari non potest; aliundeque sufficit nobis, non solum multos Ecclesiasticos Scriptores sentire nobiscum, sed etiam quod nos cum iisdem sentimus, sacris Litteris, & Traditioni Patrum omnino conforme esse.

§.X. Præhabita consultatio cum Ecclesia Romana, vel cum Eminentissimis Cardinalibus, necessario esse non debet consensionis, adhæsionis, atque approbationis, ut aliquid a Summo Pontifice ex cathedra definitum, ac propterea infallibile dici possit.

Serryus in Dissertatione *Apologetica* art. 4. contrariam sententiam, quam in priori Dissertatione *De Romano Pontifice* tenuerat, rursus tuetur, atque contendit, *præviam consultationem Sapientum, & maxime Cardinalium, qui Romanum hodie Clerum constituunt*, esse debere *consensionis*, *adhæsionis*, *approbationis, atque consensus*. Verum in errore ille versatur, indeque versatur, quia, uti jam vidimus (1), illorum & ipse quoque falsa opinione ducitur, qui sedem a sedente distinguendam esse arbitrantur, & sedi, non vero sedenti, infallibilitatem tribui oportere contendunt. Verum sicuti Cl. Orsius *De Romano Pontifice* lib. 4. cap. 15. art. 2. recte animadvertit, est sane dicendum, " Indeficientis fidei prærogativam non ab Ecclesia Romana in Pontificem, sed a Pontifice in Ecclesiam Romanam „ velut a capite derivari. Inhæret enim Ecclesiæ Romanæ „ isthæc prærogativa, quatenus ipsa Pontifici proxime, & „ indivulse conjuncta est ". Et re quidem vera semel ac constituatur, sicuti oportet (2), privilegium infallibilitatis, dum a Summo Pontifice aliquid ex Cathedra definitur, non iis, qui antea consulti fuerint, sed ipsi Romano Pontifici tribui debere, inde repugnare consequitur, ut prævia consultatio, quam

(1) Præced. §. (2) Hujus cap. §. 5.

quam Summus Pontifex cum aliis habuerit, necessario esse debeat consensionis, adhæsionis, & approbationis (1): igitur ut aliquid a Summo Pontifice ex Cathedra definitum, ac propterea infallibile, dici possit, præhabita consultatio cum Ecclesia Romana, vel cum EE. Cardinalibus, haud necessario esse debet consensionis, adhæsionis, atque approbationis.

Quid? Nonne si ponatur, hanc consultationem, de qua loquimur, esse necessario debere consensionis, adhæsionis, atque approbationis, ut quod a Summo Pontifice ex Cathedra definitur, infallibile sit; tunc infallibilitas non minus ad Summum Pontificem, quam ad eos, quos ille in consilium adhibuerit, referri debet? Nam propter hujusmodi consensum evadit infallibile, quod sine illo non fuisset: influit ergo iste consensus in infallibilitatem: infallibilitas itaque tam ab iis, qui in consilium adhibiti fuerint, quam a Summo Pontifice derivabitur, atque in eo tantum Summus Pontifex excelleret supra illos, quod ipse indiceret omnibus, quid credi, vel servari oporteret, non tamen propria auctoritate illud definiret, atque constitueret. Qua sane re nihil absurdius dici potest. Tunc enim cum hæreticis Ecclesiæ regimen, saltem quoad hanc partem, Aristocraticum esse, affirmari deberet. Nam dubitari non potest, quin Summus Pontifex suprema auctoritate utatur, dum ex Cathedra definit, quid credendum, servandumque sit: illud quoque certum est, Aristocratiam in eo positam esse, ut imperii summa majestas sit penes aliquos, qui genere, vel dignitate, vel virtute, præcellunt supra ceteros, & quod est servandum ab omnibus cum eorum consultatione, atque approbatione constitui debet (2): semel ac igitur demus, quemadmodum Serryus contendit, Summum Pontificem, ut quod ab eo ex Cathedra definitur, infallibile sit, & Ecclesiam Romanam, seu EE. Patres consulere debere, & hujusmodi consultationem esse oportere consensionis, & approbationis, nihil aliud, saltem quoad hanc partem, ad regimen Aristocraticum expeti posse videtur.

Neque est, cur Serryus in Dissertatione *Apologetica* art.7. §. 2.

(1) Hujus cap. §.8. (2) Lib.20. cap.2. §.1.

§.2. num.2. reponat, ex sua sententia non consequi, " Clerum Romanum, consensu suo judiciis Pontificiis dato, infallibilitatis complementum Pontificibus dare "; sed solummodo hujusmodi consensum esse medium, & conditionem, quibus dumtaxat positis, Deus indeficentiæ privilegium subinde largitur, " Eo plane modo, quo Ecclesiæ Sacramenta virtutem, & efficaciam ad gratiam suscipientibus conferendam a Ministrorum intentione, uti causa effectrice minime suscipiunt, sed a solo Christo Sacramentorum auctore, media tamen illa ministrorum intentione, ab ipso Christo uti conditione præfinita ". Non est, inquam, cur hæc reponat. Nam Sacramenta Christus a ministris conficienda præscripsit, atque ita quidem, ut dum ea conficerent, humano modo agerent, atque etiam exterius sese exhiberent, uti Sacramentorum ministri. At universam Ecclesiam in fide regendam non Romano Clero, sed uni Petro, & Successoribus illius tradidit. Ministri deinde Sacramentorum nullam ex sui natura virtutem habere possunt ad gratiam conferendam: ex sui autem natura in semel latam definitionem illi influunt, quorum consultatione simul, & consensione effectum est, ut hujusmodi definitio id roboris haberet, quod esse in ea debet. Tandem ministerium hominum ipsam virtutem Sacramentorum non attingit; decreta autem, & definitiones vim suam ab iis habent, qui ad ea sua consultatione, & consensione necessario concurrere debent.

CAPUT VII.

DE CONSENSU TOTIUS ECCLESIÆ, QUEM NONNULLI AD INFALLIBILITATEM PONTIFICIORUM DE FIDE JUDICIORUM REQUIRUNT.

§. I. EXplicatur, qua ratione nonnulli contendant, etiam in quæstionibus fidei judicium Summi Pontificis *firmum, & indeclinabile robur* non habere, nisi consensus Ecclesiæ accesserit.

Nullum ergo etiam in quæstionibus fidei Summi Pontificis judicium *irreformabile* esse, nisi Ecclesiæ consensus accesserit,

ferit, ii omnes tuentur, qui recipiunt, & defendunt, quod in cap. 4. Gallicanæ declarationis an. 1682. ftatutum fuit. Ifti ergo quamvis cenfeant, in fidei quæftionibus præcipuas partes effe Summi Pontificis ob Primatum, quem fuper univerfam Ecclefiam habet; tamen illius decreta fidei in fe fpectata *irreformabilia* non effe, neque habere *firmum*, *&* *indeclinabile robur*, fed & *irreformabilia* evadere, & *firmum*, ac *indeclinabile robur* tunc acquirere tuentur, quando Ecclefiæ confenfus ad ea accefferit. Qua vero ratione de hoc confenfu Ecclefiæ conftare debeat, non omnes inter fe conveniunt. Ut alios hic non commemorem, de ifto confenfu ex duobus Scriptoribus celebrioribus, Petro de Marca, & Boffuetio nunc videamus. Petrus de Marca *De Concordia Sacerdotii, & Imperii* lib. 5. cap. 8. num. 3. loquens de Leone Summo Pontifice ita fuam fententiam aperit: " Noverat prudentiffimus ille Pontifex definien-
„ di auctoritate, qua vigebat, Epifcopos, populumque Chri-
„ ftianum, non adftringi tamquam indubitata fidei regula,
„ nifi accederet per Provincialium Epifcoporum fubfcriptio-
„ nes univerfalis Ecclefiæ confenfus, vel recufantibus plerif-
„ que unius confeffionis concordiam, Synodi Œcumenicæ
„ publica confeffio Pontificis definitionem amplecteretur ".
Juxta fententiam igitur illius, vel fubfcriptio Epifcoporum, vel Œcumenica Synodus, fi plerique Epifcopi fubfcribere renuant, efficit, ut *indubitata fidei regula* fit, quod Summus Pontifex ad fidem fpectans definierit. Boffuetius *Defenfionis &c.* lib. 9., alias 14. cap. 1. hæc quoad rem iftam habet: " Quum
„ ergo Petri Succeffor ita ex communi Traditione pronun-
„ tiat, ut in ejus fententia *recognofcant omnes fidei fuæ fenfum*,
„ ut in Leonis epiftola quondam Gallicani Patres; tum fit illa
„ confenfio, quæ judiciis Pontificiis firmum, & indeclinabile
„ robur conciliet ". Antea vero in rem fuam animadvertit, plures hærefes tam fine Conciliorum Œcumenicorum, quam fine Summi Pontificis decreto damnatas fuiffe, & a fingularibus Ecclefiis rejectas; neque tamen inde inferri poffe, fingulares Ecclefias *ineluctabili auctoritate* gaudere, fed effe inferendum, " Vim illam ultimam, & ineluctabilem unitate, & con-

„ ſenſione conſtare, id quoque valere, quomodocumque ſe
„ illa conſenſio declaraverit, ſive Concilia congregentur, ſi-
„ ve non congregentur “.

Nicolaum autem Dubois, alioſque urgentes, hujus conſenſionis publica inſtrumenta quærenda fore, nuncios ad eam explorandam ubique mittendos, aut litteras ſaltem dandas ad omnes gentes, ita contemnit: *næ*, inquit, *vani ſunt*. Quapropter ſicut in aliis regnis de multis rebus, ita in regno Chriſti de hac conſenſione abſque ulla ope publicorum inſtrumentorum, tabellionum, atque litterarum conſtare poſſe affirmat. “ Quis enim neſciat, (ait) id, quod a nobis jam di-
„ ctum eſt, ut in omnibus regnis, ita in regno Chriſti, id va-
„ lere vel maxime, quod nullo inſtrumento conſignatum, po-
„ pulorum omnium uſu, conſenſuque conſtet? Sic in ſucceſ-
„ ſione omnium per orbem Principum ſuæ leges: apud nos
„ Salica, aliæ apud alios, ipſa populorum conſenſione obti-
„ nent; irritique eſſent, qui earum legum peculiaria inſtru-
„ menta repoſcerent. Sic ipſum jus gentium, ſic illa de bel-
„ lo, ac pace, deque legatis ſacroſancta jura, aliaque id ge-
„ nus, nullo alio inſtrumento, quam publica generis humani
„ voce vigent “. Ex his autem Eccleſiam ſub Rege Chriſto deterioris conditionis, ac hujus mundi regna, futuram infert, ſi ad hujuſmodi conſenſionem explorandam, quæ ſui Adverſarii vellent, requirerentur. Quapropter ita proſequitur: “ Et
„ quidem quum Auguſtinus, quum Vincentius Lirinenſis,
„ quum alii omnes Patres hæreticis, ac ſchiſmaticis commu-
„ nem univerſalis Eccleſiæ fidem; quum conſuetudines, quum
„ dogmata toto Catholico orbe vigentia toties objecerunt;
„ quis ab eis popoſcit, quos miſiſſent nuncios, quas accepiſ-
„ ſent litteras, aut quæ conſenſionis ejus, quæ legis inſtar
„ haberi volebant, inſtrumenta proferrent? Nempe hæc no-
„ ſtro ævo deliria ſervabantur. Sunt enim profecto quædam
„ tam clara, tam aperta, ut ea pernegare ne contumaces
„ quidem audeant. Eſt quædam Eccleſiæ Catholicæ vox, quæ
„ quocumque locorum diffunditur, quam etiam ante omnem
„ dictam ſententiam Catholici audiunt, novatores contremi-
„ ſcunt.

„ scunt. Quanto magis quum prolatum judicium ab altissima „ Petri sede ad omnes perlabitur Ecclesias? Desinant igitur „ sibique, & nobis illudere, agnoscantque consensum illum, „ quem Galli cum tota Ecclesia prædicant, quum prolata a „ Romanis Pontificibus dogmata, reclamante nullo, ipsa tra„ ditionis vi, ipsa, ut ille dicebat (1), *consanguinitate doctri*„ *næ*, in corpus Ecclesiæ coalescunt ".

De consensione ergo Ecclesiæ tunc constare Bossuetius contendit, quando nullus contra prolata dogmata a Romanis Pontificibus reclamat, sed ductus ipsa vi traditionis assentitur iis, quæ a Romanis Pontificibus uti dogmata fidei definita fuerint. Quia ergo recensitæ rationes detegendi consensionem Ecclesiæ ceteras omnes, quæ excogitatæ sunt, vel excogitari possunt, complecti videntur; eas nunc diligenter expendamus, ut ex illarum vel absurditate, vel repugnantia primo constet, quam præter omnem rationem ad infallibilitatem eorum, quæ a Summo Pontifice ex cathedra definita fuerint, Ecclesiæ universalis consensum nonnulli requirant.

§. II. Nihil absurdius dici potest, quam de universali consensione Ecclesiæ constare debere vel ex subscriptione Episcoporum provincialium, vel ex Concilio Œcumenico, ut quod a Summo Pontifice ex cathedra definitur, infallibile sit.

Hoc semel posito, dicendum esset, Summum Pontificem præter omnem rationem assumere personam Supremi Judicis quoad ea omnia, quæ ad fidem spectant, iniquiusque etiam agere, dum, nullius alterius consensionis habita ratione, quod ex cathedra definit, uti necessarium ad salutem credendum omnibus indicit. Neque enim Supremus Judex ille est, cujus sententia, ut plenam vim habeat, & obligationem omnem inducat in eos, quibus fertur, aliorum suffragio, aut subscriptione indiget; neque ille agit secundum jura, qui sua tantum auctoritate uti omnino certum, & infallibile decernit, quod revera non est, nisi aliorum quoque multorum fuerit subscriptione firmatum.

Neque est, cur dicatur, suffragio, seu subscriptione

 Epi-

(1) Tertullianus *De Præscript. Hæret.* cap. 32.

Episcoporum non firmari, quod a Summo Pontifice definitum fuerit,sed universalis Ecclesiæ consensionem manifestari: quandoquidem hæc subscriptio si habeatur ; infallibile evadit, quod a Summo Pontifice definitum fuerit : si non habeatur ; fallibile esse perseverat. Nam Episcopos, populumque Christianum Pontificiis definitionibus non adstringi, tamquam indubitata fidei regula, nisi accesserit per provincialium Episcoporum subscriptiones Ecclesiæ consensus; hoc vero est, quod Petrus de Marca contendit: subscriptio igitur Episcoporum illa est, quæ infallibilitatem decretis Pontificiis conciliat. Sine ea igitur Summus Pontifex certa fide, ac propterea uti infallibile credendum proponeret, atque indiceret omnibus, quod revera non est; indeque sibi semper id potestatis tribueret, quod revera non habet. Nam suas definitiones de dogmatibus Catholicis certa fide, ac propterea uti infallibiles, suscipiendas ab omnibus, atque retinendas Summos Pontifices semper statuere, idque dum fecerunt, nemo unquam Catholicorum contra opponere ausus fuit, illud jus, quod non haberet, Summum Pontificem sibi tribuisse. Quod itaque Petrus de Marca hac in re opinatur, semel ac admittamus, tota fere Catholica fides pervertitur, quum inde illud consequi, nemo non videat, Supremum Ecclesiæ caput ea potestate, quam non habebat, semper usum fuisse, semperque etiam camdem Ecclesiæ consensione fuisse probatam.

Deinde, ut hanc subscriptionem, quam Petrus de Marca requirit, pressius attingamus, ea sane nonnisi post multum temporis ab ipsa fidei definitione, quam Summus Pontifex protulerit, haberi potest. Nam de consensu Ecclesiæ ex hujusmodi subscriptione provincialium Episcoporum constare debet. Quamvis ergo demus, non omnium provincialium Episcoporum subscriptionem ad id necessariam esse; tamen sane multorum, etiam ex regionibus longe dissitis, requiri, nemo negaverit, quum ea universalis Ecclesiæ consensus manifestari debeat. Hoc ergo intervallo temporis quod Summus Pontifex sub certa, & infallibili fide ab omnibus teneri præceperit, sub ea tenendum non erit, sed saltem quoad omnem

cer-

certitudinem, & infallibilitatem Fideles suam assensionem sustinere debebunt, quoad usque sit eis de provincialium Episcoporum subscriptione perspectum. Unum ergo Summus Pontifex præcipiet omnibus, contrarium tamen ejus Fideles servare debebunt: Pontifex certa, & infallibili fide aliquid tenendum definiet, atque mandabit: non ut certa, & infallibili fide a Fidelibus illud tenendum erit. Primatus igitur, contra ac sentiunt ii quoque, qui hac in re nobis adversantur, non erit amplius jure Divino institutus ad tuendam fidei unitatem (1): Romana Sedes non oportebit, ut amplius habeatur, sicuti centrum fidei: Apostolicæ Cathedræ Principatus in ea amplius non erit (2): immo, ut paucis omnia complectamur, Petri amplius non erit confirmare in fide fratres, sed ab iisdem confirmari debebit.

Deinde qua ratione omnibus Fidelibus hujusmodi subscriptio perspecta erit? Nam, ea semel habita, omnes tunc Fideles uti infallibile habere debent, quod a Summo Pontifice definitum fuerit. Anne a suis singularibus pastoribus hac de re certiores fieri poterunt? Verum quandonam unquam ii de illa commoneri consueverunt? immo quandonam unquam vel ipsos Episcopos commonitos fuisse legimus? Aliunde autem quamvis singularis quisque Episcopus in rem a Summo Pontifice definitam sua subscriptione consentiat; tamen ex ea de communi consensione Ecclesiæ constare illi non poterit. Dicendum itaque erit, hac semel posita necessitate subscriptionis, non solum omnes plerumque Fideles, sed etiam ipsos Ecclesiæ Præsules, quibus depositum fidei commissum est, in multorum ignoratione versaturos, quæ certa, & infallibili fide teneri debent.

Quid vero si pars maxima Episcoporum quod Summus Pontifex certa, & infallibili fide tenendum esse definierit, sua subscriptione confirmare recusaverit? Nam semel ac subscriptio Episcoporum æquo jure requiratur, dum ipsi aliter, ac

(1) Lib. 18. cap. 2. §. 9. (2) Vide hujus lib. cap. 5. §. 4. loca Patrum, quæ etiam Bossuetius congessit ad adstruendum Apostolicæ Cathedræ Primatum.

ac Summus Pontifex, de re definita judicaverint, suam subscriptionem citra ullam injuriam denegare poterunt. Fideles tunc sane, vel saltem præpositi Ecclesiarum moneantur oportet, ne ea teneant certa, atque infallibili fide, quæ Romanus Pontifex, uti Summus Judex sicuti certa, & infallibilia publice pronunciaverit, atque ita fiet, ut tam oves, quam agni suum pastorem non solum pascant, sed etiam contra eum insurgant.

At enim universale Concilium tum cogi debet, ut *publica confessione Pontificis definitionem* amplectatur. Tamen dum cogitur, tam oves, quam agni contra suum pastorem insurgere, eique adversari poterunt. Deinde anne est res facilis, atque expeditior Œcumenici Concilii convocatio, & non potius multis obsepta difficultatibus, quæ nonnisi longiori tempore, & aliquando vix, ac ne vix quidem superari possunt? Sunt ne ad id fortasse opportuna ea tempora, in quibus aliquid a Summo Pontifice definitum confirmari requireretur? Habent ne Œcumenica Concilia potestatem suo judicio subjiciendi, quæ Summus Pontifex definierit (1)? Verum etiamsi hæc præsupponerentur, & esset convocatio Conciliorum res levis momenti, quæ & facile expediri, & quovis tempore posset; quorumnam ergo sit, in Concilio sedere ut Judices, nunc ego quæro: Episcoporum profecto: ii ergo Episcopi, qui divisim accepti Pontificiis definitionibus subscribere renuerunt, etiam simul congregati renuent, ac propterea totum fere Concilium renuet, quia Episcopos majori ex parte Decreta Pontificia sua subscriptione confirmare noluisse, nunc supponimus. Nam qua semel falsa ducti ratione Episcopi divisim accepti definitionem Summi Pontificis suscipere recusarunt, esse etiam recusaturos simul unitos, & fortasse etiam facilius, quia in se simul unitis plus auctoritatis inesse vident, merito conjicere possumus. Ex his vero omnibus undequaque id constare arbitramur, quod ostendere constituimus, hoc est, nihil absurdius dici posse, de universali Ecclesiæ consensione constare debere, vel ex subscriptione Episcoporum Provincialium, vel ex Concilio Œcumenico, ut quod a Summo Pontifice ex Cathedra definitur, infallibile sit. §. III. De-

(1) Vide lib. 21. cap. 3.

§. III. Definiendi auctoritate, qua Summus Pontifex pollet, non adstringi Episcopos, & populum Christianum tamquam indubitata fidei regula, Petrus de Marca colligere ex auctoritate Leonis frustra, atque omnino immerito contendit.

Quia ergo S. Leo in suis litteris tam Theodosium, quam Pulcheriam Augustam rogavit, ut generalem Synodum in Italia convocari juberet, Petrus de Marca ita inferendum duxit (1): " Quare, licet nullo pacto Summus Pontifex Leo de „ doctrina fidei dubitaret, quam epistola sua luculenter ex- „ posuerat, attamen Synodi necessitatem agnovit, si aliquot „ Episcopi suæ definitioni refragarentur ". Verum si expendamus, qua de causa S. Leo a Theodosio, & Pulcheria Augusta petierit, ut, iisdem jubentibus, Synodus in Italia haberetur, Petri de Marca conjecturam omnino inanem esse deprehendemus. Quia ergo in II. Ephesino Concilio, quod *Prædatorium* vulgo dicitur, non multo ante tempore, jubente Theodosio, habito, astutia, & perfidia Alexandrini Antistitis omnia turbata fuerant, & *commissum erat impietate paucorum*, sicuti inquit S. Leo in epistola ad Theodosium (2), *quod universam Ecclesiam vulneraret*, quemadmodum se novisse testatur, ex *non incerto nuncio*, *sed fidelissimo rerum*, *quæ gestæ sunt*, *narratore Hilaro Diacono*; ideo idem S. Leo tum Theodosium, tum Pulcheriam Augustam rogavit, ut alteram in Italia Synodum celebrari juberent, quæ, sicuti inquiebat Leo (3): „ Omnes offensiones ita aut repellat, aut mitiget, ne aliquid „ ultra sit, vel in fide dubium, vel in charitate divisum: con- „ venientibus utique Orientalium Provinciarum Episcopis, „ quorum si qui superati minis, atque injuriis a veritatis tra- „ mite deviarunt, salutaribus remediis in integrum revocen- „ tur, ipsique, quorum est causa durior, si consiliis meliori- „ bus acquiescant, ab Ecclesiæ unitate non excidant ". Etiam in epistola ad Pulcheriam Augustam rem eamdem ita commemorat (4): " Et quia dissensionis scandalum non abstulisset „ Ephesina Synodus, sed auxisset; habendo intra Italiam Con- „ cilio,

(1) Loco supra cit. num. 3. (2) Juxta edit. Cacciarii 41. cap. 1.
(3) Cit. epist. cap. 3. (4) Juxta eamdem edit. 42. cap. 2.

„ cilio, & locus constitueretur, & tempus, omnibus quere-
„ lis, & præjudiciis partis utriusque suspensis: quo diligen-
„ tius universa, quæ offensionem generaverunt, retractentur,
„ & absque vulnere fidei, absque religionis injuria, in pacem
„ Christi redeant, qui per impotentiam conscribere coacti
„ sunt Sacerdotes, & soli auferantur errores". Ut ergo remedium aliquod iis malis afferretur, quæ propter Synodum Ephesinam in universam Ecclesiam invecta fuerant, ut nullus esset violentiæ locus, quemadmodum in Synodo Ephesina contigerat, ut qui erraverant, libere resipiscere possent; Synodum in Italia haberi, Augustos a se rogandos esse, S. Leo duxit, non vero quia suam ad Flavianum epistolam dogmaticam auctoritate Episcoporum confirmandam esse censeret. Quid? Nonne S. Leo epist. 79. ad Marcianum cap. 3., 80. ad Pulcheriam Augustam cap. 3., 81. ad Anatolium cap. 4. (1), quod Canone 28. in Concilio Chalcedonensi constitutum erat, ut post Romanam primus locus sedi Constantinopolitanæ tribueretur, omnino irritum declaravit? Hoc quidem Leonem præstitisse "Non tam superiori quadam in Synodum jurisdictione,
„ & auctoritate, quam reverentia Nicænis Canonibus debita",
Petrus de Marca contendit *De Concordia Sacerdotii, & Imperii* lib. 3. cap. 7. num. 7.: verum utrumque Concilium, hoc est, Nicænum, & Chalcedonense, æque Œcumenicum erat. Quomodo ergo unius, ita etiam alterius auctoritate juxta sententiam Petri de Marca Leo tenebatur. Unde quum res contraria duorum Œcumenicorum Conciliorum auctoritate constituta esset, ejus profecto non erat, probare, quod in uno, rejicere autem, quod in altero decretum fuerat, si hujusmodi Conciliorum definitionibus, uti Petrus de Marca contendit, ipse quoque subjiciebatur. At rejecit, quod decretum erat in Chalcedonensi, confirmavit, quod in Nicæno constitutum habebatur: fieri ergo non potest, ut id S. Leo ea ductus ratione fecerit, quam Petrus de Marca statuit. S. Leonem itaque non putasse, suas definitiones Episcoporum, etiam simul congregatorum, auctoritate confirmari oportere; ex eo, quod hac in re gessit, manifeste colligitur. §. IV. Pe-

(1) Juxta eamdem edit.

§. IV. Petrus de Marca immerito contendere pergit auctoritate V. Synodi Œcumenicæ fidei definitionibus Romani Pontificis non adstringi Episcopos, & populum Christianum, tamquam indubitata regula fidei.

Lib. 5. *De Concordia Sacerdotii, & Imperii* cap. 8. num. 3. in confirmationem suæ falsæ opinionis illud commemorat, in Collatione 7. Synodi Œcumenicæ V. a Sanctis Apostolis recte servatum fuisse dici, ut communi consensione definiretur quæstio exorta de illis Ethnicis circumcidendis, qui Christianam religionem amplecterentur. Verum anne nos fortasse contra eum, aut quemlibet alium contendimus, utile Ecclesiæ non esse, ut Concilia habeantur, atque in eis insurgentes quæstiones definiantur? Fidei ergo definitionibus a Romano Pontifice editis, sicuti indubitata regula fidei, adstringi Episcopos, ac Christianum populum, nulla etiam interveniente subscriptione Episcoporum, aut Œcumenici Concilii, hoc vero est, quod contra ipsum volumus. Cum hoc autem nullo modo pugnat, ut Concilia Diœcesana, Provincialia, vel Œcumenica habeantur, atque in eis ad falsitatem magis magisque profligandam illud quoque definiatur, quod a Summo Pontifice jam definitum fuerit. Verum hac de re in sequenti libro. Unum tantum & alterum hic ex Thomassino Dissertatione 19. in V. Synodum Œcumenicam num. 98. & seq. contra Petrum de Marca animadvertenda ducimus, quoniam hujus Concilii auctoritatem nobis opponit. Ita ergo habet vir Cl. certis Ecclesiasticis monumentis fretus: " Contra autem nusquam „ evidentius patuit, (sicuti in hac Synodo) quam a nutu, „ atque inclinatione primæ sedis propenderent huc, vel illuc „ definitionum, & Synodorum Ecclesiæ monumenta. Nam, „ ut Facundus auctor est lib. 4. cap. 4. violento Principis jussu „ coactus Menas subscribere Capitulorum damnationi: *se nihil* „ *acturum sine Apostolica Sede promiserat*: quumque subscripsisset, „ Stephano Romanæ Ecclesiæ Diacono *sub ea conditione* „ *cessisse, & juratum sibi fuisse respondit, quod chirographum suum* „ *reciperet, si hæc Romanus Episcopus non probaret*. Item Zoilus, „ Alexandrinæ Ecclesiæ Antistes *quum Romanum Episcopum ve-*

„ *nire cognosceret, obviam illi ad Siciliam misit, conquerens se* „ *necessitate ad ipsius decreti affirmationem fuisse compulsum*. Ceteri Episcopi *post subscriptionem eidem Stephano Romano Diacono libellos dederunt, Sedi Apostolicæ transmittendos, confitentes in eis, quod a Constantinopolitano Episcopo coacti subscriberent*. Vides ut tametsi potestate Imperatoria in præceps raperentur, a nutu tamen se profiterentur pendere Vigilii. Et ibidem cap. 3. *Hoc est autem mirabile, ut postquam horum condemnationem fecerunt, dicerent, quod Ecclesiam Romanam consulerent, & sententiam Vigilii ejus Præsulis expectarent*... Quid quod Vigilius ipse, ut ait Gregorius lib. 2. epistola 36. *In urbe Regia constitutus contra Theodoram Augustam, & Acephalos damnationis promulgavit sententiam*? ... Venio ad ipsam Synodum, cujus Actione I. extat Sacra Justiniani, quæ Vigilium consensisse damnationi trium Capitulorum ex ipsis ejus epistolis probat, ut eadem compellat & Synodum. Extat & mox epistola Eutychii Vigilium ad Synodum invitantis, ut, ipso *Præsidente* de Capitulis inquiratur. Illud sane præfati *suscipere se, & amplecti epistolas Præsulum Romanæ Sedis Apostolicæ, tam aliorum, quam Leonis, de fide scripta*. Quid ipsa legatio ad Vigilium missa omnium Patriarcharum, & septendecim Metropolitanorum, singularis membrorum in Caput suum venerationis significatio quam elegans est"? Alia quoque multa in rem eamdem Thomassinus singulari eruditione congessit, quæ nemini ullum dubitandi locum relinquunt, hujus Synodi Patres non in ea quidem sententia fuisse, ut quod esset a Summis Pontificibus ad fidem spectans definitum, ipsi probarent, sed a Summo Pontifice probaretur, quod ipsi simul congregati decrevissent.

§. V. Si cum Bossuetio dicatur, firmum, & indeclinabile robur conciliari Pontificiis de fide decretis, quando omnes in eis fidei suæ sensum recognoscunt; tunc quod pastori debetur, ovibus, & agnis supra pastorem tribuitur.

Quod vult Bossuetius, si semel ponamus, inde fit, ut magisterium fidei ovibus, & agnis supra pastorem tribuatur. Nam dum dicitur, tunc Pontificiis de fide decretis firmum, & in-

& indeclinabile robur superaccedere, quando omnes in iisdem fidei suæ sensum recognoscunt; illud sane consequitur, & esse penes omnes examen Pontificiorum Decretorum instituere, ut videant, utrum in eis fidei suæ sensus contineatur: hoc enim sine examine videri non potest; & omnes velle posse doctrinam fidei Supremi Pastoris suæ accomodatam, quia semel ac in illa suæ fidei sensum recognoscant, uti dicit Bossuetius, tunc eidem firmum, & infallibile robur superaccedit, quod antea non habebatur; ac propterea supervenit illa certitudo, quæ in rebus fidei inesse debet. At pastoris est de fide ovium, & agnorum videre, illiusque fidei ovium, & agnorum fides conformata esse debet, quemadmodum ipsa tum pastoris, tum ovium, & agnorum conditio necessario exigit: igitur, si Bossuetius audiatur, quod pastori debetur, ovibus, & agnis supra pastorem tribuitur.

Eo vel maxime, quia si propter consensum omnium, qui Pontificiis de fide definitionibus superaccedat, iisdem firmum, & indeclinabile robur conciliatur; tunc Pontificiæ definitiones ultimam, supremamque auctoritatem ab hujusmodi consensu sequitur, ut habeant: nam ante omnium consensum firmo, & infallibili robore destituta erant, acquirunt autem illud, superveniente consensu omnium. Si autem ultima, atque suprema auctoritas in hujusmodi firmitate, & infallibilitate roboris non consistat, non video sane, in quo consistere possit. Dum ergo ponitur, ob omnium consensum firmum, & indeclinabile robur Pontificiis de fide decretis superaccedere, ab hoc consensu ultima, & suprema illorum auctoritas repetitur. Suprema vero auctoritas in regendo pastori supra oves, & agnos, non ovibus, & agnis supra pastorem, magistro supra discipulos, & non discipulis supra magistrum, est procul dubio tribuenda, semel ac rerum ordinem e medio sublatum non velimus, quemadmodum nemo non videat oportet. De eo igitur, quod modo contra Bossuetium contendimus, semper magis magisque constat.

§. VI. Gallicani Patres in sua epistola ad Leonem Bossuetio non solum hac in re non favent, sed oppugnant sententiam illius.

Omnes ergo in Pontificiis definitionibus, ut iisdem firmum, & infallibile robur accedat, fidei suæ sensum recognoscere debere, *ut in Leonis epistola quondam Gallicani Patres*, Bossuetius contendit. Verum Gallicani Patres suæ fidei sensum in epistola Leonis agnovisse testantur uti in quodam symbolo fidei, ac propterea quæ in illa continebantur, cordis tabulis se inscripsisse, ac tenaci memoriæ mandasse, ut inde paratiores fierent ad refellendos errores hæreticorum: ita enim ad Leonem scribentes habent (1): " Quæ Apostolatus „ vestri scripta, ita ut symbolum fidei, quisquis Redemptio„ nis sacramentum non negligit, tabulis cordis adscripsit, & „ tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior „ sit, memoriæ commendavit ". Se ergo recipere firmum, & infallibile robur a Pontificia definitione Gallicani Patres profitentur, non vero hoc firmum, & infallibile robur in Pontificiam definitionem a sua consensione derivari, quemadmodum Bossuetius vellet. Unde ita prosequuntur: " Multi „ itaque in ea gaudentes pariter, & exultantes, recognove„ runt fidei suæ sensum, & ita se semper ex paterna traditio„ ne tenuisse, ut Apostolatus exposuit, jure lætantur ". Quapropter epistola Leonis fuit Gallicanis Patribus veluti lydius lapis, cum quo facta comparatione eorum, quæ ex paterna traditione tenuerant, gaudentes, & exultantes fidei suæ sensum in ea recognoverunt, ac propterea lætati fuere, se sensisse semper, quemadmodum Apostolatus exposuit. Adhuc ita pergunt Gallicani Patres: " Nonnulli sollicitiores facti, „ Beatitudinis vestræ admonitione percepta, modis omni„ bus se gratulanter instructos, datamque sibi occasionem „ gaudent, qua libere, & fiducialiter, suffragante etiam „ Apostolicæ Sedis auctoritate, eloquantur, & afferat unus„ quisque quod credit. Quis autem Apostolatui vestro pro „ hoc tanto munere, quod non solum Gallias, sed totum „ mundum veluti quibusdam pretiosissimis gemmis ornavit, „ dignas æstimet gratias posse persolvi? Doctrinæ post Deum „ vestræ debet fidelis, ut constanter teneat, quod credebat: „ debe-

(1) Epist. Synod. post 72. S. Leonis juxta editionem Cacciarii.

„ debebit etiam infidelis, ut a sua perfidia, agnita veritate, „ discedat, & Apostolicæ institutionis luce perfusus, erroris „ sui tenebras derelinquat, magisque sequatur, & credat, „ quod per os vestrum Dominus noster Jesus Christus de sa- „ cramento Incarnationis suæ docet, quam id teneat, quod „ diabolus humanæ salutis, & veritatis inimicus instillat ". Anne hi interiores animi sensus cum Bossuetiano systemate conveniunt, & non potius illud omnino evertunt, atque destruunt? Qua ergo ratione Bossuetius uti rem certam, atque indubitatam assumere potuerit, quod ipse de omnium consensione tradit esse comprobatum ex eo, quod fecerunt Gallicani Patres, accepta epistola Leonis, sane non video, neminemque videre posse arbitror.

§. VII. Dum Bossuetius inter ea comparationem instituit, quæ a singularibus Ecclesiis definita fuere, & quæ a Romana definiuntur, indeque infert, *vim illam ultimam, & ineluctabilem consensione constare*, tam sibi contradicendo, quam contradicentibus illi Patribus, Ecclesiam Romanam facit ejusdem auctoritatis cum ceteris Ecclesiis.

Defensionis &c. lib. 10., alias 15., cap. 6. & seq. traditione Patrum ostendit, Ecclesiæ Romanæ proprium esse, ut illud habeat, quod *immotum in fide* dicitur, & nunquam deficere possit (1). Libro autem 9., alias 14., cap. 1. ut evincat, ea non habere *ultimam, & ineluctabilem vim*, quæ auctoritate Summi Pontificis sine examine Œcumenici Concilii definita fuerint, illud opponit, tam sine Conciliis Œcumenicis, quam sine singulari definitione Romani Pontificis plures hæreses damnatas, atque profligatas omnino fuisse, singularibus Ecclesiis eas solummodo proscribentibus. Inde vero non illud esse colligendum animadvertit, hujusmodi Ecclesiis *ineluctabilem* auctoritatem adfuisse, sed *vim illam ultimam ineluctabilem unitate, & consensione constare*, quacumque tandem ratione, sive per Concilia, sive sine Conciliis, hujusmodi consensio manifestetur. Ex his vero infert, etiam quod Pontifex ex communi traditione pronuntiat, tunc habere *firmum, & infallibile ro-*

(1) Vide hujus lib. cap. 5. §. 4. & seq.

le robur, quando illud consensione omnium firmatum fuerit. Quod ergo Præsulibus aliarum Ecclesiarum, quodque aliis Ecclesiis, etiam Præsuli Romano, etiam Ecclesiæ Romanæ ipse tribuit. Nam, si eum audiamus, quemadmodum proscriptio hæresum facta ab aliis Ecclesiis non ob auctoritatem earum, sed ob consensionem omnium *ineluctabilem*, *& ultimam vim* acquisivit; ita etiam eodem modo *ineluctabilem*, *& ultimam vim* acquirit, quod a Romana Ecclesia proscribitur. Ubi ergo in ea illud *immotum in fide* sanctorum auctoritate Patrum comprobatum? Ubi illa indefectibilitas, quam ipsa habet? Pugnant enim hæc inter se duo: immotum in fide, indefectibile esse, in fidei rebus ineluctabile, & ultimam vim non habere.

Contendit sane Bossuetius, *illud immotum in fide* Ecclesiæ Romanæ, non vero Summis Pontificibus fuisse tributum: verum & ex multis aliis, & etiam ex illis testimoniis sanctorum Patrum, quæ ipse in medium adduxit, ut Romanæ Ecclesiæ *illud in motum in fide* esse tribuendum evinceret, nos ostendimus (1), quod a sanctis Patribus hac in re de Romana Ecclesia affirmatur, affirmandum quoque esse de Romanis Pontificibus, immo ad Romanos Pontifices referri oportere.

Illud quoque Bossuetius tradidit, ab Ecclesia Romana non omnem errorem excludendum esse, sed eum tantum, quem *contumace proposito* tueatur: at id & contra auctoritatem sanctorum Patrum, quibus usus fuerat ad extollendam auctoritatem Romanæ Ecclesiæ supra auctoritatem Romani Pontificis, & non sine contradictione fecit (2). Quum ergo interpositus error, interpositaque contradictio in eo, quod alteri opponitur, illius cum altero oppositionem non tollat, semper dicendum erit, Bossuetium, tam sibi contradicente, quam contradicentibus illi Patribus, Ecclesiam Romanam fecisse ejusdem auctoritatis cum ceteris Ecclesiis, dum comparationem eorum instituit, quæ ab aliis Ecclesiis definita fuere, & a Romana definiuntur, indeque infert, *vim illam ultimam*, *& ineluctabilem consensione constare*. Quapropter, sicuti Cl. Orsius De

(1) Hujus lib. cap. 5. §. 3. & seq. (2) Cit. cap. §. 5.

De Romani Pontificis Auctoritate lib. 3. cap. 1. recte animadvertit, " Et quilibet Episcopus, & quælibet particularis Syno-
" dus quum ita ex communi traditione pronuntiat, ut in ejus
" sententia *recognoscant omnes fidei suæ sensum*; statim adest illa
" consensio, quæ illius judiciis firmum, & ineluctabile robur
" adjungit. Ita in Cyrilli Alexandrini ad Nestorium epistola
" statim ac Ephesini Patres recognoverunt fidei suæ sensum
" illa ineluctabilis auctoritatis robur obtinuit. Ita in litteris
" Tarasii, & Orientis Patriarcharum ad ipsum, statim ac VII.
" Synodi Patres recognoverunt fidei suæ sensum, & ipsæ in
" summæ auctoritatis arcem invaserunt. Quid ergo singula-
" re, & eximium Romano Pontifici, præ aliis Episcopis tri-
" buitur, præter verba in adversariorum libris sensu, & spiri-
" tu vacua, & solum ad faciendum fucum idonea"?

§. VIII. Difficultates, quæ occurrunt in pervestigando omnium consensu quoad rem aliquam, nullo modo contemni possunt, sicuti Bossuetius fecit.

Quum ergo ad ostendendum quam præter omnem rationem Bossuetius infallibile robur definitionibus Pontificiis ex consensu omnium conciliari contenderet, nonnulli ei objecissent, valde difficile esse, ut de hoc communi omnium consensu constaret; hujusmodi difficultatem Bossuetius primo contempsit, aliqua deinde superaddidit, quibus suadere conatus fuit, eam facile superari posse (1). Quædam nunc ergo contra eum dicemus de gravitate hujusmodi difficultatis, cetera in sequentibus expendentur a nobis.

Profecto ut de omnium consensione in rem aliquam perspectum esse possit, etsi hujusmodi res non sit recenter definita, nullius gentis, populi, aut nationis auctoritas contemni potest. Nemo sane est, qui, instar avis, præcipiti volatu de una commeare in aliam, atque aliam regionem possit, atque ita per se videre, aut exquirere, quinam communis sensus hominum sit hac, vel illa de re. Superest ergo, ut de ea quis vel per litteras, aut nuncios exquirat, vel si id non possit, noscat ab hominibus eruditioribus, aut ex lectione libro-

(1) Vide hujus cap. §. 1.

brorum certior fiat. Omnium quidem expeditissima ea ratio foret, qua ab eruditis viris, atque in omni genere litterarum versatis, hac de consensione quæreretur. Verum anne suppetit tanta copia hujusmodi hominum, quæ ad institutionem imperitorum sufficiat? anne ubique tales homines præsto esse possunt, quemadmodum necessitas postularet? Nam ubique gentium non solum longe majorem numerum imperitorum, quam sapientiorum, esse novimus, sed etiam inter illos totum fere genus hominum recenseri posse, ac propterea etiam futurum, ut omnino paucissimi ex lectione librorum assequantur, quinam sit aliqua de re communis hominum sensus.

Si autem, uti dicebamus, licet agatur de re aliqua non recenter invecta, sed pervulgata, tamen ut de ea consensus gentium perspectus habeatur, tam multis difficultatibus impedimur; quid dicendum erit, si non quidem de novo articulo fidei: hoc enim fieri non potest; sed de nova aliqua definitione fidei agatur? Tunc sane, ut quænam de ea hominum consensio sit, investigetur, longe plures gravioresque difficultates ob ipsam rei novitatem occurrant oportet. Hoc vero est, quod necessario contingere debet, dum iste consensus, de quo nunc loquimur, exquiritur. Novum quidem articulum fidei Summus Pontifex non constituit, sed aliquid, sicut in Dei verbo scripto, aut tradito contentum, ad fidem pertinere declarat, dum ex cathedra definit, atque quod definierit, omnibus credendum indicit. Si cum Bossuetio admittatur, hoc ipsum a Summo Pontifice ex cathedra definitum, atque propositum omnibus ad credendum, dum in se spectetur, non habere *indeclinabile robur*, sed acquirere illud, quando *ita ex communi traditione pronuntiatum* constiterit, *ut in ejus sententia recognoscant omnes fidei suæ sensum*, inquirendum supererit, quid de eo communis sensus hominum habeat. Hujusmodi igitur inquisitio præter omnes alias difficultates involvet quoque illam, quæ ab ipsa novitate rei proficiscitur, propter quam longe difficilius evadit, investigare communem consensum hominum in rem aliquam recenter invectam, quam in antiquam, atque pervulgatam. Quapropter

non

non erat ſane, cur Boſſuetius hac loquendi ratione: *Ne illi vani ſunt*, contemneret eos, qui has illi difficultates objecerant; ac propterea dicendum eſt, difficultates, quæ occurrunt in exquirendo communi conſenſu quoad rem aliquam, nullo modo contemni poſſe, quemadmodum Boſſuetius præter omnem rationem fecit. Undè nodum non ſolvit, ſed ſecat, dum objectam ſibi difficultatem contemnit; ac propterea ex ea ſemper conſtat, non ſolum quam longe a vero, ſed etiam ab omni apparentia veritatis abhorreat, quod ipſe in hac quæſtione de ſuo illo conſenſu omnium affirmat, etiamſi ad rationem tantum attendamus, qua de eodem nobis perſpectum eſſe poteſt.

§. IX. Boſſuetius pro ſua ſententia illud fruſtra reponit, non minùs in republica Chriſtiana, quam in civili, ex ſolo uſu, atque conſenſu omnium conſtare de multis rebus (1).

Plura ergo ab ipſa conſuetudine primum introducta, accedente conſenſu legislatoris, ullo ſine alio adjumento obtinuiſſe vim legis, & nos fatemur: neque etiam negamus, multa ex communi conſenſione, nulla intercedente promulgatione legis, conſtituta fuiſſe, quæ ſervantur ab omnibus, atque ad jus gentium pertinere dicuntur: illud quoque profitemur, multa ſacra dogmata fidei ulla ſine ſcriptura in Eccleſia ſervata, deque iis ex Eccleſiarum conſenſione conſtare (2). At vero ſicuti nulla conſuetudo, quæ apud populum in more ſit, obtinet vim legis, niſi conſenſus legislatoris accedat, & hoc interveniente, quam non habebat, rationem legis aſſequitur (3); ita etiam conſenſione omnium fieri non poſſe debet, ut ab ea ſuam ultimam auctoritatem habeat, quod a Supremo Eccleſiæ Legislatore definitum fuit (4). Ad ea autem, quæ juris gentium eſſe dicuntur, non ſolum una cum gentibus, & nationibus etiam earum Legislatores conſenſerunt, ſed etiam ſua conſenſione effecerunt, ut ea dici poſſent jura gentium, & revera eſſent: unde hæc quoque jura non a gentibus,

(1) Vide hujus cap. §. 1. (2) Vide lib 15. cap. 4. §. 7. (3) Vide lib. 7. cap. 7. §. 1. & ſeqq. (4) De Suprema legislativa poteſtate Summi Pontificis lib. 19. cap. 3. §. 1. & ſeqq. egimus.

tibus, seu nationibus tantum, sed etiam a Legislatoribus suam ultimam firmitatem habent (1). Idem est ergo dicendum etiam de illis, quæ a Supremo Ecclesiæ Legislatore proficiscuntur. Tandem plura dogmata fidei in Ecclesia ob solam traditionem servata fuisse tuemur: verum undenam de iis nobis compertum? Ex Ecclesiis sane Apostolicis (2), non vero ex communi consensu omnium: vel ex una Ecclesia Romana, quæ propter sui *potiorem principalitatem* ceteris præest (3). Quæ igitur Ecclesia Romana, hoc est, Summus Pontifex nobis a Deo tradita esse definierit, ad sui ultimam firmitatem consensum omnium non requirunt; immo repugnat, ut iste consensus ad hunc effectum requiratur. Præter hæc autem ea difficultas contra Bossuetium semper facit, quæ necessario occurrit, dum de investigando consensu omnium in rem aliquam agitur. Nam quemadmodum nonnisi post longum tempus, quo incœperit, vim legis consuetudo obtinet; sicuti etiam jura, quæ gentium dicuntur, pedetentium constituta fuere; ita multo potiori jure nonnisi post longum tempus, atque pedetentim omnium consensus de re aliqua, & potissimum de nostra, cognosci potest: talis enim ea est, ut non veniat in usum hominum, sicuti illa, quæ a consuetudine, vel jure gentium proficiscuntur, sed in mente eorum plerumque lateat. Unde quamvis aliquis omnem diligentiam impendat ad hunc consensum omnium investigandum, licet illi nihil eorum desit, quæ ad hunc finem requiruntur: quod sane difficile est, & unus tantum, aut alter id habere potest; tamen nonnisi post multum temporis eum nosse poterit, ac propterea diutius fluctuabitur, longe diuturniori tempore, si non omni eo, quo circumscribitur vita hominis, cuncti alii fluctuabuntur, utrum hoc, vel illud dogma certa, & infallibili fide tenendum sit.

At & illud quoque nunc videamus, quam diversa sit ratio, quam Irenæus sequutus fuit, dum ageretur de iis, quæ certa, & infallibili fide teneri debent, ab illa, quam Bossuetius tenendam constituit. Irenæus ergo *Cont. Hæreses* lib. 3. cap. 3.

(1) Lib. 6. cap. 1. §. 7. (2) Vide Tertullianum in lib. *De Præscript.* cap. 22. (3) Ita S. Irenæus eo loco, quem mox laudabimus.

cap.3.n.1.dicit,traditionem Apostolorum *respici posse ab omnibus, qui vera velint videre*. Verumtamen inquit num.2. " Quoniam
„ valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum
„ enumerare successiones; maximæ, & antiquissimæ, & omni-
„ bus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro, &
„ Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam
„ habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus
„ fidem, per successionem Episcoporum pervenientem usque
„ ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo
„ modo vel per sibi placentia, vel per vanam gloriam, vel per
„ cœcitatem, & malam sententiam, præter quam oportet
„ colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem prin-
„ cipalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc
„ est, eos, qui sunt undique Fideles ". Omnino autem contraria ratione Bossuetius agit: nam quæ est annuntiata fides a maxima, antiquissima, & omnibus cognita Ecclesia, ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes, qui sunt undique Fideles, si ipsum audiamus, consensione omnium, qui sunt undique Fideles, probari debet, ut suum ultimum infallibile robur assequatur. Irenæo, quamvis de eo ageretur, quod in Ecclesia Catholica non recenter definitum erat, sed profectum ab Apostolis, una cum ipsa Ecclesia suam originem habebat, semperque constantissime retentum fuerat, nimis longum visum fuit, omnium Ecclesiarum successiones enumerare, sed ad hæreses plene confutandas satis habuit, in Romana Ecclesia sistere, & annuntiatam ab ea fidem, ut rem certissimam indicere omnibus, quæ non solum ad sui ultimam firmitatem consensione cunctorum non indigeret, sed ad eam nemo Fidelium non conformari deberet. Bossuetio autem, quamvis de eo agatur, quod in Ecclesia Catholica est recenter invectum; (uti enim monuimus, res quidem definita semper in Ecclesia retenta fuit, definitio autem hæc, vel illa a Supremo Ecclesiæ capite subinde proficiscitur) tamen ipsi longum non videtur, immo vult etiam, ut nemini longum videatur, omnium Ecclesiarum enumerare successiones, neque ad hæreses plene confutandas,

contrariamque definitionem certa, & infallibili fide recipiendam, satis habet in Romana Ecclesia sistere, & annuntiatam ab ea fidem, uti rem certissimam, & infallibilem habere, sed ad ultimam firmitatem ejus consensum omnium exquirit. Anne fortasse dici potest, Irenæi rationem improbandam, Bossuetii vero sequendam? Sed cetera prosequamur.

§. X. Quod ab Augustino, Vincentio Lirinensi, & aliis Patribus contra hæreticos, & schismaticos servatum legimus, ad Bossuetii causam non facit (1).

Longa traditione, quæ cum ipsa Ecclesia originem habuerat, & apud singulas Ecclesias, cunctosque Fideles certi, atque infallibilis principii loco tenebatur, Patres, & recte quidem, tam contra hæreticos, quam contra schismaticos usi fuerunt. Testimonio ergo non minus valido, atque firmo, quam omnino pervulgato apud omnes Ecclesias, atque Fideles contra illos usi fuerunt, non autem incerto, minus noto, aut tali, quod circa rem aliquam versaretur, in quam omnes recenter tantum consentire potuissent, & ob definitionem, quæ non multo ante tempore facta esset, suam illi consensionem adjungere. Provocabant ergo ad communem totius Ecclesiæ fidem, quæ apud omnes Catholicos, videntibus etiam hæreticis, atque schismaticis, ubique insonabat, firmiterque tenebatur, eam vero hæretici, & schismatici respuebant, indeque ab Ecclesia Catholica se separatos noverant. Quapropter sicuti Patres communem Ecclesiæ fidem hæreticis, & schismaticis objecerunt non ducti inani rumore vulgi, non unius, aut alterius consensione gentis, sed testimonio omnium Ecclesiarum, omnium Catholicorum, & eo quidem tam evidenti, tam pervulgato, tam manifesto, ut ne hæretici quidem ausi fuerint ab eis quærere, quos misissent nuncios, quas accepissent litteras; ita nos quoque ejus communis consensionis, quæ definitionibus Summi Pontificis a Fidelibus adjungitur, testimonium omnium Ecclesiarum, certum, evidens, atque omnino pervulgatum apud omnes requirimus. Ab hac enim consensione, si Bossuetius audiatur, non pendet res levis

(1) Vide §. 1.

vis momenti, ſed maximi ſane, atque omnium graviſſimi, quum ea fiat, ut omnino firma, atque infallibili fide tenendum ſit, quod Summus Pontifex definierit. Ut hujuſmodi vero teſtimonium habeatur, anne illæ difficultates, quas commemoravimus, ſemper non obſiſtunt? Diximus ſæpe, ſemperque dicemus, de re nova agi, tam ſi ſpectemus, non quidem rem definitam, ſed definitionem, quam ſi ipſum omnium conſenſum attendamus. Communis autem Eccleſiæ fides, quam Patres opponebant hæreticis, atque ſchiſmaticis, nullo ex capite nova erat, ſed una cum ipſa Eccleſia ſtabilita fuerat, cum ea adoleverat, in omnium cordibus inhærebat.

§. XI. Aliqua tam manifeſta eſſe, ut ne contumaces quidem ea negare audeant, falſo Boſſuetius putat, indeque hunc conſenſum, de quo nunc agimus, nullo negotio exploratum unicuique eſſe poſſe, non minus falſo colligit (1).

Illud ergo primum a Boſſuetio quærimus, qua ratione ſibi perſuadere potuerit, quædam tam clara, tamque manifeſta eſſe, ut ea ne contumaces quidem negare audeant: quandoquidem nonne ab hæreticis id quoque pervicaci obſtinatione negatum novimus, quod in Dei verbo apertiſſime traditum habemus? Quænam ſint dogmata Proteſtantium ipſe ſane omnium maxime novit: varios quoque, multiplicesque errores Socinianorum perſpectos habuit. Quid vero non evidentiſſimum, non apertiſſime traditum in Divino verbo vel ſcripto, vel tradito iſti non negarunt? Quapropter ſi conſenſionem de qua nunc agimus, facile perſpectam eſſe inde velit, ſicuti revera vult, quia aliqua tam manifeſta ſunt, ut ea ne contumaces quidem negare audeant, incerto ſe fundamento niti, ipſe quoque fateatur oportet. At vero anne omnia, quæ ad Catholicam fidem ſpectant, eamdem perſpicuitatem habent, aut eodem modo manifeſta ſunt? " Sed & id poſtremo
„ conſiderandum (inquit Melchior Canus lib. 6. *De Locis*
„ *Theologicis* cap. 8.) eſt enim res magna, & diligenti con-
„ templatione digniſſima, non illud modo ad Catholicam do-
„ ctrinam pertinere, quod Apoſtolis expreſſe revelatum eſt,
„ ve-

(1) Vide §. 1. hujus cap.

„ verum hoc etiam, quod ex altera propositione revelata, & „ altera certa in lumine naturali, syllogismo, collectioneque „ evidenti conficitur. Christum Dominum habere voluntates „ duas, duosque intellectus, utriusque item actiones, & „ creatam, & increatam, aut Christum etiam ridere suapte „ natura, ut homines ceteros, posse, in sacris forte Litteris „ non habetur expressum. Sed quoniam traditum in illis est, „ Filium Dei esse hominem,& naturali ratione constat omnem „ hominem habere voluntatem, intellectumque creatum, „ operationesque utriusque potentiæ etiam creatas, omnem „ item hominem ut flere, ita ridere quoque posse: qui utrumquodlibet eorum negaverit, is hæreticus judicabitur: pro„ pterea quod negando consequens, scilicet Filium Dei ha„ bere intellectum, intellectionemque creatam, negat pro„ inde antecedens, ex quo illud colligebatur, hoc est, Fi„ lium Dei esse hominem". Ita Canus, qui hoc loci alia duo exempla in eamdem rem affert, & præter ea alia quoque plura afferri possent. Anne hæc etiam ita manifesta esse Bossuetius contendet, ut ea ne contumaces quidem negare audeant, si ipsa experientia compertum habemus, illa quoque ab hujusmodi hominibus negata fuisse, quæ ita evidenter in Divino verbo tradita recepimus, ut ipsum animum legentis statim feriant,& in certam Catholicorum dogmatum cognitionem adducant? Et sane qua tandem de causa a Patribus, dum simul in Concilio congregati forent, tam diligenter perpensum fuit, quid ex Divino verbo consequeretur,quid vero non consequeretur, si quæ ad fidem Catholicam spectant, ab omnibus summa facilitate intelligi possent, & ne pervicaces quidem negare auderent? Spectant ergo ad fidem Catholicam etiam quæ non sunt tam clara, atque manifesta, & hoc etiam Bossuetius concedit, quum dicat, *quædam* tam clara, atque manifesta esse, ut ea ne contumaces quidem negare audeant. Si igitur ipse contendit, quamvis falso, sicuti ostendimus, omnium consensionem perspectam esse quoad aliqua, quæ sunt clara, atque manifesta, quoad alia, quæ non sunt clara, & manifesta, idem contendere non potest. At hæc quoque ad fidem Catho-

Catholicam ſpectant, & ſuper ea etiam, immo præcipue, Summorum Pontificum definitiones cadunt: de his ergo Boſſuetius conſenſum omnium manifeſtum eſſe nullo modo præſumere poteſt, ſicut de aliis claris, atque manifeſtis præſumit. Eorum igitur communem conſenſum ut quiſpiam aſſequatur, quamvis eum aliunde id in ſe habere ſupponamus, quod ad rem tantam requiritur, eas difficultates ſuperare debet, quas Boſſuetio objectas fuiſſe legimus (1). Aliqua ergo tam manifeſta eſſe, ut ne contumaces quidem ea negare audeant, falſo Boſſuetius putat, indeque hunc conſenſum, de quo nunc agimus, nullo negotio unicuique exploratum eſſe poſſe, non minus falſo colligit. Ultimam ergo certitudinem fidei dogmatum a Summo Pontifice definitorum ab eo principio repetit, quod omnibus plerumque ignotum eſſe debet, ab aliquibus autem, immo pauciſſimis, non ſine maxima, graviſſimaque difficultate, & nonniſi poſt longum tempus, inveſtigari poteſt.

§. XII. Boſſuetius & contra ſe facit, & difficultatem non effugit, dum emollire contendit, quod de ſuo illo conſenſu ad infallibilitatem dogmatum a Summo Pontifice ſemel definitorum requiſito tradiderat.

Dicit ergo Boſſuetius (2), quamdam in Eccleſia vocem eſſe, « Quæ quocumque locorum diffunditur, quam etiam » ante omnem dictam ſententiam Catholici audiunt, Nova» tores contremiſcunt « . In hoc ei non repugnamus, dum tamen hujus nomine vocis unitas illa fidei intelligatur, qua omnes cum Supremo Eccleſiæ capite conjunguntur, quum Primatus auctoritatis, & juriſdictionis ad fidei unitatem tuendam ſit inſtitutus (3). Proſequitur Boſſuetius: « Quanto ma» gis (hoc eſt, Catholici audiunt, Novatores contremiſcunt) » quum prolatum judicium ab altiſſima Petri ſede ad omnes » perlabitur Eccleſias « ? Igitur, ipſo ſentiente, ſi omnes Fideles audiunt, omnes hæretici contremiſcunt Eccleſiæ vocem, etiamſi nullum judicium prolatum fuerit, longe potiori jure & omnes Fideles audire, & omnes hæretici eamdem vocem

(1) Cit. §. (2) Cit. §. (3) Lib. 18. cap. 2. §. 9.

cem contremiscere debent, quando ab altissima Petri sede judicium prolatum habeatur. Fidelium ergo omnino est audire, hæreticorum autem timere judicium ab altissima Petri sede prolatum. Verum hoc & nos quoque profitemur, atque propugnamus. Si autem Fidelium omnino sit audire judicium ab altissima Petri sede prolatum; eorum amplius esse non poterit, sua consensione ultimam firmitatem hujusmodi judicio tribuere. Verumtamen Bossuetius ultra pergit, & *desinant* inquit *sibique*, *& nobis illudere*: consensus iste, qui requiritur, tunc habetur, quando *nullus reclamat*, & omnes *ipsa vi traditionis in corpus Ecclesiæ coalescunt*, atque ita omnes difficultates se dissipasse putat, quæ ad illum consensum investigandum subeundæ forent. At si qui revera sunt Fideles Ecclesiæ vocem, etiam nullo prolato judicio, audiunt, si potiori jure audiunt, quando judicium ab altissima Petri Sede prolatum fuerit; eorum esse non debet, neque potest, reclamare, ac propterea etiam juxta principia Bossuetii si non reclamaverint, illi judicio, quod ab altissima Petri Sede prolatum fuerit, infallibilitas non accrescet. Nam si reclamaverint; suo Capiti, & quidem Supremo, rebelles extiterunt: si autem non reclamaverint; præstitere, quod debebant. Quid deinde? Anne fortasse, licet consensum omnium in eo ponamus, quod nullus reclamaverit, sunt inde sublatæ difficultates, quæ ad investigandum hujusmodi consensum superari debent. Profecto semel ac inquirendum sit, utrum omnes in re aliqua non dissenserint, sive non reclamaverint, quæ novo, recentique judicio definita sint, eædem profecto difficultates superari debent, ac si consensus omnium, sive singularis approbatio in rem illam investiganda foret, uti nemo non videt. Bossuetius igitur & contra se facit, & difficultatem non effugit, dum emollire contendit, quod de suo illo consensu ad infallibilitatem dogmatum a Summo Pontifice semel definitorum requisito tradiderat.

§. XIII. Difficultatibus locus non præcluditur, si satis esse dicatur, ut hic consensus, de quo nunc agimus, sit antecedens, vel consequens, vel subsequens.

Nata-

Natalis ab Alexandro *in Hist. Ecclesiast.* 7. seculi Disser. 2. Proposit. 2. dum explicat sententiam Sacræ Parisiensis Facultatis, requirentis consensum Ecclesiæ ad infallibilitatem Pontificiorum judiciorum, satis esse tradit, ut hujusmodi consensus sit vel antecedens, vel concomitans, vel subsequens:
„ Potissimum signum (inquit) quo innotescit Fidelibus acquie-
„ scendum esse, & firmiter inhærendum judicio a Romanis
„ Pontificibus de controversiis fidei in Ecclesia emergentibus,
„ est Ecclesiæ consensus, vel antecedens, vel concomitans,
„ vel subsequens. Antecedens, quum variis Conciliis natio-
„ nalibus eliquatam veritatem Romanus Pontifex universæ Ec-
„ clesiæ ut dogma Catholicum credendum proponit ... Con-
„ comitans adest, quum Romanus Pontifex Concilio Œcume-
„ nico, ut caput membris, per se præsidens controversias fi-
„ dei judicat, & finit, sacro approbante Concilio ... subse-
„ quens demum Ecclesiæ consensus est, quum Romanus Pon-
„ tifex de fidei quæstione judicat, & suam deinde sententiam
„ mittit ad Œcumenicam Synodum per Legatos, qui ipsius
„ nomine sacro totius Ecclesiæ conventui præsint; vel absque
„ universali Synodo, quam necessariam tunc non judicat,
„ ad orbis universi Episcopos. Si enim Episcoporum major,
„ aut sanior pars (sanior autem est, quæ Ecclesiæ Romanæ
„ ceterarum matri, & magistræ, & Summo Pontifici Christia-
„ norum omnium Patri, & Doctori fidei depositum tuenti ad-
„ hæret) illius definitionem, ac sententiam, ut ore S. Petri
„ prolatam receperit, dubium esse debet nemini Catholice
„ sentienti, quin Romanus Pontifex in ea ferenda fidei regu-
„ las sequutus sit, quum errare non possit Ecclesia, quæ est
„ columna, & firmamentum veritatis “.

Consensum antecedentem primo expendamus. Accessione profecto consensus Ecclesiæ, non illius, aut istius singularis, puta Gallicanæ, aut Hispanicæ, sed universalis, Adversarii nostri fieri autumant, ut judicia de fide a Summo Pontifice edita ultimum robur acquirant, atque infallibilia evadant. Universæ enim Ecclesiæ divinitus promissum habemus, nunquam futurum, ut a recta fide deficiat, non vero singularibus,

quarum multas ab ea revera defeciſſe, utinam non noſſemus. Hoc ſemel conſtituto, quod certum eſt apud omnes, ita nunc ego. Conſenſus antecedens tunc habetur, quando Summus Pontifex veritatem eliquatam in pluribus Conciliis nationalibus uti dogma Catholicum univerſæ Eccleſiæ credendum proponit: hæc autem nationalia Concilia univerſam Eccleſiam profecto non repræſentant, eorumque conſenſione de univerſæ Eccleſiæ conſenſione non conſtat: quæ igitur conſenſione illorum firmata fuerint, univerſæ Eccleſiæ conſenſione firmata eſſe, dici non poteſt. At vero communis univerſæ Eccleſiæ conſenſus ille ſane eſt, quo fit, etiam Adverſariis noſtris fatentibus, ut judicia de fide a Summo Pontifice edita ultimum robur acquirant, & infallibilia evadant: conſenſus ergo antecedens talis non eſt, ut ab eo illud præſtari poſſit, quod Adverſarii noſtri volunt, ac propterea dum eum requirunt ad ultimam firmitatem judiciorum a Summo Pontifice de fide editorum, quam falſum ſit, quod tuentur, ipſi per ſe produnt.

Deinde ad ultimam firmitatem conciliandam hujuſmodi judiciis Eccleſiæ conſenſum profecto requirunt: oportet igitur, ut in hujuſmodi conſenſu id auctoritatis inhæreat, quod in Summo Pontifice non inhæret, etiam dum fidei judicia profert. Hæc enim judicia ſi conſenſu antecedenti deſtituantur, infallibilia non ſunt: infallibilia autem evadunt, ſi illum habeant. Quum ergo huic conſenſui tunc ſit locus, quando veritas in variis Conciliis nationalibus eliquata fuerit, inde neceſſario conſequitur, in nationalibus Conciliis plus auctoritatis, & quidem habita ratione rei omnium graviſſimæ, quæ univerſam Eccleſiam attingit, ineſſe, quam in Supremo totius Eccleſiæ capite. Id autem nunquam etiam in Adverſariorum noſtrorum mentem venit, aut in alicujus, qui Supremum caput in Eccleſia agnoſcat, atque revereatur, aliquando venire poſſe arbitror.

Tandem ex nationalibus Conciliis in ſe ſpectatis, hoc eſt, ſi Romani Pontificis auctoritate confirmata non fuerint, probabile quidem argumentum accipitur ad ſuadenda dogmata fidei, non tamen omnino certum, atque infallibile:

le (1) : & dum eorum de fide decreta a Summo Pontifice, aut ab universæ Ecclesiæ auctoritate confirmantur, certam firmitatem acquirunt. Quomodo ergo fieri poterit, ut quia veritas in iisdem eliquata fuerit, illud ultimum robur acquirat, quod aliunde ex Summi Pontificis auctoritate non haberet? Alia in rem istam superaddere possemus; verum hæc sufficere arbitramur.

Consensus concomitans plura sæpissime impediunt, ne habeatur, ex eo quod sine Concilio Œcumenico nobis de illo compertum esse non possit. Œcumenicorum Conciliorum conventus ut habeatur, quam graves sæpe difficultates impediunt, sicuti nemo non novit. Inde vero est, ut ab exordio Christianæ reipublicæ ad hæc usque tempora non multi habiti fuerint hujusmodi conventus, & si haberi voluissent, non potuissent. Aliunde etiam non postulat Ecclesiæ necessitas, ut frequentius habeantur; alioquin hoc necessario adjumento Ecclesia per plura secula destituta fuisset. Semper autem contra rectam fidem novi errores insurgunt, opinionum portenta disseminantur, uti divinitus traditum defenditur, quod sacræ Traditioni adversatur, & quandoque etiam inter eos, qui religionem Catholicam ex animo profitentur, graves quæstiones exardescunt, quæ tangunt dogmata fidei, quemadmodum ipsa experientia omnium seculorum compertum habemus. Semel ac autem concomitans consensus Ecclesiæ in Œcumenico Concilio manifestatus necessario requiratur, ut sit infallibilis auctoritatis, quod Summus Pontifex, prout utilitas, immo necessitas Ecclesiæ exigebat, contra, vel secundum rectam fidem esse definierit, atque omnibus indixerit; nemo inde consequi non videt, futurum esse, ut qui in fidei errore versantur, eo usque infallibili auctoritate se victos non esse, prætendere possint, quo aliquod Œcumenicum Concilium habeatur, in quo Ecclesiæ consensus manifestus fiat. Interim ergo quamvis gravissima, non tamen infallibili auctoritate damnati, de suo errore non omnino convicti, deque contraria veritate non omnino persuasi remanebunt, ac propterea in errore,

 quem

(1) Vide Melchiorem Canum *De Locis Theolog*. lib. 5. cap. 4. concl. 6.

quem femel propugnandum fufceperunt, perfiftere quodammodo poffe fibi videbuntur. Eo vel maxime, quia infallibilis judicii auctoritate proponantur oportet, quæ ad fidem fpectant; alioquin quæ fidei funt, quoad fui certitudinem cum aliis fane multis comparari poffent, quæ nullo modo fidem attingunt. Deinde nonne eft Summus Pontifex Suprema legislativa auctoritate præditus, qua ea vel maxime, atque præcipue attingit, quæ fidei funt (1)? Nonne ejus Supremæ legislativæ poteftati fefe fubjeciffe novimus Præfules Ecclefiarum fimul unitos in cœtibus, omnium, qui dari poffint, præftantiffimis, atque celeberrimis (2)? Nonne regimen Summi Pontificis abfolute Monarchicum eft, quod nullam contemperationem patitur, quæ ab Ariftocratia proficifcatur (3)? Nonne Summo Pontifici tribui jus veræ, & propriæ dictæ confirmationis in ea debet, quæ in Conciliis Œcumenicis decreta fuerint (4)? Nonne hoc de jure ex ipfis Conciliis Œcumenicis perfpectum habemus (5)? Nihil autem magis his omnibus adverfari poteft, quam confenfus ille concomitans, qui ab Adverfario noftro ad infallibilitatem Pontificiorum de fide judiciorum requiritur. Unde non erat fane, cur ipfe Patres Aurelianenfis V. Concilii celebraret, quia in primo Canone, in quo Neftorii, & Eutychetis fectatores anathematizantur, mentionem fecerint ejus judicii, quod Sedes Apoftolica protulerat, non vero commemorarint judicium latum a Synodo Ephefina, & Chalcedonenfi, fatis rati, quum de fidei dogmatibus ageretur, fi fuam de eis Sedes Apoftolica fententiam protuliffet. Nam *Hift. Ecclefiaft.* feculo 7. cap.5. art.18. loquens de Canonibus in V. Aurelianenfi Concilio editis ita habet: " Hi
„ præ ceteris notandi videntur. *Primus*, quo Neftorii, & Eu-
„ tychetis fecta cum earum auctoribus, & fectatoribus ana-
„ thematizatur, fecundum Sedis Apoftolicæ judicium. *Quas*
„ *etiam fectas*, inquit, *Sedes Apoftolica condemnat*. Hærefes
„ illas in Synodo Ephefina, & Chalcedonenfi damnatas non
„ igno-

(1) Lib.19. cap. 2. §.1. & feqq. (2) Cit. loco §.10. (3) Lib. 20. toto cap. 4. (4) Lib. 21. cap. 3. §.17. & feqq. (5) Cit. loco §.20. & feqq.

„ ignorabant Ecclesiæ Gallicanæ Patres; tamen Apostolicæ „ tantum Sedis in suo decreto meminerunt, rati satis esse, „ quum de fidei dogmatibus ageretur, si sanciretur constitu- „ tio, quæ Romanæ Sedis niteretur auctoritate, cui refraga- „ ri nullus deberet". Adeo certum est, quod veritas aliquando assensum extorqueat etiam ab invitis.

Consensum Ecclesiæ consequentem duplici ratione innotescere posse, tradit Natalis ab Alexandro: 1. quidem quando in Synodo Œcumenica confirmatur, quod jam a Summo Pontifice definitum fuerit: 2. quando Summus Pontifex suam definitionem fidei ad Episcopos mittit, atque ab eorum *majori*, *aut saniori* parte probatur, quod ille definierit. Contra priorem rationem eæ semper difficultates recurrunt, quas exposuimus, illaque semel posita, facile consequeretur, ut Fideles, & ii quoque, qui vitam longissimam ducerent, nunquam infallibili judicio certi esse possent, utrum Summus Pontifex dum fidei definitionem tulit, fidei regulam sequutus foret. Nam per integra secula, nemo non novit, nulla Concilia Œcumenica habita fuisse. In multis ergo, quæ ad fidem spectant, toto vitæ suæ tempore Fideles aliquando, saltem aliqua ratione, quia infallibili judicio destituti erant, fluctuassent, & nunc quoque, sequentibusque temporibus, facile fluctuare possent. Esset ne inde Ecclesiæ recte provisum?

Contra alteram vero rationem idem ipse Adversarius noster facit, dum hujusmodi consequentem consensum explicat, quem requirit ad infallibilitatem eorum, quæ a Summo Pontifice definiuntur. Si Episcoporum major, aut sanior pars, inquit ille, definitionem, aut sententiam Pontificis receperit; tunc sane nemini Catholicorum dubitare licet, quin Romanus Pontifex, dum eam tulit, fidei regulas sequutus sit. Vel majoris ergo, vel sanioris partis Episcoporum est assensione contentus: semel ac ergo una ex duabus hisce assensionibus habeatur, vel majoris partis, licet non sanioris, vel sanioris partis, quamvis non majoris, tunc sane perspectum est, Summum Pontificem in suis definitionibus fidei regulas sequutum esse: admittit ergo etiam consensione partis, licet majo-

majoris, non tamen sanioris, fieri, ut infallibile robur Pontificiis decretis accedat: igitur minus sani, dum sint numero plures, id infallibiliter firmare poterunt, quod ad Ecclesiæ universalis fidem spectat. Anne hoc in alicujus mentem venire potest? Et re quidem vera neque etiam in Adversarii nostri mentem venit, quamvis omnino ex illa disjunctione consequatur, quam inter utramque consensionem ipse posuit. Nam eo, & recte quidem, sentiente, est sane pars illa sanior, „ Quæ Ecclesiæ Romanæ, ceterarum matri, & magistræ, & „ Summo Pontifici Christianorum omnium Patri, & Doctori „ fidei depositum tuenti, adhæret". Pars ergo non sanior, licet major, a Romana Ecclesia ceterarum matre, & magistra, atque a Summo Pontifice Christianorum omnium Patre, & Doctore, aversa erit. Nisi ergo Adversarius noster velit: quod tamen se velle nunquam præsetulit, immo contrarium semper omnino tuetur; judicio eorum, qui aversi sunt ab Ecclesia Romana ceterarum matre, ac magistra, atque a Romano Pontifice Christianorum omnium Patre, & Doctore, fidei depositum tuente, id fieri, ut infallibile robur editis a Summo Pontifice definitionibus superaddatur; necessario consequitur, & quidem etiam juxta principia illius, consensum consequentem, majoris tantum partis habita ratione, ab eo quoque rejici oportere, uti omnino contrarium illi fini, propter quem posuit.

De consensu saniorum nunc videamus. Sunt ergo illi saniores, etiam Adversario nostro, & recte quidem, definiente, qui Romanæ Ecclesiæ, ceterarum matri, & magistræ, ac Summo Pontifici Christianorum omnium Patri, & Doctori, fidei depositum tuenti, adhærent. Adhæsio ergo illa, qua Romanæ Ecclesiæ ceterarum matri, & magistræ, qua Summo Pontifici Christianorum omnium Patri, & Doctori nonnulli conjunguntur, argumentum est illius majoris sanitatis, quæ in una parte præ altera sit, ita ut pars hæc altera, in qua hujusmodi adhæsio non est, dici sanior nullo modo possit. Sanitas autem, si de rebus fidei loquamur, in eo sane posita est, ut nullus errori locus subesse possit: ergo si qui adhærent Romanæ Ecclesiæ ceterarum matri, & magistræ, atque Summo Pontifici

tifici

tifici Christianorum omnium Patri, & Doctori, sanitatem acquirunt super alios, sanioresque dici debent, atque revera sunt, ipsi ex hac sua adhæsione habent, ut in fide errare non possint, non vero Romanæ Ecclesiæ, Romanoque Pontifici tribuunt, ut judicia eorum infallibilia evadant. Illos ergo dicendum est, fidei regulam fuisse sequutos, ex eo quod Romanæ Ecclesiæ, Romanoque Pontifici adhæserint, non autem Romanam Ecclesiam, Romanumque Pontificem fidei regulæ institisse, quia eisdem illi adhæserunt. Hoc vero alterum est illud, quod Adversarius noster vult una cum aliis: vult ergo quod repugnat, & etiam omnino opponitur notioni ab ipso traditæ partis sanioris. Qui ergo consensum Ecclesiæ consequentem ad infallibilitatem Pontificiorum judiciorum requirunt, nolentes admittunt, tum Fideles sequi regulam fidei, quando Romanæ Ecclesiæ, Romanoque Pontifici adhærent, non vero Romanum Pontificem fidei regulam sequutum esse, inde colligi debere, quia Fideles assentiuntur ejus definitionibus. Hoc aûtem semel posito, si non omnino tollitur, quod ad infallibilitatem Pontificiorum judiciorum ipsi requirunt, id nunquam tolli posse arbitror.

§. XIV. Quod a nonnullis traditur de consensione requisita ad infallibilitatem eorum, quæ Summus Pontifex uti certa fide ab omnibus tenenda definierit, juri etiam politici regiminis adversatur.

Illi Supremo juri, quod in legislatore revera inest, ferendi eas leges, quas ipse ad utilitatem boni communis magis opportunas esse judicaverit (1), non solum opponitur, ut lex pendeat ab acceptatione populorum (2), sed etiam ut lex sine illa acceptatione, seu consensione, suam ultimam firmitatem, ultimumque robur non habeat. Nam id quoque si semel detur, hoc est, pendere legem quoad sui ultimam firmitatem ab acceptatione, seu consensione populorum, inde sane consequitur, & in se non habere homines evidens testimonium ejus obligationis, ob quam humanis legibus parere debent; & eos, qui communitati cum auctoritate, & jurisdictione sibi pro-

(1) Lib. 16. cap. 1. (2) Eodem lib. cap. 7.

propria præsunt, plenam ferendi leges non habere facultatem, ac propterea in lege ab eis condita non omnino perfectam veræ legis rationem inhærere ; immo non esse secundum naturam hominum simul unitorum, ut sit inter eos, qui supremam legislativam potestatem habeat, qua ipsi regantur: quæ omnia falsa sunt, & jam refutata a nobis (1), iisque semel positis, regimen politicum omnino perverteretur. At vero Adversarii nostri suo illo consensu, quem requirunt, ut lex fidei a Summo Pontifice edita suam ultimam firmitatem, ultimumque suum robur habeat, hæc omnia conjungunt cum suprema illa potestate legislativa, quam Summus Pontifex super universam Ecclesiam obtinet (2): igitur id contendunt, quod etiam juri politici regiminis adversatur. Ad consensum autem illum prædicta omnia consequi, ita ostendimus. Summus Pontifex dum sua definitione aliquid certa fide tenendum omnibus indicit, ita indicit, ut de veritate ejus, atque omnimoda certitudine dubitandi locum nemini relinquat, sed vult, ut omnes suæ definitioni sese humiliter submittant, & eo modo recipiant, quo eam a cunctis Fidelibus, ut prorsus certam, atque omni firmitate præditam, recipiendam esse statuerit: dum ergo Adversarii ponunt ad infallibilitatem eorum, quæ Summus Pontifex ad fidem spectantia definierit, Fidelium consensum requiri, hæc simul ponunt: & non habere homines in se evidens testimonium ejus obligationis, propter quam humanis legibus parere debeant: & Summum Pontificem, qui universæ Ecclesiæ cum auctoritate, & jurisdictione sibi propria præest, plenam sanciendi leges facultatem non habere, quia suum illæ ultimum complementum a consensione Fidelium in hac suppositione reciperent, ac propterea legem ab eo conditam non omnem veræ legis habere rationem : immo secundum naturam hominum simul unitorum non esse, ut sit inter eos, qui Supremam legislativam potestatem habeat, a qua ipsi omnino regantur.

Hæc

(1) Lib. 16. cap. 3. §. 2. & seq. lib. 1. cap. 3. §. 2. & seq. lib. 16. cap. 1. §. 1. & seq. (2) Lib. 18. cap. 2. §. 1. & seqq. lib. 19. cap. 3. §. 1. & seqq.

Hæc vero omnia consequuntur, quivis tandem Adversariorum nostrorum explicandi modus recipiatur. Nam si cum Petro de Marca quispiam velit, de consensione Ecclesiæ constare debere vel ex subscriptione Episcoporum Provincialium, vel ex Concilio Œcumenico; tunc sane vel de Episcopis Provincialibus divisim acceptis, vel de Episcopis in Concilio Œcumenico simul unitis, dicendum erit, quod modo animadvertimus, indeque fiet, ut nobilior Fidelium cœtus erga Supremum universæ Ecclesiæ legislatorem sese habere non debeat, prout ipsa Suprema potestas legislativa postulat. Si autem Bossuetius audiatur, dicaturque firmum, & ineluctabile robur conciliari judiciis Pontificiis, quando in sententia illius recognoscunt *omnes* fidei suæ sensum; tunc Supremo Ecclesiæ capiti ferenti leges pro omnibus Fidelibus, possent omnes Fideles ea, qua supra innuimus ratione, obsistere, indeque fieret, ut quod pastori debetur, ovibus, & agnis supra pastorem tribueretur (1). Tandem quum juxta sententiam Natalis ab Alexandro de consensu antecedente constet ex variis Conciliis Nationalibus, in quibus illa veritas eliquata fuerit, quam Summus Pontifex uti dogma Catholicum universæ Ecclesiæ credendam proponit, de concomitanti ex Concilio Œcumenico, in quo Summus Pontifex fidei controversias, eodem Concilio approbante, finit, de subsequente ex confirmatione eorum, quæ Summus Pontifex decreverit, facta vel a Concilio Œcumenico, vel ab Episcopis orbis universi; semper æque compertum est, nobiliorem cœtum Fidelium contra Supremum Legislatorem peccare in iis omnibus, quæ supra commemoravimus. Quod ergo a nonnullis traditur de consensione requisita ad infallibilitatem eorum, quæ Summus Pontifex uti certa fide ab omnibus tenenda definierit, juri etiam politici regiminis adversatur.

§. XV. Contra certum doctrinæ caput, quod ipsi quoque cum aliis omnibus tuentur, Adversarii nostri faciunt, dum ad infallibilitatem eorum, quæ Summus Pontifex certa fide tenenda definierit, consensum requirunt vel Fidelium,

(1) Hujus cap. §. 5.

vel Episcoporum, sive isti divisim accipiantur, sive etiam in Concilio Œcumenico simul congregati.

Doctrinæ caput, de quo nunc loquimur, istud sane est: Fideles omnes unitate fidei cum Romano Pontifice, & Romana Ecclesia conjunctos esse oportere. Hoc est, quod ab omnibus Patribus traditum habemus, atque omnium veterum communi consensione a primis usque Ecclesiæ temporibus constitutum, & firmatum, sicuti lib. 24. nos evincere conabimur, sed ii quoque tuentur, qui voluerunt, tunc infallibile robur Pontificiis de fide decretis superaccedere, eaque ultimam in se habere firmitatem, quando consensu illo, quem ipsi requirunt, confirmata fuerint. Dudum id luculenter ostendit Petrus Ballerinius *De Vi, ac Ratione Primatus Roman. Pont.* cap. 14. §. 1. & seqq., & eorumdem testimoniis in medium allatis, effecit, ut nullus hac de re dubitandi locus superesset. Nos vero, ut brevitati consulamus, rem eamdem nunc conficiemus, Petri de Marca, Bossuetii, & Natalis ab Alexandro, quos supra refutavimus, habita tantum ratione, deinde vero, quod modo contra eos volumus, colligemus. Petrus itaque de Marca *De Concordia Sacerdotii, & Imperii* lib. 2. cap. 2. num. 2. unitatem communionis cum Romana Sede omnibus adeo necessariam esse affirmat, ut " Nulli licuerit, nec ipsis etiam Apostolis, Episcopatum tenere alienum a communione, & consortio unitatis, quæ viget in Cathedra Petri ". Numero autem 6. una cum unitate communionis jungendam quoque esse fidei unitatem, hisce verbis tradit: " Commune hoc officium communionis cum Ecclesia Romana, cui impendendo cum ceteris Provinciis Gallia adstringitur, cognoverat ante omnes vetustissimus ille Lugdunensium Antistes Irenæus, qui unus scripsit, quod omnes sentiebant: *Ad Romanam Ecclesiam*, inquit, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*: quasi diceret juxta sinceriorem verborum illorum interpretationem, eam esse vim unitatis, quæ principatum, & originem a Petri Sede trahit, ut cum ea sentiendi necessitatem ceteris imponat ". In Dissertatione autem *De Discrimine Clericorum, & laicorum* cap. 3. num. 2. 3. 11. 14. & 21.

14. & 21. in eamdem sententiam multa tradit, quæ nunc omittimus, atque hæc alia tantum exscribemus, quæ ejusdem cap. num.24. ipse habet: Petro itaque præ ceteris Apostolis tributum affirmat, " Quod esset caput unitatis, adeoque te„ nerentur Apostoli particulares Ecclesias subjicere huic uni„ tati, ut docuit Optatus, cujus specialis custodia in univer„ sa Ecclesia erat penes Petrum. Uno verbo res ista compre„ hendi potest. Pares Apostoli inter se, & in Apostolatu: sed „ ratione habita ad unitatem Ecclesiarum servandam, Petrus „ eximio jure, & præcipuo erat caput unitatis, adeoque sub „ illo respectu erat caput Apostolorum cum eximio jure; & „ præcipuo ad unitatem Ecclesiarum servandam ".

Bossuetii, non secus ac Petri de Marca, tam multa sunt in hanc rem testimonia ubique sparsa in tam variis, atque multiplicibus operibus illius, ut qui omnia in medium adducere vellet, patientia lectoris procul dubio abuteretur. Nonnulla ergo tantum exscribemus. In *Expositione Doctrinæ Catholicæ*, in qua ea tradit, quæ apud omnes Orthodoxos certa esse debent, cap.21. affirmat, Petro Primatum traditum fuisse ad tuendam, atque confirmandam unitatem fidei, inquit enim: „ Dei Filium, quum suam Ecclesiam unam esse, & supra uni„ tatem firmiter ædificatam vellet, tuendæ, ac firmandæ uni„ tati S. Petri Primatum instituisse, Sedemque Apostolicam „ hujus unitatis centrum, & radicem esse ". In 1. *Pastorali* epistola *De promissis Jesu Christi factis Ecclesiæ* contra hæreticos, qui visibilem Ecclesiam in fide deficere posse obtrudunt, ex Christi promissionibus demonstraturus Ecclesiæ indefectibilitatem in doctrina fidei n.32.*unitatis signum exploratissimum* constituit *in communione cum Cathedra S. Petri*, in qua sola affirmat, utens, sicut ipse ait, *SS. Patrum formulis*, quod *unitas ab omnibus servata est*. Unde inquit: *Si ergo firme adhærebimus huic Cathedræ, tuti erimus ex Jesu Christi promissis.* Hoc autem inde confirmat, quia Petrus prædicatione fidei constitutus fuit Ecclesiæ firmissima petra, cui omnes inniterentur, atque firmissime adhærerent. Ob Ecclesiæ vero bonum in Petro id deficere non debuisse colligit, sed in ejus Successoribus perseverare debe-

 re, ac

re, ac propterea inquit: *In Pontificibus subsistit Primatus*, *ac totius Ecclesiæ fundamentum*. Quid? Nonne etiam in illo Opere, in quo tenet eam sententiam, quam nos oppugnamus, confirmat ex traditione Patrum, Primatum S. Petro, & Romanis Pontificibus ad Ecclesiæ unitatem traditum fuisse? " Ne quid „ (inquit *Defensionis &c.* lib.10., alias 15., cap.1.) tam ne„ cessariæ disputationi desit, placet exponere luculentius illud „ immotum, quod in fide Petri omnis ab origine novit anti„ quitas. Id duplici modo a Patribus intellectum: primum „ ut Ecclesia Catholica in Petri fide immota consistat, tum „ ut immotum aliquod, & invictum in Ecclesiam quoque pe„ culiarem Romanam, ac Sedem Apostolicam Petri fide, præ„ dicatione, sanguine, auctoritate, ac successione transla„ tum fuerit. Et quidem illud, quod a Petri fide in univer„ sam Ecclesiam diffundatur, SS. Patres deducunt ab illa egre„ gia S. Petri confessione: *Tu es Christus*, & deinde subse„ quuta Christi sententia: *Tu es Petrus*. Petrus enim Aposto„ lus jam primus Apostolorum a Christo constitutus, jam a „ Christo *Petrus* dictus, atque his causis omnium primus ab „ Evangelistis appellatus, quod ipse textus Evangelii prodit „ legentibus, quum Christus quæreret; *quem me esse dicitis*? „ omnium nomine confessionem hanc edidit (1), qua fidei „ Christianæ summa continetur: *Tu es Christus Filius Dei vi„ vi*. Quæ quum Petrus dixisset, statim audivit a Christo: „ *Tu es Petrus*, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. „ Quibus verbis Christus, qui suam maxime unam volebat „ Ecclesiam, creavit magistratum amplissima præ ceteris po„ testate, ac majestate præditum, qui omnes moveret ad uni„ tatem maxime in fide ".

Natalis ab Alexandro, ut cetera nunc prætereamus, Dissert.4. in *Hist. Ecclesiast.* seculi 1. §.2., in quo agit de Primatu auctoritatis, & jurisdictionis Romani Pontificis, num. 7. ad ostendendum hujusmodi Primatum auctoritatis, & jurisdictionis, Ecclesiam Romanam *ceterarum omnium Radicem*, *& Matricem*

(1) Quo sensu dici possit, Petrum nomine omnium confessum fuisse, Christum esse Dei Filium, vide lib.18. cap.1. §.5.

tricem esse, Romanum vero Pontificem, uti *vinculum Sacerdotalis collegii & unitatis centrum* haberi oportere, ex S. Cypriani auctoritate in epistola 42. ad Cornelium recte adstruit. Pluribus autem in locis illud quidem, & recte sane, tuetur (1), ultimum de rebus fidei judicium spectare ad Summum Pontificem.

Nunc ergo de eo, quod ex hoc capite doctrinæ contra istos Auctores æquo jure colligi potest, immo necessario debet. Semel ac Fideles ad servandam eam unitatem, quæ principatum, & originem traxit a Sede Petri, cum eadem Sede Petri *sentiendi necessitatem* habeant: semel ac Petrus *eximio jure*, *& præcipuo* constitutus sit caput unitatis, ut in Ecclesia unitas servaretur, inde necessario consequitur, omnes cum Sede Petri sentire debere, omnesque dum in unitate Ecclesiæ persistere velint, cum capite ipsius unitatis divinitus instituto ad unitatem in Ecclesia servandam in tota suæ fidei ratione conjugi oportere. Illa duo priora vult Petrus de Marca; ergo hæc etiam alia duo, quæ ex illis necessario consequuntur, velle debet: sed hisce semel positis, repugnat, ut consensus Fidelium, sive Ecclesiæ requiratur ad conciliandam ultimam firmitatem Pontificiis de fide definitionibus; quia tunc conjunctio in fide quoad suam ultimam firmitatem non esset membrorum cum capite, sed capitis cum membris, & membra sentiendi necessitatem cum capite amplius non haberent, ac propterea caput esse divinitus institutum ad servandam unitatem amplius dici non posset: id igitur, quod Petrus de Marca de ista consensione tuetur, aperte sane facit contra illud doctrinæ caput, quo non solum apud ipsum, sed etiam apud omnes est ex ipsa traditione compertum, cunctos Fideles cum Summo Pontifice in unitate fidei conjungi debere.

Et re quidem vera, si de fidei unitate loquamur, infallibilitas potissimum attendatur oportet: nam semel ac quæ fide tenemus, certa, & infallibili fide non teneamus, non est amplius vera nostra fides, quia fidei nulla falsitas subesse posse debet,

(1) Inter ceteras vide Dissertat. 8. in *Hist. Ecclesiast.* 11., & 12. seculi num. 21.

bet, quum veritatibus ejus assentiamur, quia a Deo revelatæ sunt (1). Verum centrum igitur unitatis fidei nostræ erit sane principium illud, ex quo nobis constat de infallibilitate credendorum. Duo igitur Bossuetius ponit, quæ simul stare nullo modo possunt, hoc est, & Dei Filium, quia suam Ecclesiam supra unitatem firmiter ædificatam volebat, ad eamdem unitatem tuendam, atque firmandam Primatum instituisse, Sedemque Apostolicam esse centrum, ac radicem unitatis, & ultimum robur, ultimamque firmitatem judicia de fide a Summo Pontifice edita non ab ipso, sed a consensu omnium habere. Rursus: ultimo, atque omnino firmiter illi principio in fide nostra oportet, ut adhæreamus, ex quo habemus, quod falli non possimus: sibi ergo Bossuetius contradicit, dum vult nos tutos esse ex Jesu Christi promissionibus, si firme Petri Cathedræ adhæreamus, & simul etiam contendit, infallibilitatem credendorum non pendere a Cathedra Petri, sed a consensione Fidelium. Item: fundamentum totius Ecclesiæ, quæ profecto est infallibilis, in eo principio subsistere debet, a quo habetur infallibilitas: at juxta Bossuetium fundamentum totius Ecclesiæ propter Primatum subsistit in Summis Pontificibus: ergo dum infallibilitatem consensui omnium tribuit, non Romanis Pontificibus, sibi contradicit. Postremo immotum illud, quod in fide Petri omnis ab origine novit antiquitas, sentiente Bossuetio, & recte quidem, duplici modo intelligitur a Patribus: 1. ut Ecclesia Catholica in fide Petri *immota* consistat: 2. ut *immotum* aliquod; & *invictum* in Ecclesiam quoque Romanam singulariter ob fidem Petri, atque successionem translatum fuerit (2). At vero hoc immotum in fide in illo principio reponi debet, a quo habetur ultimum robur, atque ultima firmitas: hanc ergo ultimam firmitatem, ultimumque robur dum in consensu omnium reponit, contra se facit, & quidem affirmantem juxta traditionem Patrum Eccle-
siam

(1) Videatur S. Thomas 2. 2. qu. 1. art. 1., & 3. (2) Vide qua ratione Patres intelligendos esse nos exposuerimus cap. præced. §. 3., quando infallibilitatem Romanæ Ecclesiæ tribuunt. Nunc ergo tantum de eo, in quo Bossuetius sibi contradicit.

siam Catholicam in fide Petri *immotam* consistere, & *immotum* aliquod, atque *invictum* ob Petri fidem, & successionem in Romanam Ecclesiam translatum fuisse.

Quæ usque modo disseruimus, etiam contra Natalem ab Alexandro æque faciunt. Nam si Ecclesia Romana est ceterarum omnium *Radix*, & *Matrix*; si Summus Pontifex est *vinculum collegii Sacerdotalis*, & *centrum unitatis*; quum rami a radice & non radix a ramis suam firmitatem habeant, & non mater a filiis, sed filii a matre sui status conditionem sortiantur, atque vinculo collegii Sacerdotalis proprio uniri debeant omnes, qui ad collegium Sacerdotale spectant, sicut etiam in centro lineæ omnes uniuntur; est sane inde consequens, omnes Ecclesias cum Romana, sicut ramos cum radice, & filios cum matre unitas esse debere, atque cunctos ad collegium Sacerdotale spectantes cum Romano Pontifice conjunctos, sicut in vinculo conjunguntur, quæ eodem colligata detinentur, & in centro lineæ. Anne hæc omnia cum eo stare possunt, quod Natalis ab Alexandro de ea ultima firmitate tradit, quæ ex consensu Provincialium Conciliorum, aut Episcoporum, vel seorsim, vel in Concilio Œcumenico ii simul uniti accipiantur, superaccedat judiciis de fide a Summo Pontifice editis? Hoc certe, quod vult ipse, si ponatur, Ecclesia Romana *Radix*, & *Matrix* ceterarum amplius non erit: non erit sane Summus Pontifex *vinculum Sacerdotalis collegii*, & *centrum unitatis*, quia si alicui unquam principio ista conveniunt, ei vel maxime, atque potissimum convenire debent, a quo ultima firmitas, ultimumque robur, ac ipsa infallibilitas proficiscitur. Ipse ergo etiam eodem modo, ac alii, ex eodem principio est contradictione implicatus.

§. XVI. Quia Summus Pontifex quam super universam Ecclesiam auctoritatem, & jurisdictionem habet, ab ipsa Ecclesia non habet, repugnat, ut judicia ejus de fide a consensione Ecclesiæ acquirant firmitatem infallibilitatis.

Ex his, quæ *Matthæi* cap. 16., *Lucæ* cap. 22., & *Joannis* cap. 21. leguntur, exque unanimi consensione Patrum tum in expositione hujusmodi locorum, tum etiam passim in aliis

eorum-

eorumdem operibus, nemini non omnino perspectum esse debet, Summos Pontifices a Deo omnem illam potestatem, & jurisdictionem acceptam habere, quam supra universam Ecclesiam obtinent. De hoc doctrinæ capite fuse jam egimus in lib. 18. cap. 1., neque est, cur ad ea nunc alia superaddamus. Tantummodo ergo quod consequitur, ex illo, expendemus. Summus Pontifex, quando edit decreta fidei, omnibusque credendum indicit, quod ipse definierit, ea profecto auctoritate, atque jurisdictione utitur, quam super universam Ecclesiam a Deo recepit: quum igitur nulla auctoritas non solum dari, sed ne excogitari quidem possit, quæ suum ultimum robur, ultimamque firmitatem ei auctoritati conferat, quæ a Deo est; inde consequi nemo non videt, actum omnino esse de illo ultimo robore, deque firmitate illa ultima, quam ex consensione Ecclesiæ fidei definitionibus a Summo Pontifice editis Adversarii nostri superaddi volunt. Deinde semel ac potestas Summi Pontificis sit supra universam Ecclesiam, non vero potestas universæ Ecclesiæ sit supra Summum Pontificem, quia tunc repugnaret, ut potestas Summi Pontificis supra universam Ecclesiam foret; aliundeque firmitas infallibilitatis haberi debeat ut quid præstantissimum omnium, quod in definitionibus circa fidem dari possit; repugnat omnino, ut hæc firmitas a consensione Ecclesiæ habeatur. Verum est igitur, sicuti nos contendimus, repugnare, ut judicia de fide a Summo Pontifice edita a consensione Ecclesiæ firmitatem infallibilitatis acquirant, ex eo quod Summus Pontifex, quam super universam Ecclesiam auctoritatem, & jurisdictionem habet, ab ipso Deo habet. At etiam cum aliis sane multis, quæ nunc omittimus, Adversariorum nostrorum sententia pugnat.

§. XVII. Suprema legislativa potestas, quæ in Summo Pontifice inest, non patitur, ut ejus de fide judicia ab Ecclesiæ consensione infallibilitatem acquirant.

Supremam ergo potestatem legislativam in Summo Pontifice inesse, nostro quodam jure hic supponere possumus, quum lib. 19. cap. 3. jam evicerimus, hujusmodi potestatem legislativam illi tribui oportere, eamque agnovisse etiam Patres in Con-

Conciliis Œcumenicis congregatos. Supremi itaque Legislatoris, semel ac non nomine tenus, sed revera omnium Supremus ille sit, ea conditio esse debet, atque potestas, ut leges, quas ipse tulerit, ab eo suam omnem firmitatem habeant. Si enim ex aliorum quoque consensione pendeat, ut ab ipso promulgatæ leges suam ultimam firmitatem acquirant; Legislator is quidem dici poterit, Summus autem, atque Supremus nullo modo poterit. Summum namque, & Supremum in eo genere, in quo tale est, non solum quid superius se nullo modo patitur, sed neque etiam æquale, & ejusdem conditionis, ac ipsum sit. Si ergo Summus Pontifex Supremam legislativam potestatem habet, ut ejus de fide judicia ex consensu Ecclesiæ acquirant firmitatem infallibilitatis, procul dubio repugnat. Quandoquidem tunc potissimum Summus Pontifex sua legislativa potestate utitur, quando publico judicio decernit, quid ad fidem pertineat, vel non pertineat, quodque ipse hoc judicii genere decreverit, omnibus Fidelibus certa fide tenendum indicit.

Illud etiam advertatur oportet, immunitatem ab errandi periculo quid præstantissimum eorum omnium esse, quæ in legibus humanis adinveniri, aut excogitari possint. Ob illam enim fit, ut humanæ leges Divinis quodammodo assimilentur. Quapropter semel ac ponamus Pontificia de fide judicia ex consensu Ecclesiæ acquirere immunitatem ab errandi periculo, dicendum sane erit, ex consensu Ecclesiæ Pontificiis de fide judiciis id superaccedere, quod omnium præstantissimum est. Pontificia igitur de fide judicia id potissimum, quod in se habebunt, non a Summo Pontifice Supremo Legislatore, sed ab Ecclesiæ consensione habebunt. Dum autem quod est in legislatione supremum, atque omnium potissimum alicui tribuitur, ei quoque præcipuæ in legislatione partes tribui debent. Non solum ergo Summus Pontifex Supremam potestatem legislativam non haberet, si ejus de fide judicia ex consensu Ecclesiæ immunitatem a periculo errandi acquirerent, sed neque etiam æqualem cum eo principio, a quo

hujusmodi immunitas proficisceretur. Suprema ergo legislativa potestas, quæ in Summo Pontifice inest, non patitur, ut ejus de fide judicia a consensione Ecclesiæ firmitatem infallibilitatis habeant.

§. XVIII. Est contra rationem regiminis perfecte Monarchici, quale Summus Pontifex super universam Ecclesiam habet, ut ejus de fide judicia ex consensu Ecclesiæ acquirant firmitatem infallibilitatis.

Istud quoque uti certum nostro jure nos sumere possumus, hoc est, perfecte Monarchicum illud regimen esse, quod Summus Pontifex super universam Ecclesiam habet. Id enim lib. 21. cap. 4. pluribus jam evicimus. Ipsius ergo Principatus vis, atque suprema auctoritas in potestate legislativa potissimum consistit, quæ propterea nemini alteri a Principe communicatur (1): quale igitur est regimen, talis quoque legislativa potestas sit oportet. At vero regimen Monarchicum necessario exigit, ut unus tantum præsit omnibus, atque tum singuli, tum universi simul ei subjiciantur (2): igitur etiam legislativæ potestati, quæ est propria Monarchici regiminis, omnes tam seorsim, quam simul accepti, omnino subesse debent. Qui autem legibus subesse debent, iisdem firmitatem infallibilitatis suo consensu conciliare nullo modo posse debent: repugnat ergo, si ad rationem Monarchici regiminis attendatur, quale Summus Pontifex super universam Ecclesiam habet, ut ejus de fide judicia ex consensu Ecclesiæ acquirant firmitatem infallibilitatis.

§. XIX. Etiam Primatui auctoritatis, & jurisdictionis, quem Summus Pontifex super universam Ecclesiam habet, omnino opponitur, ut ejus de fide judicia firmitatem infallibilitatis ex Ecclesiæ consensione assequantur.

Primatum auctoritatis, & jurisdictionis Summo Pontifici super universam Ecclesiam tribui oportere, auctoritate Divini verbi non minus scripti, quam traditi, nos supra lib. 18. cap. 1. confecimus. Eorum ergo habita ratione, quæ *Mat-*

(1) Lib. 2. cap. 3. §. 3. (2) Lib. 20. cap. 3. §. 2. & seqq.

Matthæi cap. 26. v. 19. & seqq. habentur, in quibus legimus, Christum futurum promisisse, ut suam Ecclesiam supra Petrum ædificaret, singulariterque claves illi daret, quibus quidquid solveretur, aut ligaretur in terris, solutum, aut ligatum esset & in cœlis, Supremam Præfecturam super universam Ecclesiam Petro collatam fuisse, etiam Adversariis nostris consentientibus, primo loco ostendimus, evicimusque, tam si ad litteralem sensum verborum, quam ad unanimem consensionem Sanctorum Patrum attendatur, Petrum illam petram esse, supra quam Christus suam Ecclesiam ædificandam promisit (1). Ex his ergo nunc ad rem nostram ita. Diximus sæpe, semperque dicemus, si quid unquam maximum, atque potissimum in humanis legibus desiderari, vel excogitari potest, esse sane firmitatem infallibilitatis, quam illæ in se habeant. Quid enim Divinum in eis inesse, ex hoc sane consequitur. Igitur hæc firmitas, si fidei decreta nos spectemus, cum quibus tantum infallibilitas conjungi potest, & ab eo fundamento habeatur oportet, supra quod Ecclesia ædificata est, & ab ipsa Ecclesia supra fundamentum ejus nullo modo haberi potest. Quandoquidem Ecclesia est visibilis, ac propterea visibile Caput habere debet, & revera habet, a quo regatur, atque gubernetur (2). Id autem nullus Catholicorum negare potest, & revera a nemine eorum negatur. Ecclesiæ visibile caput fuit omnium primus S. Petrus: illum enim cum Suprema Præfectura auctoritatis, & potestatis Christus super suam Ecclesiam constituit, atque fundamentum posuit, supra quod sua Ecclesia extrueretur: ergo semel ac Ecclesia sit visibilis, visibilique capite cum Suprema auctoritate, atque jurisdictione regatur, & quidem in iis, quæ ad fidem spectant, quæ sunt potissima omnium; inde consequi nemo non fateatur oportet, dum tamen evidenti veritati repugnare nolit, ut infallibilitas decretorum ad fidem spectantium ab hoc capite repeti debeat, nullo autem modo a consensu Ec-

(1) Vide §. 2. & seqq. cit. cap., & lib., in quibus contra opinantium inanes conjecturas refutavimus. (2) Lib. 17. cap. 1. §. 1. & seq.

clesiæ repeti possit, quatenus hæc sua consensione in infallibilitate prævaleat supra suum caput. Nam si hoc alterum quispiam velit, non solum quod potissimum est ab eo capite subtraheret, quod ipsam Ecclesiam cum Suprema auctoritate, atque jurisdictione regere habet, sed etiam ei, cujus est regi, non regere, in alio, non in se, fundamentum habere, visibili capiti subesse, non vero capitis agere partes, illud tribueret, perverteretque eum totum ordinem, qui inter rectorem, atque eos, qui reguntur, necessario intercedere debet.

Alter locus, ex quo constat de Suprema Præfectura S. Petri super universam Ecclesiam, ille est, quem *Luca* cap. 22. v. 31. & seq. habemus, in quo legimus, primo Christum singulariter pro Petro orasse, ne deficeret fides illius, deinde autem ei præcepisse, ut fratres in fide confirmaret (1). Nam ne vera Ecclesiæ fides deficere posset, oportebat sane, ut caput illius, a quo cum Suprema auctoritate, & jurisdictione regendā erat, in fide firmaretur, ipsumque propterea alios omnes Fideles sine periculo erroris in fide confirmare posset, atque id efficere, illius proprium esset. Profecto si confirmatio fidei in firmitate infallibilitatis eorum, quæ ad fidem spectant, præcipue, atque potissimum non reponatur, non video certe, nec quemquam videre posse arbitror, in quo reponenda sit. Semper enim contra eum, qui repugnare vellet, illud urgeremus, firmitatem infallibilitatis omnium præstantissimum esse, quod in his legibus dari possit. Firmitas ergo hujuscemodi infallibilitatis & ab eo principio repeti debet, pro quo Christus singulariter rogavit, ne deficeret fides illius, eique præcepit, ut ceteros omnes, ne iis quidem exceptis, quibus datum erat, ut aliquo modo Ecclesiæ fundamentum essent, in fide confirmaret, & nullo modo eadem firmitas repeti potest a consensione eorum, qui confirmandi sunt. Illud vero negant, hoc autem illi volunt, qui firmitatem infallibilitatis in fidei decretis a Summo Pontifice editis ex se non inesse

(1) Lib. 18. cap. 1. §. 7.

inesse contendunt, sed ab Ecclesiæ consensione eam repetunt. Negant ergo, quod ex Lucæ verbis omnino consequitur, volunt autem, quod cum iisdem nullo modo conciliari potest. Deinde ab eo sane omnes firmitatem infallibilitatis in rebus fidei petere debent, qui singulariter in fide confirmatus fuit, atque ita quidem confirmatus, ut ipse unus alios omnes, nemine quovis modo excepto, in fide confirmaret: hic profecto unus solusque Petrus fuit: ergo Summus Pontifex, in quem verba Christi eodem modo, ac in Petrum, cadunt (1), ille unus solusque sit oportet, a quo, si de rebus fidei agamus, firmitas infallibilitatis peti debet. Ob oppositam vero rationem ea firmitas supra ipsum Summum Pontificem nullo modo ab Ecclesiæ consensione peti debet, quia tunc Fideles illum confirmarent, a quo confirmandi sunt: adeoque & ipsi, ejusdem rei habita ratione, simul confirmarent, & confirmarentur: quod, nemine non vidente, omnino repugnat.

Tandem quod sibi a Christo promissum habuit *Matthæi* 16. cap., & confirmatum *Lucæ* cap. 22., S. Petrus assequutus fuit, dum Christus, sicuti habetur *Joannis* cap. 21. tum omnes oves, tum omnes agnos ei pascendos commisit (2). Quapropter Petrus oves, atque agnos tunc pascendos recepit, sicuti ille, supra quem Ecclesia singulariter ædificanda erat, singulariterque etiam omnes fratres in fide confirmandi, quia singulariter pro fide ejus, ne unquam deficeret, Christus rogaverat, illique præceperat, ut fratres confirmaret. Pascendas ergo oves, & agnos Petrus ita recepit, ut omnium congregatio ovium, & agnorum supra ipsum, sicuti supra suum fundamentum niteretur, ut ipse esset Divina virtute in fide confirmatus, Divinoque præcepto totam congregationem ovium, & agnorum in fide confirmare deberet. Unum igitur ex hisce duobus dicamus oportet: vel Christum talem Ecclesiæ suæ pastorem præfecisse, supra quem ipsa Ecclesia, uti supra certum, firmum, & infallibile fundamentum, niti non posset; vel hujusmodi pastorem præfecisse, sicuti revera præfecit,

(1) Lib. 19. cap. 2. §. 7. (2) Lib. 18. cap. 1. §. 8. & seq.


fecit, supra quem Ecclesia, quæ est infallibilis, absque ullo errandi periculo niteretur, atque ita conditioni ipsius Ecclesiæ omnino proportionatum foret: illud a nemine dici potest; hoc autem nullus non affirmare, constantissimeque tenere debet: cum igitur Pastorem universæ Ecclesiæ Christus præfecit, supra quem ipsa in tota fidei suæ ratione absque ullo periculo erroris niteretur: infallibilis ergo hujusmodi pastor sit oportet, dum pro universa Ecclesia decreta fidei edit. Rursus. Petrus oratione Christi aut assequutus fuit, ut in fide deficere non posset, aut non fuit assequutus; vel Christus illi præcepit, ut fratres, nemine excepto, in fide confirmaret, vel non præcepit: Christus sane, sicut ait Apostolus *Hebraeorum* cap. 5. v. 7. *exauditus est pro reverentia sua*: Petrus igitur ob orationem Christi acquisivit, ut in fide deficere non posset. Qui autem contenderet, Petro Christum non præcepisse, ut fratres in fide confirmaret; is sane omnia Evangelica præcepta eodem modo negare posset. Talem ergo Christus ovibus, atque agnis pascendis pastorem præfecit, qui ipse in se haberet, dum hoc suo munere fungeretur, unde falli non posset: talis itaque universæ Ecclesiæ Supremus Pastor divinitus constitutus fuit, qui uti Pastor spectatus, ab omni errandi periculo procul abesset, dum fidei decreta ederet: ejus igitur fidei decreta semel ac edita fuerint, infallibilia sunt, & repugnat, illius supremæ curæ super universam Ecclesiam habita ratione, ut ex consensione Ecclesiæ, quam in se non habebant, infallibilitatem recipiant. Prædictis ergo tribus præcipuis Sacræ Scripturæ locis, & quidem secundum communem Traditionem Sanctorum Patrum acceptis, quibus constat de Primatu auctoritatis, & jurisdictionis, quem Summus Pontifex super universam Ecclesiam habet, omnino adversatur, quod Adversarii nostri in hac re, de qua nunc agimus, tenent, atque tuentur, ac propterea id ipsum cum Primatu auctoritatis, & jurisdictionis, quem ipsi quoque profitentur, nullo modo conciliari potest, immo illi omnino opponitur.

Et re quidem vera Primatus auctoritatis, atque jurisdictio-

ctionis vel ea quoque complectitur, quæ a Fidelibus credenda sunt, vel non complectitur: si non complecti dicatur; tunc ab eo excluditur illud, quod potissimum est in Christiana religione, & in quo præcipue, sicuti experientia omnium temporum docet, regi, & gubernari Fideles quam maxime indigent. Nisi ergo velimus, esse Primatum fere inanem, atque vacuum; dicendum est ad illa quoque, & quidem potissimum, extendi, quæ fidei sunt. Est vero Ecclesia in sua fide infallibilis: ergo etiam qui Primatum auctoritatis, & jurisdictionis super eam gerit, infallibilis sit oportet. Verum hac de re satis multa.

IN-

FINIS TOMI TERTII.



INDEX
RERUM MEMORABILIUM
Quæ in hoc Tomo continentur.

Ap-

C

r illum

Lau-

M

Ruffi-

Valen-

ERRA-

FINIS TOMI TERTII.



			ERRATA	CORRIGE.
Pag.	V	*lin.* 8	proprius	propius.
	18	28	Christus	Christum.
	157	12	vera	verum.
	203	8	opportere	oportere.
	217	10	ad Cornelium	ad Stephanum.
	302	12	ex quod	ex eo quod.
	336	23	Hillarii	Hilarii.
	347	29	Pratoclum	Patroclum.
	376	16	appellationenum	appellationum.
	395	16	custodi custodivisse	custodivisse.
	452	8	cum Melchiori	cum Melchiore.





